Theatrum universale omnium animalium quadrupedum tabulis octoginta ab ... / M. Meriano aeri incisis ornatum.

Contributors

Jonstonus, Joannes, 1603-1675.
Meriano, M.

Publication/Creation

Heilbronn : C. de Lannoy for F.J. Eckebrecht, 1755.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/hpaabtdq

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



30637/D

Johnston, J.

HISTORIÆ NATVRALIS
DE QVADRVPETIBVS
LIBRI
Cum æneis figuris
IOHANNES IONSTONVS MED: DOCTOR
Concinnauit
FRANCOFVRTI AD MOENUM
Impensis
HÆREDUM MATH: MERIANI


Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3045153x

569444

IOANNIS IONSTONI
THEATRVM
VNIVERSALE OMNIVM
ANIMALIVM
QVADRVPEDVM
TABVLIS OCTOGINTA
AB ILLO CELEBERRIMO
MATHIA MERIANO
AERI INCISIS ORNATVM

EX SCRIPTORIBVS TAM ANTIQVIS, QVAM RECENTIORIBVS, THEOPHRASTO, DIOSCORIDE, AELIANO, OPPIANO, PLINIO, GESNERO, ALDROVANDO, WOTTONIO, TVRNERO, MOVFFETO, AGRICOLA BOETIO, BACCIO, RVVEO SCHONFELDIO, FREGGIO, MATHIOLO, TABERNAMONTANO, BAVHINO, XIMENE, BVSTAMANTIO, RONDELETIO, BELLONIO CITESIO, THEVETO, MARGGRAVIO, PISONE

ET ALIIS MAXIMA CVRA COLLECTVM

ET

OB RARITATEM DENVO INPRIMENDVM
SVSCEPIT

FRANCISCVS IOSEPHVS ECKEBRECHT
BIBLIOPOLA HEILBRVNNENSIS.

TYPIS CHRISTIANI DE LANNOY.
M D CC LV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



SERENISSIMO PRINCIPI

AC

DOMINO DOMINO

IOSEPHO,

AVSTRIAE ARCHIDVCI,

CORONAEHVNGARICAE

AC

BOHEMICAE PRINCIPI

HAEREDITARIO,

etc. etc.

PRINCIPI AC DOMINO SVO

CLEMENTISSIMO

AC

BENIGNISSIMO

SALVTEM PERENNEM ET FELICITATEM

PERPETVAM.

SERENISSIMO PRINCIPI

AC

DOMINO DOMINO

IOSEPHO,

AVSTRIAE ARCHIDVCI,

CORONAE HVNGARICAE

AC

BOHEMICAE PRINCIPI

HAEREDITARIO,

etc. etc.

PRINCIPI AC DOMINO SVO

CLEMENTISSIMO

AC

BENIGNISSIMO

SALVTEM PERENNEM ET FELICITATEM

PERPETVAM.

SERENISSIME PRINCEPS

AC

DOMINE CLEMENTISSIME, BENIGNISSIME.

Virtutum maximae, quae et heroum nomina ampliſſimis conſecrent monumentis et quae eosdem ſupra communem mortalium ſortem longe euehant, ſunt opinor, ſapientia ac clementia. Quae maieſtatem illorum eo ſublimiorem reddunt, quo plura earum exempla ſerae reliquiſſe poſteritati omnes uno adfirmant ore.

Quid obſtat, SERENISSIME PRINCEPS, quo minus eaedem uirtutes eodem TIBI iure ſint uendicandae? Nam conſtante omnium ſermone, qui aetate noſtra per orbem terrarum percrebuit, ſingulae quarumque Imperii Romani prouinciarum gentes earundem TE uirtutum ornamento praeditum celebrant. Quemadmodum enim respublica literaria TE ſancte colit muſarum ſtatorem, ita uniuerſae Alemannorum regiones TE alterum merito uenerantur Ioſephum. Siquidem, quanta gratiae documenta muſis earumque cultoribus hucusque dederis, clariſſimi orbis literarii uiri miris praediçant laudibus. Vt nihil dicam de clementia TIBI ab Auis atque Atauis Auguſtis iam innata, quam praeter Germaniae populos cum primis illae Pannoniae ac Bohemiae nationes non ignorant. Quid

opus

opus eſt multis gloria earum pro me uerba faciente? Quam ob rem arbitror cum ſuperfluum recenſere ſummam uirtutum uirtute per ſe ſplendente, cum duco rem maximi momenti magnifico dicendi genere mihi deficiente, quibus excellis et quas nonniſi lingua illius eloquentiae parentis ac nihilominus titubante effari ualeo. Ecquid itaque mirum uel me in uultum TVVM benignum ſubeunte? Age adire TE, SERENISSIME PRINCEPS audeo et paucis dicam: edo in lucem foetum, quem iam olim egregius Polonorum medicinae doctor enixus inſigniuit inſcriptione Theatri Hiſtoriae Naturalis Vniuerſalis. Quem uero librum rurſus recudendum ac per partes publicandum curaui. Hic omnino indiget clientelae. Ei ſi uel maxime cuperem, parum prodeſſem. Immo ſic negligere non poſſum,

quin

quin alienum illi quaeram patrocinium. Quaeſo quare TE, SERENISSIME PRINCEPS, ut eum ſuſcipias clemens nec TVA proſequi benignitate dedigneris. Non eſt, quod denuo exponam, cur iſtam TE precari gratiam non uerear. Satis eſt notum, famam gratiae TVAE iam tot ſupplicibus praeſtitae uel mihi rogandi parere licentiam. Verum et ipſe, quem TIBI SERENISSIME PRINCEPS offerre ſuſtineo, foetus pro ſe dicet. Ipſe ſcilicet Ionstonus TE uoce rogat ſupplici, ut ſe ab obitu in fidem recipias TVAM ac fronte intuearis ſerena. Non mente decipitur, cuius omnis ſpes in TE eſt. Ecquis eſt quaeſo, qui dicat, quod clementia TVA ſupplicem ſit fruſtrata quempiam? Spero hinc uel ego fore, ut precibus quam humillimis patulas praebeas aures nec me niſi uoti com-

potem

potem e conſpectu TVO AVGVSTO abire patiaris. Quam quidem gratiam, quae mihi contingit, non ego ſolum piiſſimo religionis cultu, quoad uiuam, animo infixam fouebo, ſed et Numen illud Clementiſſimum uotis caſtis, quod alioquin nihil ſupereſt, ſtudio defatigabo indefeſſo, ut non TVAM ſolum, ſed et ſtirpis TVORVM Auguſtiſſimae celſitatem clementia ſua ad ſecula uix numeranda incolumem atque Auguſtam tueatur ac TE tam in praeſidium totius Auſtriae reliquorumque TVORVM clientum, quam in decus omnium Sacri Imperii Romani ordinum ac ſtatuum florentem conſeruare iubeat. Quin precor atque opto cum omnibus orbis terrarum bonis, ut moderator uniuerſi mundi rerum humanarum conditionem ita ſecundet, ut ego cum ſingulis orbis

bis Romani incolis breui TIBI ceu Caesari Nostro illud : sis felicior Augusto et melior Traiano ouans adclamare queam. Ita uouet

SERENISSIME PRINCEPS

AC

DOMINE CLEMENTISSIME, BENIGNISSIME

NOMINI TVO AVGVSTO

HEILBRVNNAE,
d. XIX. Martii A. S. R. MDCCLV.

Deuotissimus ac humillimus cliens
FRANCISCVS IOSEPHVS ECKEBRECHT,
BIBLIOPOLA.

PRAE-

PRAEFATIO AD LIBRVM DE QVADRVPEDIBVS.

Placet de Quadrupedibus in genere aliquid praefari, Benevole Lector, ſatisfacturumque me confido, ſi aliquid *de Nomine*, *Partibus*, *Loco*, *Nutritione*, *Augmento*, *Generatione*, *Vita*, *Animalibus actionibus*, *Vſu et Differentiis* praemiſero. Horum vero nomine animalia illa nobis veniunt, quae mediae inter aerea et aquea naturae, pilis utplurimum, teſtis quandoque obducuntur et quaternis pedibus incedunt. In reliquis omnibus multiplex et incomprehenſa occurrit varietas, quae tibi, ſi bene perpenderis, ſtuporem iniicere poterit. Partes mihi primo externas vide. *Pilos* habent, quae animal pariunt, quae ova, teſtam. Equis ſunt in iuba largi, in armis leoni, daſypodi et in buccis intus et in pedibus. Villoſiſſimum animalium lepus. Omnibus ſenectute craſſeſcunt. In ſolo equo canitiem contrahunt. Setis ſues et hiſtrices teguntur, oves lana, caprae aruncum de mento demittunt. *Corium* hippopotamo tam craſſum, ut inde tornentur haſtae, elephantis etiam et rhinocerotibus fere impenetrabile. *Auriculae* omnibus duntaxat animal generantibus et quidem mobiles. Minores aliis vel maiores. Cervis tantum ſciſſae ac velut diviſae, ſoricibus piloſae. In equis et omnium iumentorum genere indicia animi praeferunt, feſſis emarcidae, micantes pavidis, ſubrectae furentibus, reſolutae aegris. *Os* magno hiatu cani, leoni et venatu viventibus reſciſſum, mediocre, ſuum generi. *Promuſcis* ſoli elephanto. *Maxillae* longae iumentis, rotundae ſimiis. *Collum* leoni tantum et lupo et hyenae ex ſingulis oſſibus rigens. *Digiti*, quibus ex rapina victus, quini in prioribus pedibus, reliquis quaterni. Leones, lupi, canes et pauca alia in poſterioribus quoque quinos ungues habent, uno iuxta cruris articulum dependente, reliqua, quae ſunt minora, digitos quinos. *Vngues* omnibus, quibus et digiti Sed ſimiae imbricati,

rapa-

rapacibus unci, caeteris recti, ut canibus, praeter eum, qui a crure plerumque dependet. *Vngulas* ſolidas habent, quae non ſunt cornigera, cornigera fere biſulca ſunt. Sues in Illyrico quibusdam locis ſolidas habere dicuntur. Veterino tantum generi renaſcuntur. Haud minor *internorum* diverſitas. *Dentes* exerti verri, apro, ferrati, cani, leoni, continui, equo, bovi, acuti primores, plani interiores. Altero ordine carent cornigera. Nullis exerti, quibus ferrati. Nulli exerti vel ferrati, cui cornua, ſed omnibus concavi, caeteris ſolidi, ſimiae, ut homini. Ruminantibus, leoni et cani mutantur. Suibus decidunt nunquam. *Lingua* Crocodilis tota adhaeret, leonibus ac felibus imbricatae eſt aſperitatis ac limae ſimilis, elephanto praecipue lata. *Coſtae* ſuibus denae, cornigeris tredecim. *Cor* omnibus in medio pectore eſt. In equorum boum et cervorum oſſa reperiuntur. Maximum proportione, muribus, lepori, aſino, cervo, hyaenis et omnibus propter metum maleficis. *Pulmo* teſtudini ſine ſanguine, chamaeleoni proportione maximus, et nihil aliud intus. *Venter* ſolidipedum aſper et durus, terreſtrium aliis denticulatae aſperitatis, aliis cancellatim mordacis. De ruminantium ventribus libro ſecundo diximus, *lien* rotundus biſulcis et cornigeris, prolixus multifidis, praelongus ſolidipedibus, minimus pecori in regione Aſiae, quae Scepſis dicitur. *Renes* omnia habent, quae animal generant, ova parientium teſtudo ſola. *Veſica* nulli ova gignentium praeter teſtudinem, nulli, niſi ſanguineum pulmonem habenti, nulli pedibus carentium. *Locum* plerisque terram natura deſignavit, paucis, ut crocodilo, hippopotamo, caſtori, teſtudini marinae et aquam. Ex his et illis quaedam latibula habent, quaedam in arboribus degunt. In frigido climate nonnulla, in calido alia invenias. Negata in eodem ſitu quaedam aliquibus. Fruſtra et *in victu* uniformitatem quaeris. Herbis et frugibus boves, cervi, equi, ſues veſcuntur, humiliorem depraedantur oves, altiorem, ramos et germina caprae. Carnes lupis, leonibus et canibus in deliciis, piſces fibro et feli, muſcae chamaeleoni. Ruminant cibum quaedam, quaedam non item. Simiam et cercopithecos inter pamphaga forte recte poſueris. Urſus hieme in latebris eo humore, quem ex prioribus pedibus tum intumeſcentibus exſugit, vivere creditur. De *Generatione* habe, concipere quaedam citra *coitum*, ut poſt Nili a terris receſſum in Aegypto mures. Congredientium pleraque autumno, aeſtate vel vere coire, cum ferocitate tauros et urſos, ſine ea canes. Vivos foetus maximus numerus profert, ova teſtudines, crocodili, lacertae etc. De *Augmento* hoc dixiſſe ſufficiat, μονοχιλῆ et biſulca, digitatis maiora, rhinocerotem, camelum, hippopotamum etc. ſi exceperis, differreque in eadem ſpecie propter loca magnitudinem. In regione Camadu arietes aſinis non cedunt. Teſtudines ad Taprobanam tantae, ut CIII. pondo pependerint, lacertae in Aethiopia cubitor. octo. *Vita* brevis quibusdam, diuturna aliis. Lepores et feles ſeptimum duntaxat annum attingunt, aries et caper raro decimum. Sus ad vigeſimum pervenit, canis ad eundem aliquando, bos decimum ſextum vix excedit. Equi mares ad trigeſimum quintum vivunt, foeminae quadraginta veneri ſufficiunt, quinquageſimum aliquando attingunt. Ad ſeptuageſimum quintum pervenire apud Plinium legimus. Mulum octoginta annis vixiſſe ex Athenienſium monumentis adparet, cervos centum, in hiſtoria invenies. Ad *Animales actiones ſenſus externi* et *interni appetitus* et *locomotiva* pertinent. Dorcades et lynces *viſu* excellunt, hyenae et feles de nocte vident, talpae parum aut nihil. Acute *audiunt* lepores, cameli, cervi et equae Lybicae cantu tibiae oblectantur. *Odoratu* canes valere nemo ignorat, ſues adeo ſunt debili, ut ne foetore coeni

moveantur. Simia nos *guſtu* vincit, ut vulgari verſiculo traditur. *Internos* ſi attendamus, inſignis ſunt amentiae quaedam, ut bubalus, qui capite abdito totum ſe latere credit, ſagaciſſima quaedam. Simiae nihil non imitantur. Vulpes glaciem transmiſſurae admota aure eiusdem craſſitiem explorant. Canes quamvis longa itinera meminere, nec ulli, praeter hominem memoria maior. Cervi audito canum latratu, ſecunda fugiunt aura, quo pariter recedat veſtigiorum odor. Reliqua in capitibus de equis, capreis, lupis et aliis vide. Maxime vero mirandum, quod tam multae quadrupedes ſciant, quae morbis ſuis medeantur. Panthera ſtercus humanum quaerit. Teſtudo cunilae, quam bubulam vocant, paſtu vires contra ſerpentes refovet, muſtela rutae in murium venatu cum iis dimicatione conſerta. Bos in Cypro contra tormina hominum excrementis ſibi medetur. In *Appetitu amor* et *libido* praecipue occurrit. Simiarum erga foetus tantus, ut *magna ex parte complectendo necent.* Sues foeminae libidine turgentes adeo efferantur, ut hominem lacerent. Tanti furoris et tauri, ut *vacca aenea Syracuſis, ab agreſti tauro, qui pecore aberraſſet, inita ſit ac ſemine aſperſa.* Econtra camelus coitum in propatulo refugit. Equum detracto oculorum operimento et cognito cum matre coitu praerupta petiiſſe atque exanimatum Plinius auctor eſt. Circa *Locomotivam* veloces quosdam, tardos alios novimus. Nullum animal curſu leporem aequare credidit Xenophon, Horatius vero cum celerrimum curſum dicere vellet, *ociorem cervis* dixit. Alce tantum itineris uno die conficit, quantum equus triduo. Nil de Arabicis aſinis dicam, nam vulgares tardiſſimi ſunt, ut et tigres docente nos Bontio. *Vocis* fere obliti fuiſſemus, cuius tamen inſignis in iſto animalium genere eſt varietas. Equus namque hinnit, taurus mugit, aſellus uncat, aries blaterat, ovis balat, ſus grunnit, verres quiritat, cervus onager glocitat, caper circus mutit, aper frendet, leo rugit, tigris raucat, panthera caurit, pardus felit, lupus ululat, barrus barrit, canis latrat, vulpecula gannit, catulus glaucitat, lepus vagit, mus mintrat, muſtela dentrit, ſorex diſticat, rana coaxat. Sed ad *uſum* deveniamus. Bono enim noſtro a Deo condita nemo negaverit. Hinc nobis, *alimonia, medicamenta, veſtitus* et *alia. Alimonia.* Lac namque nobis ſuppeditant pilis praedita, ex quo butyrum et caſeus conficitur. Carnes iumenta et quae in deſertis vivunt cervi, apri, damae, alce et alia. Nec tantum ad neceſſitatem proviſum eſt, deliciarum etiam obliviſci noluit natura. Leporis carnem *primam mattyam* Martialis vocat. Caro vero etiam domeſticae ſuis quinquaginta modis ita condiri poteſt, ut totidem ferinae carnis ſpecies videantur. *Medicamenta.* Docuere enim quaedam, nec unum eſt, quod non aliquod ſuppeditet. Cunilam et rutam contra venena valere a muſtela et teſtudine accepimus. Venas ſecandi artem hippopotamus docuit. Ductu cervorum dictamnum ſagittas extrahere ſcimus. De remediis contra morbos hiſtoria conſulatur. *Veſtitum.* Magna pecori gratia in uſu vellerum, corporum tutela ipſi debetur. Caſpiorum ditiſſimi veſtimenta ex pilis camelorum conficiebant. Ex lanis etiam illa fiunt, quae Caeſar *ſubcoacta*, Helmoldus Presbyter *feltra* et *filtra.* Ex his aut ex centonibus aut ex coriis tunicas aut tegmenta milites faciebant, quibus tela vitarent. Mortua pelles ſuppeditant. Primae tunicae, quas Deus fecerat, ex iſtis. Pelle leonis induebatur Hercules. Ex agninis rhenones Germanorum erant. Perones ex corio conficiebantur, nobiliorum calcei ex aluta. Friſii denique iuſſu Druſi coria boum in uſus militares pendebant. De *aliis uſibus* hoc duntaxat dicam. Canes ad cuſtodiam facere. Feles alimenta a muribus defendere. Equum, aſinum, mulam,

camelum ad vecturam adhiberi. Ex nervis fiunt fides. Camelorum veretro optime arcus intenduntur. Funes, quibus brachia catapultarum continentur, torquentur e nervo. Dentibus aprorum laevigatur charta. Plebeios miniſtros apud Romanos quidam bovillis cornibus infonantes ad coetus cogebant. *Per cornu fluentia in fauces hominum vina decurrere* dixit Ambroſius. Urorum certe barbari ſeptentrionales potabant. Delii Apollinis ex cornibus ara inter ſeptem orbis miracula recenſetur. *Taurino felli praecipua potentia, etiam in aere, pellibusque aureo colore ducendis.* Quid de *Fimo* dicam, de cuius diſcrimine ita Plinius: *humanas dapes ad hoc inprimis advocant. Alii praeferunt hominum potus in coriariorum officinis pilo madefacto. Proxime ſpurcitias ſuum laudant, Columella ſolus damnat. Varro praeceptis adiicit, equino, quod ſit leviſſimum, ſegetes alendas, prata vero graviore et quod ex hordeo fiat, multasque gignat herbas. Quidam etiam bubulo iumentorum praeferunt, ovillumque caprino, omnibus vero aſininum, quoniam lentiſſime mandant.* De *Differentiis* in infinitum agi poſſet. Quomodo vero in ſuos ordines totum Quadrupedum exercitum digeſſerimus hiſtoria docebit. Occurrent primo ſolidipeda, mox biſulca, tam ruminantia, quae vel cornuta vel non, quam non ruminantia, digitata tandem, tam vivipara, quae vel terreſtria vel aquatica, quam ovipara, quae vel teguntur teſta vel non. Sed nolo in hanc rem plura. Tu, *Benevole Lector*, laborem boni conſule et proximis nundinis Hiſtoriam piſcium, ſi Deus voluerit, expectabis.

HISTO-



HISTORIÆ NATVRALIS DE QUADRUPEDIBUS

LIBER I.

DE QUADRUPEDIBUS SOLIDIPEDIBUS.

CAPUT I.

De Equo.

Aldrov. de Solidiped. c. 1.

Brutis animantibus, quae ſanguinem habent, aliis binos, aliis quatuor pedes, largita eſt natura. Quae tot habent, Latinis Quadrupedes, Graecis τετράποδα, Ariſtoteli πῶλα dicuntur, et ſub tribus ſummis generibus continentur. *Vnum eſt* ἀσχιδὲς, μονώνυχον, ſeu μώνυχον, aut μονώνυξ ſeu μώνυξ, Euripidi μονόχηλον, quaſi una tantum praeditum ungula, dicitur. Plinius Solidipidem, Gaza Solipedem vocavit. *Alterum* eſt, quorum pedes binis fiſſuris utrinque, hoc eſt, a parte priore et poſteriore deducuntur. Unde biſulca Latini δίχηλα Graeci vocave earunt, aeque chelas ſeu forcipes pro ungulis habere, Ariſtoteles dixit. *Tertium* πολυσχιδὲς et πολυδάκτυλον, multifidum, et multipliciter digitatum, quod pedes manuum noſtrarum inſtar, multifidos habeat. Omnibus pedes ad ingreſſum dati ſunt: ſed digitata prioribus praeterea ad manuum officia uti nituntur, quod ſolidipedes poſterioribus facere, Ariſtoteles annotavit. Ex *Solidipedibus*: ſunt *Equus*, *Aſinus*, *Onager*, *Mulus*, *Monoceros*, et *Elephas*, de quibus ordine hoc primo libro agemus. Ab *Equo* autem incipimus, quod eius ſingularis ſit, inter *iumenta*, quae a iuvando noſtras operas Latinis ita dicuntur, praeſtantia. Demoſthenes eum inter urbis munitiones recenſet. Romani in eius emtione denis aeris millia e publico perſolvebant, adimebantque bello inutilibus. Conſulis aut cuiusvis Imperatoris equus, phaleris exornatus, ornamentum, ut apud Halycarnaſſaeum legimus. In multis regionibus cautum, ne quis equos extra provinciam emittat. Circaſſi equos plebeis permittere nolunt. M. Antonius in civitatibus ſedere in equis prohibuit. Atheas Scytharum Rex ipſe equum ſuum ſtrigili purgabat, ut Plutarchus meminit. Andromache Hectoris coniux, manibus ſuis avenam et foenum Equis mariti praebuit, quod eum hiſce delectari ſciret. Theophylactus Lacapeni Im-

Ariſtot. H. A. l. 2. c. 1.

Dionyſ. Halycarn. l. 10. Antiq. Rom.

peratoris F. Patriarcha Conſtantinopolitanus ultra duo millia equorum habuit, et in eis alendis adeo fuit intentus, ut piſtachia, pineas, palmulas, uvas paſſas, caricas, eaque omnia lectiſſima, vino fragrantiſſimo temperata, admixtis etiam, croco, cinnamomo, aliisque pretioſiſſimis aromatibus, iis apponeret, in hoc luxu, verum Imperatorem ſuperans, qui, ut ait Capitolinus, equo ſuo, nomine Volucri, uvas paſſas, et nucleos, in vicem hordei in praeſepe ponebat. Moxii Tartariae populi, conſtituto et ſolemni quotannis die equum poſt aliquot cerimonias corio exuebant, carneque in menſa abſumta, palea implebant, et mox erectae arae impoſitum, ut propitium numen adorabant, pellesque pretioſiores offerebant, ut Ioſephus Barbarus in ſuo itinerario reliquit. Vixit Petrarchae tempore in Italia quidam, qui aegrotanti equo, quem amabat, aureum pulvinar, ac ſericum cubile ſubſtravit: cumque ipſe interim podagra vinctus atque immobilis medicorum legibus regeretur, nihilominus tamen, aut ſervorum vectus manibus, aut equo altero vix iniectus, et ſuos medicos ſecum ducens, equum aegrum ſuum bis terque quotidie viſitabat, illi ſuſpirans atque anxius aſſidebat, illum leniter manu tractans blando murmure ſolabatur. Tradit denique Ludovicus Romanus, Narſingae Regis potentiſſimi equum tanti pretii eſſe credi, propter incredibilem margaritarum, quibus oneratus eſt copiam, quanti eſt quaepiam ex noſtris urbibus. In tanto apud plerasque gentes aeſtimio equus habetur, ut pluribus Aldrovandus oſtendit. Caeterum, ut ad *Nomen* ipſum accedamus, varia tam apud Graecos, quam apud Latinos ſortitus eſt. Graecis dicitur ἵππος, πῶλος, quod de pullo proprie ſumendum eſt; ἄλλα Caribus, unde Allabando cuidam nomen; κάλπις Heſychio et Varino, quod tamen equo gradario duntaxat competere videtur; δάμις Liguribus, ἵκκος et Ethymologo, καβάλλος et καβίλλις, ὁ ἀπὸ κάπης ἄλις ἐσθίων, quod ex praeſepi abunde comedat; quo tamen vocabulo ἐργάτης ἵππος, ſeu operarius equus tantum venit, ut apud Latinos vilitatis ſignificationem habet; ἵννος hinnus, et γίννος, quorum illud equum, qui equum habet patrem, matrem aſinam: hoc matrem equam, patrem mulum, ſignificat: ab Ariſtotele tamen, pro pumilo equo, ut et Suida, cui ἵπποι, οἱ κόλεοι τῶν ἵππων, ſumitur; κέλης non ſimpliciter equus eſt, ſed qui ab uno ſeſſore agitatur, Varino ἄζυκτος et ἄζυξ. Ariſtophanis interpres equum generoſum intelligit; alii ſellarem, tellarium, et nudum interpretantur; quidam, ſed male, deſultorium. χρυσάμπυξ epitheton potius eſt, quam ſynonimum. Siquidem ſic dicitur, quod ἄμπυξ, teſte Euſtathio, dicatur σειρὰ καταχρυσος τὰς περὶ τὸ μέτωπον τρίχας τῶν ἵππων συνδέουσα: id eſt, catena ſeu funiculus auratus, quo comae in equorum frontibus ſparſae colligantur. A Latinis vocatur *Equus*, ſeu ab aequalitate, quod pares antiquitus iungebantur; ſeu quod quando quadrigae iungebantur, aequabantur, paresque forma et curſu iungebantur, ut Iſidoro placet; *Eniocbus*, apud Firmicum, ut Scaliger notat; *Canterius*, ſeu quaſi carenterius, quod caſtratus ſit et ſemine, quod careat Varroni viſum; ſeu quod ipſi cauterium inuſtum ſit. Ab aliis tamen pro viliore ſumitur. *Veredus* eſt equus viatorius, qui neque rhedam neque ciſium trahit, vice rhedae tamen eſt, ut Turnebus voluit. Iſidorus tamen et Feſtus rhedarium eſſe vult, Procopius curſus publici. *Mannus*, parvus equus dicitur Acroni et Porphyrio apud Horatium, quod manſuetudine manuum ductus familiarius ſequatur, ſolutos *tollutares* cognominat Seneca. Dicuntur et Burdones, Burichi, burdi, buridi, et burici apud Vegetium, forte ἀπὸ τῶν φόρτων ab oneribus, ut Geſnerus reliquit. Strabo Gygenios appellat. *Muſimones* forte dicentur, quod iisdem ex locis habeantur. Et tantum de Nominibus. Equum *Deſcribere*, utpote animal omnibus notiſſimum, non eſt opus. Itaque de *partibus* tantum agemus, et vocabula, quae apud auctores occurrunt, ex-

Lib. 4. Navig. c. 11.

Nomen.

Iſidor. Orig. l. 12. c. 43.

Partes Equi.

Equus . Pferd . Ross . Hengst . Gaul .

Equus . Pferd .



Equus . Pferd .



Equus Æthiopicus . Æthiopiſch Pferd .



explicabimus. *Vngulae* ὄπλαι Graecis, quaſi ἄπλαι, quod nec bifidae, nec multifidae ſint. *Chelidon*, ſeu hirundo, eſt ungularum concavitas a nido hirundinis dicta. *Batrachos* ſive Rana, eſt ea pars, quae clavis ſolearum ſaepe male adactis laeditur; ſeu teneritas oſſium referens formam ungulae, quam nutrit etiam, eiusque radices in ſe continet, Barbari Tuellum vocant, Germani einen Kern, nucleum. Si ungulae pleniores fuerint carnoſaeque citra cavitatem, Xenophon teſte Caelio, χαμήλας vocat. Commiſſuram ungulae cum pede, ſeu ungulae exortum, Graeci στέφανην, Hippocrates τὸ ὄνυχος ἁρμονίαν dicit. κύνις Heſychio et Varino ſunt ungularum pars; alii vicinam iis eſſe volunt, ideoque κύνοπλον vocari. Geſnerus putat a Ruſſio appellari *Falcem*. Dicit enim, inquit, locum eſſe delicatum et nervoſum, parumque carnoſum, quod forſan erit μετακύνιον. *Talos* nulli ſolidipedum eſſe ſcribit Ariſtoteles, Aſino Indico excepto. *Suffrago*, id eſt In poſterioribus pedibus quadrupedum, quod in prioribus genu, vel eſt nodus aut articulus ſub crure, quo pedis verſura conſtat, tibiaeque ita annectitur pes, ut verti poſſit. Barbari *garretum* nominant. *Baſis* ſunt oſſa quaedam ſub tibiis Vegetio, Calcaneos forte intelligit. Κερέα eſt os tibiae, quod radius vocatur. *Cirri* et ſubcirri, equorum ſunt ornamenta. Crura equi Vegetius vocat *gambas* quaſi campas: Hippiatri Graeci βραχίονας et χέλη vocare videntur. Vegetius etiam Latine *brachiola* in equis dixit. *Coxendices* maximas et validiſſimas habet, iisque ut plurimum valet. Inde fieri putat Ambroſius Nolanus, quod ſeſſorem ephippiumve iuxta humeros amet, contra ac aſini et muli. Ἕδρα Xenophonti eſt dorſi ea pars, qua inſidetur. Κόκκυγα vocant veterinarii partem quandam inter armos, ſeu ἐν συνωμίᾳ interſcalpio: Abſyrtus κόκκον appellat. Hinc Aetogenes equi, quod genitivam quandam notam ἐν τοῖς ὤμοις καὶ τῷ κόκκῳ habeant. Geſnero vero Coccyx eſt pars in medio dorſo, iuxta ſpinam eminens. *Armus* idem, quod humerus. *Dorſum* Garreſum barbari vocant. *Mammas*, tam mares in hoc genere, quam faeminae habent; et foeminae quidem omnes binas inter femora, mares, illi tantum, qui matri ſimiles prodiere, ut Ariſtoteles teſtatur. *Caudam* habet bovillae contrariam, tenorem videlicet brevem, quem Plinius caulem appellat, pilos prolixos. Illam Vegetius *muſcerium*, a muſcarii flabelli ſimilitudine; hos Plinius *ſetas*, et longiones quibus muſcas abigunt, Graeci σίδας vocant. Duriores ſunt in equis, quam equabus, quod harum caudae urina madefactae; ſetas invalidas habeant. Quae de Sertorio ſetas vellere iubente dicuntur apud Plutarchum vide. Qui ex collo dependent crines, *Iuba* Latinis, Xenophonti χαίτη, Ariſtoteli λοφία, ſeu criſta, dicuntur: qui a vertice iuxta oculos et tempora propendent, capronas Latini, Protocomium, Vegetius, προκόμιον Xenophontes dixit. *Palpebra* inferior pilis caret: ideo reprehenſus pictor, (Apelles is Epheſius an Nicon, Micon, vel Polygnoſtus fuerit, ambiguum) quod eos addidiſſet. Soli praeter hominem caneſcere, praeter Ariſtotelem, Plinius prodidit, quod os, in quo cerebrum, tenuius, quam caetera pro magnitudine habeat, ſed falſo- Nam et canes caneſcunt, ſub ephippiis etiam in Cicatrice ſemper albi proveniunt, ſeu, quod cum ea pars ſit debilis, nutrimentum non ut antea digeritur, ſed quodammodo corrumpitur, ut Ariſtoteli placuit; ſeu aliam ob cauſam. Unicolores tamen evadunt, ſi hordeum toſtum et in pulverem redactum, quod vim diſcutiendi, detergendique obtinet, inſperſeris. De Coloribus in Differentiis agemus. *Dentes* utraque oris parte habere continuos, tradit Plinius et Ariſtoteles inter ἀνεπάλλακτα recenſet. Habet autem praeter agnatos, qui lupini et ſilveſtres aliis et proxima maxillae parte, pullis praeſertim adnaſcuntur, ἐκτὸς τῶν προσφυῶν quadraginta. Ante caeteros, dentes parvi, magnitudine fabae, in cibo capiendo impediunt, unde iumentum ſtrigoſius evadit. Ariſtoteles maribus,

Plutarch. de ſolert. animal. in Sertorio.

quam foeminis plures eſſe notavit. Eos pro aetatis ratione equus mutat, ut et alia veterina. Anteriores, qui prius mutantur, Graeci ἐμπροσθίους et τόμιας vocant, quaſi ſectores, aut inciſores, Latini medios, Vegetius lactentes, Plinius forte pullinos. Sunt autem numero duodecim, ſex nempe in ſuperiore, totidem in inferiore maxilla. Xenophon γνάμπτας, ut te alii Graeci nominarunt, quaſi aetatis indices. Equus enim triginta menſium, primum dentes medios dicitur amittere, duos ſuperiores, totidem inferiores. Incipientes quartum agere annum, itidem eiiciunt et totidem, proximos eorum, quos amiſerunt, et incipiunt naſci, quos vocant Columellares. Quinto anno, incipiunt iterum eodem modo amittere binos, quos caninos habent, tum renaſcentes eis ſexto anno impleri. Septimo omnes habere ſolent renatos et completos, ut Varro, expoſuit. A complemento, inquit Abſyrtus, cum reliquum trimatum agunt, dens rumpitur et rotundatur, et in triangularem figuram exit, quo tempore praecipue defluxio in ora equorum decumbit. Fiunt nonnunquam a ſeptimo anno prominuli, quos προπιπλώκοτας Abſyrtus, Varro brochos vocavit. Columella quoque et Palladius, ſeptimo anno omnes expleri aequaliter aſſerunt, et ex eo cavatos gerere, poſtea vero, quot annorum ſit comprehendi non poſſe: decimo tamen anno, tempora cavari, et ſupercilia caneſcere, et dentes prominere. Duodecimo anno nigredinem in medio dentium apparere, Vegetius adiecit: at Ariſtoteles et Varro, niteſcere in ſenecta ſcribunt. Plinius rubeſcere legit. Ab hac dentium varietate ſunt et aliquot equorum cognomina; λιθογνάμων Heſychio et Varino dicitur, qui nullum ex dentibus reliquum aetatis habet indicium, qui προβατογνάμων et ἀγνάμων dicitur. Κῶλος et ἀκωλήτωρ, qui eos dentes non amiſit. Δευτερόκωλος, qui ſecundum eos dentes proiicit. Πρωτόκωλος, qui primum. Petrus Creſcentienſis praetet indices iſtos, habere ſcaliones et molares, ait: fierique poſſe, ut nonnulli plures habeant: ſed tunc dentes eſſe duplices. Dentibus autem ad ſenectutem firmis utitur, quamvis duriſſimis cibis veſcatur, quod a calidis abſtineat, ſi Cardano credendum. Γνάθος et in homine maxillam denotat, dicitur tamen de equis potiſſimum. Eandem vel ſaltem proximam partem ψάλιον Hippiatri appellare videntur. Maximae illis maxillae, et a maximis moventur muſculis, quia proni erant ſumturi cibum. In *Corde* os aliquando reperiri, praeter Ariſtotelem, Plinius prodidit. *Fel* quidam habere dicunt, habere, ſuperjus citati et cum iis Abſyrtus negant. Hic tamen de fellis veſica in hepate intelligendum eſt, quam non habere ait; ſed quendam inhaerere ſolutiorem nervulum, in quem ſe genus hoc humoris inſinuet. Ruinus vero, qui Anatomen equi edidit, iſtiusmodi bilis receptaculum, a dextris hepatis eſſe ait, in ipſa cavitate plurimisque in ipſius viſceris ſubſtantiam, ramulis inſeri, atque adeo facillime ab omni bilioſo onere iecur exonerare; deponere vero etiam in duodenum inteſtinum: additque etiam, naturam in hoc animante, folliculo, ut in homine, et aliis animantibus, recludi bilem noluiſſe, quod cum animum habeat ſemper in patinis, voracitatisque modum nullum, ventrem quoque exonerare multo, quam alia cogatur frequentius, ideoque bilis ſtimulus ſemper in promptu adeſſe debeat. In *figura* hoc obſervandum tradit Ariſtoteles, quod pulli paulo ſubmiſſiores ſuis parentibus ſint, atque adulti caput attingere non poſſint, quod novelli facile faciunt. Proditur iis innaſci amoris veneficium, *hippomanes* appellatum, in fronte, caricae magnitudine, colore nigro, quod ſtatim edito partu devorat foeta, aut partum ad ubera non admittit. Id apud Ariſtotelem, Plinium, Theocriti ſcholiaſten, et alios invenies. Eſt et alterum, quod ex genitali equarum manat, cuius et Ariſtoteles, cum de immoderata equarum libidine agit meminit. Plinis, qui hoc equarum virus a coitu vocat, tantas habere vires, ait, in veneficiis, ut affuſum aeris miſturae, in effigiem equae Olympiae,

Ariſt. H. A. l. 6, c. 22.

Plin. H. N. l. 8. c. 42. Ariſtot. H. A. l. 2. c. 15 Plin. H. N. l. 11. c. 37.

Theophraſt. de animal. invident.

Plin. H. N. l. 8. c 42. et l. 24. c. 11.

Ariſt. Hiſt. An. l. 6. c. 15.

lympiae, admotos mares equos ad rabiem coitus egerit, quod etiam apud Pauſaniam et Aelianum invenies. Aelianus confundit cum hippomane pulium ſeu *pullium*, quod Ariſtoteli eſt πῶλιον, Plinio, teſte Hermolao Barbaro, polea, eſtque illud, quod equa prius emittit, quam pullum. Plinius eo nomine alicubi pulli aſinini fimum, quem primum edidit, intelligit. *Locum* ſi ſpectes, ubique fere locorum hoc animal invenitur. Paludibus et riguis gaudet et ipſa planitie: nec montes, modo rigui ſint, aſpernatur. Quin Columella, equorum gregibus, inquit, ſpatioſa et paluſtria, nec non montana paſcua eligenda ſunt; rigua, nec unquam ſiccanea, vacuave magis, quam ſtirpibus impedita, frequenter mollibus potius, quam proceris herbis abundantia. Locum paſcendis idoneum ἱππεφόρβιον vocant. Pompicus et bellator ſtabulo continetur. Id equile alii, Varro Equarium, Grapaldus proprie praeſepe dixit. Graecis ἱππών, ἱππώϛασις, ϛαθμὸς, φάτνη, ut Pollux annotavit. Heſychius et Varinus apud Lacones ἱππάκην dici tradunt. Lignum, ad quod capiſtris alligantur, vacerra nominatur. Plura de loco in Differentiis vide. Quantum ad *Cibum*, frugibus victitare, ideo inter ſapientiſſima animalia cenſeri inquit Plinius. Inter has praecipua ſunt, Hordeum, quod minus, quam, avena vel triticum inflat; et tum equus ἀκοφήσαι dicitur; quod hordeum Nicandro acoſte vocetur; Avena, cuius uſus apud nos ſuetus. Triticum, quod tamen Serapio reprehendit; Panis denique, qui in Anglia et alibi ex fabis et piſis in hunc uſum conficitur. Victitant tamen frequentius gramine et aliis propriumque hoc equorum alimentum. Melilotus ideo in Italia Trifolium Caballinum dicitur. Medicam herbam, quae in Media creſcit, praecipue equos nutrire, apud Strabonem habemus. Prima falx, teſte Ariſtotele, vitio datur, et cum faetida aqua rigatur, incommoda eſt. Quater autem recte, interdum ſexies demetitur per annum, ut Columella prodit. Ad maciem equorum nulla res tantum, quantum illa prodeſt. De *Cytiſo* haec Plinius. Datur animalibus poſt biduum ſemper, hieme vero, quod inaruit, madidum. Satiant equos denae librae, pauciores, minora animalia. Multis in locis vicia manipulatim collecta apponitur. Damaſci ervilia et ervum, ut Bellonius prodidit. Neceſſitas ut et alia apponerentur, coegit. Equi Caeſaris a Scipionis exercitu in Africa obſeſſi, referente Hirtio, alga e littore collecta, et aqua dulci elota nutriebantur. Pompeiani ad Dyrrhachium obſeſſi, foliis ex arboribus ſtrictis, et arundinum radicibus. In regno Senegae, ob aridam tellurem, phaſeolorum laceramentis et milio utuntur. Thraces, qui ad Strymona amnem habitabant, tribuli foliis. Parthi Hippace herba. Tartari arborum ramis et corticibus, herbarumque radicibus, ungulis e terra excuſſis. In provincia Aden piſcibus, quorum ibi ingens copia, ut apud Paulum Venetum legimus. Iidem ſiccati in Golconda provincia Perſiae apponuntur: quod et de Gedroſiis, Celtis, Macedonibus, Lydis, Paeonibus, qui Praſiadem paludem habitant, Aelianus et Herodotus prodidere. Arabes camelino lacte bis de die nutriunt. Vere tantum teneris herbis paſci ſinunt. *Potum* amant aquam, ſeu turbidam, ut Ariſtoteles voluit; ſeu limpidam ac frigidam, perennem ac profluentem, ut Vegetius: ſeu leniter fluentem et parum turbidam, ut Creſcentienſis, ſeu paluſtres, ut Baccius. Sunt, qui vinum praebuere, cum animoſos vellent. Sed et ſanis, verum macilentis, Columella propinat. Cereviſiam quoque et olim praebitam, ex Varino colligi poteſt, cui βόρταχος eſt avena, et ſecundum alios frumentacea equorum potio. *Aetatem* ſi attendamus. In huiusce animalis genere aetas longior maribus: legimus ſane equum ad usque ſeptuaginta annos vixiſſe. Iam illud non venit in ambiguum, quod in annum tertium et triceſimum generet, utpote qui etiam poſt viceſimum mittatur ad

Aelian. H. A. l. 3. c. 17. et 14. c. 18.

Columella R.R. lib. 6. c. 27.

Plin. H.N. l. 13. c. 24.

Hirtius de bello Africano.

Scalig. Ex. 206. 5.

Aelian. H. A. l. 14. c. 25.

Aetas.

Plin. H.N. l. 4. c. 42.

ſobolem reparandam. Notatum etiam advertimus, Opuntem nomine equum ad gregariam venerem duraſſe annis quadraginta. Annoſitatis proditum a veteribus indicium, ſi contracta armorum pellis lente explicetur: in iuvenibus ad ſuum ſtatim locum redit. Sunt, qui ex iuncturis caudae iudicent, ubi ex dentibus non amplius dignoſcitur. Quinquiennio equas finem creſcendi capere; mares, anno addito, a Plinio habemus. Addit Ariſtoteles, poſt, annis ſequentibus totidem creſcere in corpulentiam, et ad viginti usque annos pergere proficiendo: verum celerius foeminas, quam mares perfici. Salaciſſimum omnium animalium equum eſſe, Ariſtoteles prodidit. Hinc ἱππόβοτος, ἱπποπόρνης, ἱππεράστης et ἵππιος, ille inter homines dicitur, qui plus aequo veneri addictus eſt; et ἱπποµανὴς ille, qui more equini generis, furiis ad eandem agitur. Fa noſior tamen equarum, quam equorum ſalacitas. Ideo Poetae Cupidinem inter equarum armenta nat m fingunt: mulieresque libidine p rientes caballae, meretrices vero πῶλοι dicuntur. Has ſocietate coniunctas, olfactu mares dignoſcunt, etſi paucis admodum diebus una fuerint: quod ſi foeminae diverſae permiſceantur, mares alienas morſu expellunt, ſuasque ſinguli ſeorſim habentes, paſcuntur. Gravidas coitum pati apud Ariſtotelem legimus: Abſyrtus negat. An ſint homine ſalaciores, Gryllus apud Plutarchum in dubium vocat, quod capros, porcas, equas, iniverint viri, et foeminae inſano beſtiarum amore exarſerint: ad coitum vero nullum a beſtia ſollicitatum. Fuit tamen Athenis locus, qui diceretur ad equum et puellam, quod quidam Codridarum Hippomanes nomine, qui et poſtremus imperavit, filiam in loco quodam cum equo furibundo incluſit, quod clandeſtino concubitu virginitatem laeſiſſet, et equus puellae vim intulit. De *Aetate* coitui apta diverſa produntur. Coire incipere bimum, tam marem, quam foeminam, prodidit Ariſtoteles. Sed hoc in paucis fieri, et pullos imbecilliores eſſe: ut plurimum trimatu ſeu triceſimo menſe incipere, et proficere ſubinde ad prolis praeſtantiam in viceſimum usque annum: digne procreare poſſe, cum dentibus mittendis ceſſavere: ſed idoneum maxime tempus cum annum et ſex menſes complevere: iuniorum, aliquando pabuli bonitate et copia contingere. Plinius vero equas poſt tertium annum aut poſt unum ab enixu utiliter admitti putari ait, cogique invitas: domitas autem ſexaginta diebus equire, antequam gregales dici. In Hiſpaniola, ſi Petro Martyri credimus, decimo, poſtquam natae ſint menſe concipiunt, et geminos ſaepe unico partu excludunt. Columellae equa bima recte concipere poteſt; equus mas non trimo minor. Illa poſt decennium inutilis, quod ex annoſa iners proles prodeat, Sic ad viceſimum durat. Anatolius vult, ut admiſſarius (ſic latinis vocatur, qui ad prolem diligenter ſervatur, Graecis ὀχεῖον, ὀχευτὴς, ἀναβάτης, κήλων Hippiatricis, ut opus ipſum ὄχεια, et Proriga ille, qui admittit) ſit quinquennis, decimum quartum vero ingreſſus annum, ut conquieſcat. Prurire agnoſces, cum ſeſe colligere, caudam frequentius iactare, humorem e genitalibus geniturae ſimilem emittere, pluries etiam mingere, videris. Mas aliquando uno, aliquando duobus tribusve, aliquando pluribus diebus implet. Equa intermiſſo tempore, et melius quarto aut quinto anno interpoſito procreat. Omnino ſi nihil plus detur, unum tamen interponere annum, et quaſi novale facere neceſſe eſt. *Foeturae* initium ab aequinoctio verno ad ſolſtitium, locis calidis menſe Aprili, frigidioribus Maio. Sic, quia menſe duodecimo partum edit, circa herbeſcentem et temperatiſſimam anni conſtitutionem pariet. Elei finibus ſuis eductas iniri faciebant, quod ſexcentis experimentis cognitum haberent, mirae felicitatis prolem ſic provenire.

Generatio. Ariſtot. H. A. l. 6. c. 22.

Ariſtot. l. 4. de gener. animal. c. 5.

Ariſtot. H. A. l. 5. c. 14. et l. 6. c. 21.

Plin. H. N. l. 10. c. 63.

Columella R. R. l. 6. c. 28.

Mares

Mares matutinum tempus appetunt, foeminae poſt meridiem blandiuntur. Dantur et ſalacitatis irritamenta. Abſyrtus, uſtam cervi caudam cum vino terere, et genitalia illinire iubet. Alii cicer exhibent; nonnulli urticam ori indunt; pulverem teſticulorum equi in potu exhibent; deterſa foeminae ſpongia loca naribus admovent: ſcilla cum aqua ad mellis craſſitudinem contrita, naturam equarum cum menſes ferunt, tangunt: urtica vulvam perfricant: quidam denique fimo gallinaceo cum Terebinthina trito, partes oblinunt. Lybicae et Myſiae equae, tibiae cantu excitantur, et gravidae fiunt, ut apud Aelianum legimus. Genus tibiae Hippophorbum Pollux vocat: materia, laurus detracto cortice. Non omnes tamen concipiunt; nec omnes poſtquam concepere, edunt. Cuius rei indicium aiunt, quod foetus circum renes alia quaedam, ſpecie propemodum renum, ita continet, ut reſciſſus, quatuor renes habere videatur. Si, quot equae uni equo ſufficiant quaeras, Columella, nec minus, quam quindecim, nec rurſus plures, quam viginti, unum implere debere inquit. Ariſtoteles tricenas foeminas et paulo plures ſingulis maribus tribuit. Palladius aeſtimatis unius cuiusque admiſſarii viribus, pauca vel numeroſa coniugia ſubmitti conſulit: iuveni equo et viribus et forma conſtanti, duodecim vel quindecim adſcribit. *Concepiſſe* comperies, ſecundum Ariſtotelem, cum menſes ceſſarunt; ſecundum Abſyrtum, ſi marem reſpuat; ſecundum Plinium, quod colorem illico rubriore pilo, aut quocunque pleniore mutent. *Marem edituram* aiunt, ſi tertio ante plenilunium die admittatur; ſi tertio poſt, foeminam. Illum ſeminatum colligunt, ſi dextra admiſſarius deſiluerit; hanc, ſi ſiniſtra. Iuſta equa in Pharſalia dicebatur, quae ſemper ſimilem equo, cui coniuncta erat, produxit. Venpadocia idem fieri Auguſtinus prodidit; at Iuſtinus in fabulis id recenſet, Ariſtoteles fieri poſſe negat. Circa praegnantem quaenam facienda ſint, Oeconomi docebunt. Abortiunt, ſi fumigantis lucernae odorem perſenſerint, vel cum praegnantibus aſini coiverint. Annum, ſecundum plerosque, uterum ferunt, ſecundum Abſyrtum, undecim menſes et decem dies. Uteri durities in cauſa, ſi Ariſtotelem ſequimur. Facillime omnium quadrupedum partus edunt, et quidem erectae. Eumelus auctor eſt, cum tardius pullitium enititur, continuo parituram, ſi comprehenſas leniter nares conſtrinxeris. Pariunt magna ex parte ſingulos, aliquando gemellos. Vacat admodum a purgamentis in partu, minimumque emittit ſanguinis profluvium, pro corporis magnitudine. Cum peperit, ſtatim ſecundinas devorat, illudque fronti annatum hippomanes. Viſum prodiiſſe et hermaphroditos. Nero tales equas ex agro Treverico, carpento ſuo ſubiuges oſtentabat, ceu plane viſenda res eſſet, principem terrarum inſidere portentis. De *androgyno* Principalli Vicecomitis ita Cardanus. Unum habebat tantum teſtem proprio loco, cum mammis tumidis, ut equae habent. Inde vulvam proprio loco, et ex vulva penis emittebatur, non maior palmo, cum eum exereret. *Vocem* equi cum exprimere, Graeci volunt, χρεμετίζειν, et ἐπιχρεμετίζειν, φρυάττεσθαι, vel potius φρυάττεσθαι, ut Ammonius monet, dicunt; Latini fremere et hinnire. Vox ipſa, χρεμετισμός, βράχαλος, μιμίγμος vocatur. De eius mutatione ita Ariſtoteles. Equorum etiam voces, differre palam eſt. Foeminae enim ſimul ac natae ſunt, vocem exiguam mittunt ac tenuem: mares exiguam quidem et ipſi, ſed pleniorem tamen et graviorem, quam foeminae et indies maiorem reddunt. Bimus cum eſt, atque inire incipit, vocem magnam gravemque mas mittit: foemina maiorem, quam ante et clariorem, uſque ad vigeſimum aetatis annum, magna ex parte: ſed

Aelian. H. A. l. 12. c. 44.

Columella R. R. l. 6. c. 27.

Columella l. c. Varro R. R. l. 2. Plin. H. N.

l. 8 c. 42. Solin. Poly hiſt. c. 36 Auguſt. de Civit. Dei l. 21. c. 5.

Plin. H. N. l. 11. c. 47.

Cardan. de rer. var. l. 7. c. 33.

Vox.

ſed ab hoc tempore imbecilliorem tam mares, quam foeminae reddunt. Qui nunquam in aliorum equorum turba hinnit, hunc mutum eſſe ſcribit Mizaldus. Motus. Cum incedunt, ſonitum edunt, pedibus terram pulſantes. Inde Latinis ſonipedes, Homero ὑψήχεις, quaſi altiſoni dicuntur. Cardan. de Var. Rer. l. 13. c. 3. Quoniam poplites non adeo flectere poſſunt, aſcendendo magis fatigantur, et lapſi, maiore cum impetu ruunt: deſcendendo, quod quatuor habeant crura, magis contra pondus obnituntur. Agilitatem et epitheta, quae apud auctores occurrunt, et exempla teſtantur. Homero ὠκύποδες, ἀερσίποδες, ἀελλόποδες, ταχύποδες, ἐλαφρόποδες etc. vocantur. Oppianus, tantae Iberos, ſcripſit eſſe celeritatis, ut ſolae cum eis Aquilae, aut Circi accipitres comparari poſſint. Perſei Pegaſus alatus fingitur. Sarmatas longinqua facturos itinera, etiamſi nihil offerrent pabuli, per centena et quinquaginta milliaria inſediſſe, non nemo prodidit. In Arabia, ſi Vartomanno credimus, citatiſſimo curſu diem ac noctem integram nunquam ceſſant. In Alanico bello captum a Probo Principe memorant, qui unius diei ſpatio centum obiret milliaria, vel in decimum haud interpellato labore. Caeterum *an equi equabus, aut vice verſa velociores ſint*, disquiritur. Homerus equabus Pheretiadis palmam tribuit. Menelai Aetha pernicisſima erat. Horat. l. c. Car. od. 16 Horatius quoque equum, quam equam quadrigis aptiorem dicere maluit. Equas inter currendum urinam emittere Plinius dixit. Crauxidae equa octava Olympiade omnes vicit deſultorios. Plin. H. N. l. 15. c. 21. Heeratitis Theſſali (Echecratidem Plinius vocat) praegnantem equam Olympia viciſſe invenimus. At Oppianus mares ad venationis uſum praeſtare tradit; foeminas minus celeres ad longos per nemora decurſus. Aldrov. p. 40. *Quid equus admiſſus* Ciceroni ſit, in Aldrovando vide. Imminuitur, imo deperditur celeritas, ſi otio domi marceſcat. Quamobrem Antigonus Rex cum ſuo equitatu obſeſſus, cum exercere equos propter loci angu-

ſtiam non poſſet, eorum capita loco ſubſtrinxit altius, quam ut prioribus pedibus terram poſſent attingere: deinde cogebat ipſum equitatum poſterioribus exultare ac calces emittere; qui motus non minus ſudorem excitabat, quam ſi terrae ſpatium decurriſſent. Ex putreſcentium medullis evolare veſpas, notiſſimum. *Naturam* ſi ſpectes, φορβάδες quoque ſunt, ſeu ἀγελαῖοι: bibunt ſorbendo, et os profundius aquae immergunt, quod audaciae inſcribitur: animum et os ſemper in patinis habent, et facilius ſitim, quam famem tolerant: equae crebrius mingunt, et per menſes purgantur: plus excrementi ſicci, quam humidi, quod ſiccis magis veſcantur, egerunt: Spumant, ſi curſu defatigentur, cuius cauſam Galenus exacte prodidit; ſomniant de iis, quibus aſſuevere: dormiunt plerumque ſtantes, canterii magis, qui quod caſtrati ſint, ſomniculoſiores videntur. Cum iraſcuntur, canum modo dentes denudant mordentque: blanditiis maxime deliniuntur: pullos vehementer amant: Hinc factum, ut Darius equa conſcenſa, quae domi pullum habebat, ex praelio ad iſſum rebus ſuis inclinatis evaderet: et Tartari, praedae gratia regionem quandam, in qua multo per annum tempore ſol non apparet ingreſſuri, pullos in limitibus relinquunt. Sic enim equae nocturno itinere diligentius obſervato, recta ad ſuos pullos in reditu contendunt. Rara denique, ſed nota equarum rabies eſt, ut, cum in aqua ſuam viderint imaginem, amore inani capiantur, et per hunc oblitae pabuli, tabe cupidinis intereant. Mentis error diſcutitur, ſi deducas ad aquam detonſa iuba: tum demum ſpeculatae deformitatem, priſtinae imaginis aboletur memoria. Lycoſpadas equos maxime dare operam, ut aurigis ſuis formoſi videantur, Aelianus prodidit. Ad *ſenſus internos*, ingenium, docilitas, memoria, amor et fides erga dominum, pudicitia, et magnanimitas pertinent. *Ingenio* debentur, quod inimicos partis ſuae norunt, adeo

Natura. Galen. in Aphoriſ. ſ. 2. 45. Paulus Venetus l. 9. c. 47. Aelian. H. A. l. 16. c. 24. Senſus interni.

ut

ut inter praelia hoſtes morſu petant: quod rectoribus perditis, quos diligebant, mortem fame accerſant: quod auribus, quae audivere indicent: et quod equitationis peritum agnoſcant. Bucephalus Alexandri, accepto regio ſtratu, neminem unquam alium praeter dominum vehere dignatus eſt, et vulneribus altis in praelio acceptis, non prius concidit, quam dominum extra periculum depoſuiſſet. Equum Caii Iulii Caeſaris nullum praeter Caeſarem dorſo recepiſſe, Solinus et Suetonius auctor eſt. Cuiusdam medici Pannonici praeſoribus ſolutus, etiam per integrum diem, donec ab aegris rediiſſet, expectabat, adventanti gratulabundus occurrebat. Choreas tripudiaque *edoceri* Sybaritarum exemplo notiſſimum, qui eo devenerant dementiae, ut in ſympoſiis equos ad tibiam ſaltare docerent. De illo vero, quem Scaliger vidit, ita idem. Equum puſillum deformem circumducebat agyrta quidam, cuius iuſſu atque etiam loco interdum ille omnia faceret; ambulare, ſuccuſſim properare, currere, ſaltare, vel quadrupes, vel bipes. Vinum bibere vidimus, in clunibus ſedentem, anteriores pedes ad pateram ferri, pelvim ſive malluvium cruribus ſuſtinere, quaſi a tonſore lavaretur; qualem pictum videmus aſellum cucullatum: humo ſe ſternere, porrectum atque proiectum iacere, ciliorum compreſſione annuere, caput ad heri nutum attollere, in terga vertere, ſupinus oſtendere, quo corporis ſitu mulier ineuntem admittat virum. Stabulum agnoſcere, et ſponte domum reverti, notum. Ideo Galba, cum de equi poſſeſſione disputaretur, velatum duci ad flumen praecepit, et, ubi bibiſſet, amoveri velum oculis, ut ſtabulum petere poſſet. Deuxippi equus ita erat edoctus, ut et ſine habenis ocyſſime ferretur, et illo pedetentim procedente, placidiſſime ſtaret. Nigritarum quoque equos non aliter dominos ac canes ſequi, Strabo auctor eſt. In ventre cubare edoctos a larcis, apud Herodotum legimus. Nervam in Parthia equus adorabat. Lutetiae alter Reginam Ludovici XII. coniugem genibus flexis ſalutabat. Circulos ligneos tranſiliiſſe, more canum, ſaltuatimque vivaciſſima pernicitate ſeſe gyrando revolviſſe, Venetiis anno MDCXXXVI. vidimus. *Memoria* valere inprimis tubae ſonus indicat, quo audito, aures arrigit, nares inflat, hinnit, frena cum ſtrepitu rodit, pedibus terram quatit, loco manere difficulter poteſt. Paraſitus etiam quidam apud Tzetzem, cum equo veheretur curili, prandio fruſtratus eſt, quod equus, cum in columnam metae forma incidiſſet, circum eſſe putans, usque ad veſperam circum eam ſe flexiſſet, cum impetu ſemper currens. Taceo, quod Tholoſſanus de equo cuiusdam Epiſcopi ſcribit, quem frater eius ita adſueverat, ut quoties verba: Deus in adiutorium meum intende, audiret, ſaltibus crebris ſe extolleret. De *amore*, *gratitudine et fide erga dominum*, quorundam exempla teſtantur. Antiochi equus, occiſo in praelio domino, ſe et ſuum ſeſſorem Centeretrium Gallum praecipitem dedit. Scytharum reguli, hoſtem, cum victor ad ſpoliandum veniſſet, ictibus et morſu confecit. Dionyſii, ab eodem in coeno relictus, ut apud Plinium ex Philiſto legimus, ut ſeſe exemiſſet, veſtigia domini ſecutus eſt, etſi apum examen tergo haereret. Homerus Patrocli equos fleviſſe dicit, Virgilius Pallantis, Caeſaris Suetonius, ſuum Aſturconem Cardanus. Plinius quoque, eo affectu plaerosque equorum in dominos eſſe, ut affectos lugeant, lacrymasque interdum deſiderio fundant, tradidit. Interfecto Nicomede Rege, equus eius vitam inedia finiit. Idem de Soclis iuvenis Athenienſis equo, poſtquam ab eo venditus fuiſſet, dicitur. De *Pudicitia* apud Aelianum, Varronem et alios invenies. Plinius ita breviſſime: alium, inquit, equum, detracto oculorum operimento, et cognito cum matre coitu, petiiſſe

Sueton in Caeſare.

Scaliger Exercit. 209. ſ. 1.

Suidas in ἵππος.

Plin. H.N. l. 8. c. 42.

Plin. l. c.

praerupta atque exanimatum. Equam eadem ex cauſa in Reatino agro laceratumque pariter aurigam invenimus. Namque et cognationum intellectus in iis eſt: itaque in grege prioris anni ſorore, libentius etiam, quam matre, equa comitatur. De pulli ex inceſto domini concubitu nati zelotypia, vide Aldrovandum. De *Magnanimitate* idem prolixe agit, ſufficiat dixiſſe, quod Plinius habet, nempe, Equorum iubas tonderi praecipere, ut aſinorum in coitu patiantur humilitatem: comantes enim gloria ſuperbire: inventi quoque, qui ſine auriga certamen viciſſent. In circo, inquit Plinius, ad currus iuncti, non dubie intellectum adhortationis et gloriae fatentur. Claudii Caeſaris ſecularibus Circenſibus, excuſſo in carceribus auriga, albatos equos palmam occupaſſe, oppoſita effundentes omnia, quae contra aemulos debuiſſent, perito auriga inſiſtente, facientes: cum puderet hominum artes ab equis vinci, et peracto demum legitimo curſu ad metam ſtitiſſe, moxque ſubiungit. Maius augurium apud priſcos, plebeis Circenſibus excuſſo auriga, ita, ut ſtaret, in Capitolium cucurriſſe equos ſedemque ter luſtraſſe: maximum vero, eodem perveniſſe ab Veiis, cum palma et coronis, effuſo Ratumena, qui ibi vicerat: unde poſtea nomen portae eſt. Phidoti Corinthii etiam equa, cui Aurae nomen, apud Pauſaniam, ab ipſis ſtatim carceribus ſeſſore ſuo collapſo, et curſum priſtinum aeque, ac ſi rectorem haberet, retinuit, et circa metam ſe convertit: audito vero ſono tubae ad curſum concitata eſt vehementius: cumque ad ludorum praefectos antevertiſſet, iam quaſi victoriae ſe compotem intelligens, conſtitit. *Sympathiam et antipathiam* ſi attendas, ſingularis equo cum gallinis et otide amicitia: cum *camelo*, *elephante*, *lupo*, *urſo*, *leone*, *ſue*, *ovibus*, *aſino*, *ſerpentibus*, *tracburo*, *piſce*, *phoca*, *pomis et ficubus*, *bordeo quodam*, *gentiana*, *colore atro*, et cadaveribus, inimicitias exercent. *Camelos* cum Cyrus equitatui Craeſi oppoſuiſſet, in fugam equos coniecere. Xerxes Arabes camelis uſos, ultimos in exercitu locavit, ne equi conſternarentur. In bello Tarentino elephantorum tum magnitudine, tum deformitate, et novo colore ſimul ac ſtridore conſternati equi, cum incognitas ſibi belluas amplius, quam erant, ſuſpicarentur, fugam ſtragemque late dederunt. Caeſar ingentem fluvium in Britannia traiecturus, conſcenſo elephante, equos Britannorum terruit. Ne tympana quidem ferre poſſe, ſi ex pellibus vel elephantis, vel cameli, vel lupi facta fuerint, a Porta auctor eſt. Rumpi eos traditum eſt, teſte Plinio, qui veſtigia *luporum* ſub equite ſequuntur, ſi calcaneum equi quadrigam trahentis conculcent, ſiſti, tanquam cum quadriga conglaciati eſſent, apud Aelianum legimus. Nunquam tranſituros equos, ubi lupi inteſtina ſint defoſſa, Pierius Valerianus prodidit. Dentes vero maximos, infatigabilem curſum praeſtare equis dici, ſi eis alligentur, Plinius auctor eſt. De Lycoſpadis et Lycophoris equis in Differentiis agemus. *Vrſos* in ſolitudine tympano ex equi pelle confecto, terreri, Portae quoque debemus. Caſtrati *leonem* nulla ratione accedunt, dextrarii ſeu non caſtrati adoriuntur. *Oves* ſi ſtabulo, in quo mulae, equi, aut aſini ſteterunt, facile in ſcabiem incidunt. Rudentes *aſini*, in Darii contra Scythos expeditione, equos perturbarunt. De *ſerpentibus* Silius Italicus prodidit. Cauda *tracburi* ventri equae appenſa, abortum procurat, ſi Aeliano credimus. *Phocae* aſpectum ferre nequeunt. Animo linquunrur, ſi aut mala aut ficus doſo comportarint; exanimati, panis obiectu revocantur. Hordeo illo abſtinent, quod in quodam, circa Scytharum et Medorum dictam Thraciae regionem, loco, provenit. In rabiem aguntur, ſi laſere nares illiveris. Gentianam abortus equabus cauſam eſſe, Geſnerus exquodam ſene audivit. Securidacam

Plin.H.N. l.8.c.42.

Herodot. Hiſt. l. 1. p. 15.

Plin.H.N. l.20. c.20.

Plin.H.N. l.28. c.19.

Columella R.R.l.6. c.30.

Aelian.H. A. l. 13. c.27.

Plutarch. Symp.l.6. p.8.

cam ſi calcaverint, ſoleas exuunt. Si equi ex Sybari flumine biberint, ſternutamentis exagitantur: ſi ex Coſſinire Thraciae, quod in agrum Abderitarum defluit, in rabiem aguntur. Idem de puteo haud procul a Potniis Baeotiae urbe dicitur. Equum Catonis in Maurum aterrimum, aterrimis armis indutum, calcaribus adactum, ſeſe inferre recuſaſſe, Silius Italicus teliquit. A cadaveribus abhorrere, apud Homerum habemus. Maximus quidem equorum in cibis, medicina, bello, venatione, itineribus, triumphis, et aliis uſus eſt; nos tamen, quo loco duntaxat in *Cibis* et *Medicina* habendi ſint, videbimus. *Carnibus* uſos non tantum obſeſſos, quod in Veronenſi ſub Maximiliano I. Novarienſi, ſub Ludovico Aureliano, Rupellenſi, ſub Ludovico XIII. Gallorum Rege Chriſtianiſſimo, ut alia taceam, factum, ſed et gentes, apud auctores habemus. Notum eſt, Nomadum, Scytharum, Sarmatarum, et Tartarorum modernorum nomen. His volupe, vulnerare incidereque equos, carnibusque etiam ſemicrudis veſci: caballos pridie tum ſponte, tum morbo abſumtos, exciſo loco apoſtematis comedere; eorundemque reges, ſi quando commeatum ſuis diſtribuerent, quadraginta hominibus equum unum dare ſolebant. Sed et apud Perſas, in conviviis die cuiusque natalis, aſſi toti apponebantur: a Germanis vero tam agreſtes quam, domeſtici caballi, tam diu comedebantur, donec a Gregorio III. abrogaretur. Ab Alpinis populis pullos edi, Bruierinus ſe audiviſſe refert. Fuit et *Sanguis* in deliciis. Plinius ſane Sauromatas e milio, maxime pulte, et cruda etiam farina ſanguine e cruris venis admixto vivere, prodit. Miechovius vero et Paulus Venetus, equitantes ſi fames invaſerit, ſitisque moleſta fuerit, venas aperire, hauſtoque eorum ſanguine, famem ſitimque pellere, reliquerunt. Gaviſos eodem Cancanos, qui ſecundum quosdam Virgilio Biſaltae, ſecundum Acronem et Porphyrium Hiſpaniae gentes, apud Horatium habemus. De *Lacte* nullum dubium. Scythae namque liberis ſtatim atque nati ſunt, lac equinum porrigunt. Inde Hippomulgorum, et Galactophagorum nomen. Idem Soli exponunt, ut craſſior pars ſubſideat, mox ferveſaciunt. Evadere produnt, ut vinum album eſſe putetur. Moſchi vero olim Tartarorum ſervi, potum lactis equini illis tributum petentibus per ducem ſuum in itinere offerre conſueverant. De Hippace quid ſit, inter ſcriptores non conſtat. Hippocrates, Dioſcorides, et Plinius, caſeum eſſe ſcribunt, quem ille virus redolere, et bubulo proportione reſpondere, adiicit. Alii equinum coagulum eſſe credunt. Theopompus Scythicum ex lacte equino, edulium eſſe ſcribit. Ut ut ſit, hac et glycyrrhiza, undecim et duodecim dies vitam tolerari apud Theophraſtum legimus: plurimam temporis partem caſeo equino uſos Hippocratis teſtimonium eſt. Nec eſt, quod quisquam illud miretur; cum Zoroaſtrem interdum ſolo lacte ſex menſes transegiſſe, quod de quodam alio Athenaeus narrat, referant. *Medicinam* quod ſpectat, habet in ea locum, *lac, ſerum, ſanguis, axungia, coagulum, dentes, lingua, os de corde, iecur, teſtes, fel, pili, ungulae, ſudor, ſpuma, ſaliva, urina, et ſtercus.* *Lac* maxime perpurgat, ut purgare Dioſcorides tradit. *Serum* ad ulcera renum perpurganda, conducit, ſi Aetio credimus; illud nempe, quod per decoctionem ex lacte ſeparatur. Rhaſis mulierem, quae non concipit, ſi lac equinum ignorans biberit, et mox cum viro congreſſa fuerit, concepturam ſcribit. Invenio et apud Plinium, vulvas collutas iuvari eodem lacte. *Sanguis* ſepticus eſt: Equarumne, quae admiſſuram expertae ſunt, an vero marium ὀχευτῶν, quod Hermolao Barbaro placet, vel equorum utriusque ſexus, quod Plinio, experientia dirimere poteſt. Eundem Plinius regio morbo prodeſſe ſcribit: et hippiatri eodem ad diverſos morbos utuntur. Phragmaticum de matrice detractum, cum oleo vinoque tepe factum, et toti iumento contra pilos inunctum, curat. *Fel*, maleficae naturae eſt, ſi Plinio

Vſus.

Vſus in Medicina.

Cromerus Hiſtor. Polon. l. 19.

Hippocr. l. 4. de morbo.

Plin. H. N. l. 28. c. 9.

Theophr. H. P. l. 9. c. 18.

Dioſcor. M. M. l. 2. c. 75.

Veget. l. 4. c. 17.

Bruier. l. 13. c. 40.

Plin. H. N. l. 18. c. 10.

Horat. l. 3. Carmin.

nio credimus, qui tantum inter venena damnari tradit, ut ideo flamini ſacro equum tangere non liceret. *Axungia* ſuffumigata, partum mortuum, ſi Sexto credimus, foras eiicit, et ſecunda ſequitur. Medulla unguentis ad ſpaſmum miſcetur. *Coagulum* inter dyſenteriacorum et coeliacorum remedia cenſeri, Dioſcorides, Galenus, Avicenna, et Haly auctores ſunt. *Dentium* farina verendorum vitiis inſperſa medetur. Qui primi equo cadunt infantibus adalligati dentitionem facilem praeſtant, idque efficatius, ſi terram non attigere, ut Plinius prodidit. Sextus eos, ſi dentem, qui doluerit, tetigerint, remedio eſſe ſcribit. Nam et infans, addit, ſi equi roſtrum baſiaverit, dentium dolorem non ſentit, et nec equus mordebit infantem. *Lingua*, ex vino inveterata, ad lienem praeſentaneo remedio ſedandum datur, ſi Caecilio Bioni apud Plinium fides. *Os de corde*, dentibus caninis maxime ſimile eſt. Hoc ſcarificari dolorem, aut exemto dente demortui equi maxillis ad humerum eius, qui doleat, demonſtrari, Plinius auctor eſt. *Iecur* theca cedrina repoſitum, dein vino Chio et aqua dilutum, ne iecur amplius exedatur, efficit. *Lien* ex aqua dulci potus, mortuum partum eiicit, apud Plinium. *Teſticuli* aridi hauſti Venerem ſtimulant. *Lichenes* in genibus, et ſuper ungulas inflexu harum partium indurati *calli*, triti et in aceto exhibiti, comitialibus proſunt, ut Dioſcorides, Galenus, et Plinius, ſcribunt. *Pilus* ad oſtium domus alligatus, ne culices, aut cniphes per oſtium involent, prohibet. Id Rhaſis et Albertus prodidere. In inguinum ulceribus equi Setae tres, totidem nodis alligatae intra ulcus, remedio ſunt. Eorundem ex capite et femine cinis, ſanguinis profluvium ſiſtit. Pilo circumligato verrucae tolluntur, quod propter adſtrictionem alimento privatae areſcant. *Ungularum* cinis cum oleo et aqua illitus, panos et apoſtemata, in quacunque parte diſcutit: ſed et ſtrumas, ſi urina calefacta admiſceatur. Ex vino et aqua potus adverſus calculos prodeſt. Suffitus partum deturbat. Ramenta per nares equo infuſa, urinam eiusdem promovere, Hierocles ſcribit. *Sudor* cum urina in balneo bibitus, tineas et ſerpentes e ventre hominis exigit, ſi promiſſis quorundam credendum. Miſtus cum vino et a gravida potus, abortum facit. Si cultelli vel gladii calefacti eum imbiberint, inficiuntur adeo, Alberto prodente, ut locus ab eis vulneratus, ſanguine, ante mortem animantis, manare non deſinat. *Spuma* equi recens detracta, et cum oleo roſaceo infuſa, auricularum, quamvis vehementes dolores reſolvit. Eadem, Marcellus, ſi ab equitando vexata fuerint inguina, aut intertrigines doluerint, fricari tanquam praeſentaneo remedio, iubet. Ex *Saliva* commendat Geſnerus, in fervido faucium malo, quod aeſtate nonnunquam, peſtilenti lue, in milites inprimis graſſatur, remedium. *Saliva*, inquit equi, *avenam aut hordeum paſti, os aegroti diligenter colluitur: deinde ex cancris vivis contuſis, humorem exprimes, eodemque rurſus lavabis. Quos ſi vivos habere non potes, pollinem de cancris aridis in clibano toſtis inſperge: poſtquam equi ſaliva abluveris.* Phthiſicis iam deſperatis, ſalivam vel ſpumam cum aqua calida per triduum dabis. Aeger ſine cunctatione ſanabitur; ſed equus morietur. Id a Plinio, Marcello, et Sexto proditum habemus. De *Vrina* et *Stercore* hoc dixiſſe ſufficiat: illam aquae ferrariae ex officinis contra comitialem morbum miſceri: hoc, ad colicam in vino albo decoctum, contra ſcorpionum ictus, et fluentem ventrem in aqua, Dioſcoridi, Plinio et Sexto adhiberi. Recens naribus admotum, ſanguinem reprimit, inprimis ſi cum creta et aceto acerrimo agitetur. Cum putaminibus ovorum in cinerem redactum, miſtum, ne ex vulnere immodice fluat, prohibet. *Anhelitum* praeſervare a peſte quorundam commen-

Galen. de Euporiſt. l. 2. c. 38.

Geſnerus de Equo.

mentum eſt. *Differentiae ſeu Genera* equorum varia ſunt: praecipua, *a locis*, *partibus*, et *quibusdam accidentibus* ſumuntur. A *locis* equi ſunt, *Acarnanici*, qui maximi fuiſſe dicuntur. Unde in proverbium de re maxima ceſſere. *Aethiopici*, quos feros credo, et pennatos, et cornibus ornatos ferunt: male a calore habentur. *Agrigentini*, qui olim ad agones Graeciae mittebantur, et victores recedebant. *Alanici*, qui veloces et robuſtiſſimi. Probi tanta celeritate fuiſſe perhibetur, ut diurnis ſpatiis centum obiret milliaria, vel in decimum diem haud interpellato labore, ut diximus. *Angli*, quorum bona pars non ſuccuſſat, ut Polydorus Virgilius prodit. *Apamienſes* in Syria, ubi ſupra triginta millia alebantur equae, et emiſſarii trecenti. *Apuli*, quos Varro laudat, et Volaterranus bello aptiſſimos facit. *Arabes* celeritatis equae inprimis tantae, ut per diem noctemque circiter centena milliaria itineris conficiant, ſi Vartomanno credendum. *Arcades*, a quibus ideo Arcadia ἱππόβατος, equis et aſinis admiſſariis ad mulos procreandos clara erat. *Armenii*, qui a Parthis genus ducunt, niſi quod capite ſint graviores, ideo βαρυκέφαλοι Abſyrto. *Auſtures*, ſeu *Aſturcones*, quibus forma minori praeditis, mollis eſt alterno crurum explicatu glomeratio, fuere olim in pretio: ſed bellis apti non ſunt. *Attici*, qui Sophocli praeſtantiſſimi. *Barbari*, qui ex regno Tunetano, et Numidia habentur, ſunt perniciſſimi. *Bengalenſes*, qui tam duras ungulas habent, ut ferreis ſoleis non indigeant, utcunque per ſaxa et montes currant. In Biſnagar quadringentis aut quingentis nummis aureis venduntur, octingentis quandoque, quod aliunde advehantur. *Britones*, qui cruribus et auribus ſunt mutili. *Burgundiones*, qui iniuriae tolerantes. *Calabri*, qui itineri peragendo aptiſſimi. *Cappadoces* omnium fere optimi. Solebant incolae Perſis mille quingentos annuatim perſolvere. *Caraiani*, qui a mercatoribus in Indiam ducuntur, et quibus incolae auferre de oſſe caudae nodos duos vel tres ſolent, ne ſeſſorem feriant. *Celtiberi*, ὑπόψαροι ſubalbidi, in exteriorem Hispaniam traducti, colorem mutant. *Cilices*, quorum trecenti ſexaginta albi Dario pendebantur. *Corſici*, qui breves admodum, ſed generoſi. Procopius tradit, paulo ſupra oves magnitudine eſſe. Alii, niſi clauſis obequitari oculis, addunt. *Cretenſes*, elatioris animi, et qui acceſſum aegre ferunt. *Cyrenaici*, ilibus ſubſtrictis et parvis, pedibus bonis, longiore inter equitandum animae ductu, magnitudine pollent. *Daci* perniciſſimi, quibus iuba ab armis ad terram usque, cauda prolixa, caput parvum. *Dani* ſpecioſi, et viribus clari. *Oelandi* ex Gothici maris inſula, totius orbis minimi, ſed perdociles. *Elei*, qui a pernicitate laudabantur. Incolae equas finibus ſuis eductas iniri faciebant, quod eſſet experimento cognitum, mirae felicitatis prolem inde provenire. *Epirotici*, qui mordaces et perverſi. Apud Elidem palmas merebantur. Nunc *Albanos* vocant. *Frigiſci*, quos non minus velocitate, quam continuatione curſus, invictos commendat Vegetius. *Germani*, qui plerumque ſuccuſſatores. *Tranſylvani*, qui docilitate ab aliis vincuntur: curſu vero iugi et longo nulli cedunt. *Graecanici*, quos Abſyrtus ſcribit, pedibus bonis fultos eſſe, vaſto corpore, capite venuſto, ardua antica parte ſtatura, concinnoque corpore, ſed clunium comgago incommoda, nec reſpondens, pernices et animoſos. *Hetruſci*, arguto capite, et denſa iuba. *Hiſpani*, qui teſte Abſyrto, magno ſunt corporis habitu, concinno et erecto, eleganti capite, compage corporis luculenter dividua; ſed adſtrictis clunibus, itineribus obeundis pares et robuſti; corpore nec gracili, nec ad maciem opportuno; caeterum ad curſum habiles, qui in equitatione calcaribus non incitantur. Quin et ab ortu ad integram usque aetatem morati et obſequentes: deinde improbi et morda-

Polydor. H. Angl. l. 1. Strabo Geogr. l. 16.

Martial. Epigr. l. 14.

Santius Hiſt. Hiſp. p. 1. c. 2.

ces fiunt. Tantam eorum fidem, eorum fidem, Rodericus Santius ait, ut, cum ſe percuſſos in bello ſentiunt, ſeſſores ſuos incolumes extra praelium reponant. *Ianettos* vulgo vocant. *Hollandi*, auſtrales inprimis, lacertoſi ſunt. In Friſia generoſi, toroſi, & panopliae ferendae idonei. *Hunniſcis* eſt ſecundum Vegetium, grande et aduncum caput, extantes oculi, anguſtae nares, latae maxillae, robuſta et rigida cervix, iubae ultra genua pendentes, maiores coſtae, incurva ſpina, cauda ſilvoſa, tibiae validiſſimae, parvae baſes, plenae et diffuſae ungulae, ilia cavata, totumque corpus anguloſum, nulla in clunibus arvina, nulli in muſculis tori, in longitudine magis quam altitudine ſtatura, propenſior venter exhauſtus, oſſa grandia, macies grata et quibus pulcritudinem praeſtet ipſa deformitas. Animus moderatus et prudens, vulnerum patiens. Hunnicos alias vocant: forte ſunt Ungarici, ſeu Pannonii, quibus Camerarius dentes cadere negari ait. *Iberi* Oppiano ſunt celeres, ſed curſus celeritatem pauca emenſi ſtadia amittunt, corpore venuſto, ſed ungula minus ſolida. Forte ſunt diverſi ab Hispanis, et ex Iberia inter Armeniam et Colchidem ſita oriundi. Oppianus tamen eosdem facit. De *Indicis* dicit Aelianus, difficulter currentes coerceri, niſi ab iis, qui a prima aetate in equeſtri ſcientia inſtituti ſunt. Hi currum in orbem verſare plane norunt. *Inſubres*, ſunt ardua prae caeteris cervice, et micantibus oculis. *Iſtrii*, proceri, individua ſpina cavaque. *Lybies*, corpore oblongo, coſtis et lateribus craſſioribus, et ampliore ad rectum impetum pectore. Solis aeſtum et ſitim meridianam facile tolerant. *Maſſaeſyli* ſunt parvi et celerrimi, et ſola virga reguntur, quod et de Mauris dicitur. *Menapii* ſeu Geldri, Germanicorum equorum ſoli bellatores, et ideo in pretio. Eosdem et *Sicambros* dici volunt. *Moſci* ſoleis carent, ut Herberſteinius prodidit. *Murcibii*, vix ora tenacia ferro concedunt. *Neapolitani*, ſunt animoſi, ſpecioſi, et robuſti. *Nigritis* ob aeſtum nimium fere nulli. Idem facit, ut eorum inguina intumeſcant, ne meiere poſſint. Pro foeno utuntur faſelorum laceramentis, ſole exſiccatis: loco avenae, milio. Pro equo phaleris et reliquo ornatu inſtrato, dant mancipia novem, ad ſummum quatuordecim. *Niſaei*, quos maxime, Oppianus facit omnium pulcerrimos, greſſu molli, et freno faciles, capite parvo, iuba longa et multa, comis utrinque demiſſis, ſubflavis. Medicos fuiſſe Stephanus et Ammianus Marcellinus teſtantur, qui et Neſeos vocant. Viginti millia quotannis ad Regem Perſarum mitti fuiſſe ſolita, ſub tempus, quo feſtum Mithrae celebrabatur, Strabo auctor eſt. *Norvegia* mediocris magnitudinis alit, ſed admirandae fortitudinis et pernicitatis, in ſaxoſis viis, eosdem. *Numidici*, neque hordeum, neque triticum guſtant, ſolo gramine et foeno contenti. *Parthi*, teſte Abſyrto, magno et amplo ſunt corpore, Oppiano βαθυπλοκαμοι id eſt comam geſtantes denſis cincinnis nexam. De *Perſicis* ita Vegetius: Perſis et ſtatura et poſitio a caeteris equorum generibus non plurimum differt, ſed ſolius ambulaturae quadam gratia diſcernuntur a caeteris. Gradus eſt minutus et creber, et qui ſedentem delectet et erigat, nec arte doceatur, ſed naturae velut iure praeſtetur. Inter tollutarios enim et eos, quos totonarios vulgus appellat, ambulatura eorum media eſt, et cum neutri ſint ſimiles, habere creduntur ab utrisque commune. In brevi amplius gratiae, in prolixo itinere ſaevior patientia, animus ſuperbus et niſi labore ſubiugatus, aſſidue adverſus equitem contumax, tumens, prudens: et quod mirum eſt, in tanto fervore, cautiſſime decoris eſt obſervator: incurvata in arcum cervix, ut recumbere videatur in pectore. Inter *Pharſalicos* equam fuiſſe aſſerit Ariſtoteles, nomine Iuſtam, quae pullos pareret omnes admiſſariis equis

Oppianus Cyneget. l. 1.

Aelian. H. A. l. 13. c. 9.

Oppian. l. c.

Ariſtot. H. A. l. 7. c. 5.

equis ſimiles. Unde forte ei nomen factum. *Poloni*, ut ſcribit Cromerus, partim ob pernicitatem et laboris incommodorumque tolerantiam, partim propter molliorem in ceſſum, a remotioribus expetuntur.

Aelian. H. A. l. 16. c. 37. Apud *Pſyllos* arietibus non maiores eſſe Aelianus nugatur. Qui ſint *Saphareni*, quorum ſimul cum Armeniis Vegetius meminit, poſtquam

Veget. in Veterinaria. Perſicos laudaſſet, apud neminem reperitur. Ego a Saphara Arabiae felicis oppido in mediterraneis, cuius apud Plinium mentio, quodque Ptolomaeo σαφάρα dictos puto. *Sardi* laudatiſſimi ſunt, cauda procera atque lata, iuba brevi, ungulis a finis, lacertoſo corpore, arrectis auribus, ſi bene Stradanus expreſſit. *Sarmatici*, genus equorum eſt, teſte Abſyrto, non inelegans, et in ſuo genere concinnum, ad curſum idoneum, ſimplex, grandi corporis habitu, valido capite, cervice decora. Caſtrantur, ne aut foeminarum viſu exagitati raptentur, aut ſubſidiis ferocientes, prodant hinnitu denſiore vectores. Plinius hoſce populos, cum longinqua acturi ſunt itinera, inedia pridie praeparare equos ait; exiguum tantum potum impartienres, atque ita per centena millia, et quinquaginta continuo curſu euntibus inſidere. *Scenitae* tantum habent pernicitatis, Evagrio teſte, ut propter velocitatem eorum vinci nequeant. *Svecia* et *Gothia* magnos et ad cataphractorum praelia aptiſſimos, teſte Olao Magno producit, qui, regio edicto extra regnum educi prohibentur. *Tartarorum* plerique ſunt albi. Venetus magnum Chamum numerum XM. alere prodidit. Tantae velocitatis ſunt Miechovio, ut uno die XX. milliaria Germanica magna equitent. Sunt depreſſa cervice, et pedibus aquam et pabulum ſub nivibus quaerunt. Perniciores ſub Tartaris, quam aliis eſſe, Moſci affirmant. *Theſſalis* nota bovilli capitis inuri ſolebat. *Thraces* Abſyrtus turpes eſſe ſcribit, deformi ſpecie, rigido corpore, praegrandibus armis, ſpina curva, varos, ideoque ingreſſu vacillante, curſuque. Delphicum tamen oraculum et Virgilius laudat. *Toringos* quoque Vegetius commendat, et proximos Hunniſcis facit. *Tyrrheni maris* inſularum praeſertim Sardiniae et Corſicae equos, breves admodum, ſed animo generoſo, et ingreſſu irrequieto, Volaterranus facit. Et tantum de generibus a locis deſumtis. A *Partium* conſtitutione haud paucae quoque occurrunt differentiae: praecipuae ſunt, *Elaphopodes* a corvino pede ſunt, qui ſuffraginum articulo oſſa continent, et ideo peſſimo greſſu nituntur vectoremque contundendo fatigant. *Cynobatae*, qui iisdem in locis brevia condunt oſſa et humilia, ob idque ungulas ad internam calcium partem adferunt, ac pedes tractim agunt, in eisque claudicant. ἑτεροσκελεῖς et ἑτερόποδας dicit Abſyrtus illos, qui in alteram partem vergunt ſeu inclinant, ὑψαύχην Homero ἰριαύχην, eſt ille, qui cervicem attolit, ἑτερόγναθος qui dispares maxillas, unam nempe duriorem, alteram molliorem habet. Ex *accidentibus* color nobis aliquot praebet differentias, alia praetermittimus. Huius ratione ſunt, *maculati*, *trabeati*, *transtrabeati*, *unicolores*, *albi*, *nigri*, *ſpadices*, *baliardae*, *caelurei*, *parvi*, *heterophtalmi*, *aetogenes*, *et alphorynchi*. *Maculati* ὀστλιγγες Oppiano inprimis maximis nigris maculis et zonis ſeu per crura extenſis, ſeu per dorſum, ſeu in collo diſtinctis, nobiliſſimi habentur, eoque praeſtantiores fore creduntur, quo natura in his ordinem quendam ſervaſſe videbitur, ſeu numeri ſeu paritatis ac loci, ſeu rectitudinis: poſt hos ſunt, qui maculas rubras aut rubiginoſas habent. Ad hos ſpectant *Scutulati*, qui oblongis taeniis ornantur: *Guttati* φικτοί, qui rotundis faſciantur, ut pantherae: et *Variegati*, ποικιλοδέρμους, *picae* nonnullis, aliis, Homeri ἀιόλοπωλοι, qui picae inſtar albo et nigro variant. *Trabeati*, dextros ambos aut ſiniſtros pedes albos habent, et peſſimi eſſe cenſentur. *Transtrabeati*, alternatim pedes habent candidos, et

Paul. Venet. l. c. 65. Michov. l. 1. c. 6.

omnium

omnium deterrimi ſunt. Cauſa utriusque, quod illorum pedes in utero materno iuncti fuerint, ob id ſimul contraxiſſe maculam. *Vnicolores* Palladius admiſſarios legi iubet. *Albi* Claudiano ſunt veloces Platoni laudatiſſimi. Caeſios habent oculos; quod cum hi triplici ratione diſtinguantur, nigro, caprino, et caeſio, corporis totius colorem, oculi quoque color conſequatur. *Nigricantes* laudibus efferuntur, maxime ſi in fronte, vel aſteriſcum, vel lineam albicantem, vel denique altro pede, candoris aliquid habeant. Αἰθωνας Homeri quidam interpretantur, id eſt nigros et quaſi igne exuſtos quales αἰθωνας et πυρίλαμπέας in aprorum venatione commendat Oppianus. *Spadices*, ſunt ſanguinei fulgoris, a colore palmei ſurculi. Alii palmatos vocant, Varro badios, Caſſius Medicus balios, nonnulli Caſtanei coloris, et baliardas. *Caeruleos* Becanus celeres facit, παρδὰς equos τὸ χρῶμα πυῤῥὰς, Heſychius et Varinus vocant. *Heterophthalmi* oculos habent, aut non aeque magnos, aut alterum altero humiliorem. Lacuna male monoculos vocat. Parthi eos forte probabant, quod pavidi et fugae aptiſſimi eſſent. Λευγαιὰς a genitiva quadam macula, quam in armis et cocco referunt, Abſyrtus dici putat, Sarmatae eos ut probos adſciſcunt: illos vero, qui aquilinam notam pone ferunt circa coxas et caudam, (iidem hi cum ſuperioribus, nam αἰτὸς aquila eſt) reiiciunt. Ἀλφοφύγχοι denique, tardius ſeneſcere dicuntur.

CAPUT II.

De Aſino.

Equum excipit Aſinus, deſpectum quidem, ſed non minus utile iumentum. Incredibili ſane lucro dominis fuiſſe memoratur, compertumque tradunt, fuiſſe aſinam, quae omnium praediorum fertilitatem ſuperarit: ſiquidem in Celtiberia viſum eſt, ſingulas aſinas quadringentis millibus nummorum fuiſſe enixas, ut apud Plinium legimus. Non eſt ergo mirum, a Q. Axio Senatore quadringentis nummis aſinum emtum: et Heliogabalum eosdem tanquam magnifica dona P. R. diſtribuiſſe. *Nomen* apud Latinos fortitus eſt, non ab a et ſinos, ut eſſet quaſi ſine ſenſu animal, ut Bartholomaeus Anglicus nugatur: ſed a ſedendo, ut Iſidorus ſcribit, quaſi aſſedum dicas: vel potius ab Ebraico Aſon, quod ipſum aſinum ſignificat. Graecis eſt ὄνος, παρὰ τὴν ὄνησιν, quod noſtra opera iuvet; niſi melius a livido colore ita dicatur, a quo et aſello piſci, nomen inditum arbitrantur. Dicitur Cyrenenſibus βρικὲς ab improbitate; Ariſtophani βύβαλος, quaſi bovis inſtar ſtupidus; Nicandro βρωμήτης ruditor; et animia vocis abſurditate μιγάμυκος; Euſtathio et Suidae καὶθων, a clitellis, et καιθήλιος; Heſychio κιλλὲς, quomodo et Dores eundem appellant. Aliis καθυλὲς, λίπαργος, quod ei ilia albicent; μέμνων, μονὶς Cyrillo, μυχλὲς, quod tamen vocabulum Phocenſes, nonniſi τᾶ ἐπὶ ὀχείαν πεμπομένω tribuunt, qui et κήλων vocatur; ὀκρὶδας, agreſtis nempe, ὀγκιστὴς a ruditu dicitur. *Deſcriptionem* ſi ſpectes, *aures* ipſi pro proportione totius longiſſimae et latae, labia craſſa, *caput* magnum, in collo et pedibus nigrae quaedam lineae, quas Heſychius μύκλας vel μύκλες vocat: In *tergoris* exordio, crucis effigiem gerit, quo etiam loco, quam iuxta renes, onera difficilius portat, quod oſſa ſint minus robuſta. *Pilus* corporis duriuſculus et lanificio ineptus. *Ilia* alba. *Membrum genitale* prae caeteris quadrupedibus grande. Nicander κοφίνην, quae proprie eſt ῥάβδος κεφαλωτὴ, vocavit. *Dentes* priores menſe trigeſimo tum mas, tum foemina amittit; ſecundos ſexto: quod ſi non prius peperere, quam decidant poſtre-

Plin.H.N. l.8.c.43.

Deſcriptio.

Tab. 5
und Taf 8!

Tab: VI

Asinus . Esel .

Asinus . Esel .

Mulus . Maul Esel .





poſtremi, ſterilitas certa. *Cutis* ei duriſſima et ſolidiſſima, ut vix fuſtim ſentiat. *Cor* portione maximum, ut omnibus timidis, aut propter metum maleficis, ut ait Plinius. *Sanguis*, craſſiſſimus, pinguiſſimus, et nigerrimus. Quantum ad *Locum*, Nomades aſinis carere propter regionis frigus ſcribit: itaque in Septentrione paucos invenias. In Italia, Gallia, Germania, Graecia, haud pauci, ut in Differentiis dicemus, habentur. *Cibus* ipſi viliſſimus. Nam et eo rure, quod paſcuo caret, contineri poteſt, exiguo et qualicunque pabulo contentus. Quippe vel foliis ſpinisque, vel perticis ſalignis alitur; vel obiecto faſce ſarmentorum. Paleis vero, quibus fere omnes regiones abundant, gliſcit. Ideo Tzetzes maximum urbis excidium indicaturus, vereri ſe, acute dixit, ne aſinus eam depaſcat. Delectatur et ferula, quae aliis animalibus venenum eſt; et ficubus, quas cum devoraſſet, et vero puer, ut vinum aſello daretur, poſtulaſſet, in tantum cachinnum Polemon, vel Chryſippus reſolutus eſt, ut eodem perierit. At in Chriſtiani Moguntini Epiſcopi, teſte Krantzio, aſinos, tantae impenſae factae, quantae in potentiſſimi Principis familiam alendam impendi poſſent. Aiunt, etiam potu aquae pingueſcere, et ex cibo eo magis proficere, quo plus biberint. *Maxime* libidine pruriunt, id et Ambraciotarum aeneus aſinus, quem Delphis dedicavere, poſtquam victoriam de Moloſſis, pugna nocturna, reportaſſent, oſtendit. Segnes tamen eſſe et infoecundos, ob tantam veretri enormitatem, pro comperto habetur. Ideo Aegyptiis exoſos Aelianus prodidit. De generatione ita Plinius. Partus a trigeſimo menſe ocyſſimus, ſed a trimatu legitimus, totidem, quot equae et eisdem menſibus et ſimili modo. Parit duodecimo menſe; ſingulatim magna ex parte procreat prolem: ea namque natura eſt, ut unum pariat, ſed nonnunquam gemellos etiam edit, rariſſime tamen. A partu, die ſeptimo mari iungitur, eodemque die iuncta, maxime recipit initum, ſed poſtmodum etiam patitur. Solet haec, niſi, priusquam gnomonem amittat, pepererit, nunquam poſtea initum recipere: ſin antea pepererit, parere tota ſua aetate poteſt. Gignit tota vita, quae ei eſt ad trigeſimum annum. Praegnantes opere levant. Venter enim labore nationem reddit deteriorem. Marem non disiungunt ab opere, quod remiſſione laboris fit deterior. Admittuntur ante ſoliſtitium, ut eodem tempore alternis annis pariant: duodecimo enim menſe conceptum ſemen reddunt. *Hucusque Plinius.* Dolent eis a foetu mammae; ideo ſexto menſe arcent partus, cum equae anno prope toto praebeant. Lac gravidae habent menſe decimo, vel ut Plinius, praegnantes continuo lacteſcunt. Pullis, ubi pingue pabulum, biduo a partu maternum lac guſtaſſe lethale eſt. Genus mali vocatur *Coloſtratio.* Hana ſocer Eſau primus equis aſinos copulavit: ſicque iſti ſe gerunt, ut, ſi aſinas, quas equi inivere, ſupervenerint, ſemen, propter eiusdem ſine dubio frigiditatem, pervertant. Quod facile implent, membri, ut Cardano viſum, productio in cauſa, qua ad intima uteri equae penetratur. Obſervatione dignum, quod tradit Plinius, ad mularum maxime partus, aurium referre in his et palpebrarum pilos dici. Quamvis enim unicolor toto corpore, totidem tamen colores, quot ibi fuere, reddere. *Inimicitias* cum Aegitho, et Spino avibus, ex plantis cum cicuta gerunt. Spinetis ſe ſcabendi cauſa atterens, nidos aegithi diſſipat, quod adeo pavet, ut voce omnino rudentis audita, ova eiiciat, pulli ipſi metu cadant. Igitur advolans ulcera eius roſtro excavat. Spinus ideo eos odit, quod flores ſpinae devorent, is in ſpinis degat. Cicutam ſi in Hetruria depaſcantur, profundiſſimo ſomno et corpore corripiuntur, ut plane mortui videantur. Scaliger teſtatur, multos

Locus.

Cibus.

Columella R.R. l. 7. c. 1.

Krantzius Sax. l. 6.

Generatio.

Aelian. H. A. l. 10. c. 28.

Plin. H.N. l. 16. c. 20.

Genes. c. 36.

Inimicitiae.

Scalig. Ex 152.

ex eius eſu oſcitantes, deinde in anfractuoſos gyros circumactos concidiſſe. Quae de corvo, lupo, ſorice, et equo dicuntur, manifeſtam rationem habent. *Amicitiam* vero cum ſcorpio, et vitis palmite colit. De illo ita Merula. Si percuſſus a Scorpio, ſuper aſino rectus deſideat ad caudam, pro ipſo dolorem ſenſiturum aſinum, eiusque rei ſignum eſſe, quod pedendo moritur. Vel ſi is, quem Scorpio pupugerit, in aurem dicat aſino: Scorpius me pupugit; non amplius doliturum dolore in aſinum tranſeunte. Abroſo vero ab aſino vitis palmite, vindemiam inde ferociorem proveniſſe, obſervatum eſt: idque cum multa ſecuti diligentia mortales, laetiorem ſibi proventum quotannis compararunt. Stygis aquam nonniſi ungula aſini pati; et Empedoclem utribus ex coriis aſinorum flatus Eteſiarum validos compeſcuiſſe, neſcio an inter ſympathiae exempla recenſeri debeat. *Vitam* ad trigeſimum producunt annum, niſi nimis laboribus exhauriantur. Foemina vivacior mare eſt. *Vox* ipſorum ruditus et oncatio, ut Scaliger voluit. Sed et βρωμᾶσθαι, μυκᾶσθαι de aſinis prolata invenies. Soli inter animalia piloſa, non a pediculo tantum, ſed etiam a reduvio immunes eſſe dicuntur. Laborant et catarrho et bulimo; et hoc maxime, ſi caricas et mala geſtaverint. Illum *Malida* vocant, quod vitium in capite oritur, facitque ut per nares pituita multa ruffaque effluat, quae ſi ad pulmonem deſcenderit, mori feruntur. Aelianus auctor eſt, Mauruſios aſinos primum, ut ſe in viam dederunt, incredibiliter incitata celeritate iter conficere, ut evolare non excurrere videantur. Deinde eos cito feſſos de via, et pedes et ſpiritum deficere, ac pedum tarditate ad currendum conſtrictos inſiſtere, et acerrimas lachrymas profundere. Claudicationis remedium vide apud Aldrovandum. Quod ab aqua ſibi, ut Plinius, prodidit, cavent; ita omnino, ut pedes tingere metuant, quod mirum dictu, ſitiant, et ſi immutentur aquae, ut bibant, cogendi exonerandive ſint, quod rictu labiisque late diductis et dentibus deformiter denudatis irridere videantur, quod mingant, ubi alii prius minxerunt, aut ſuper fimum, quod menſibus multo ex proportione minus purgentur, quod cum bibunt, parce admodum os mergant, propter aurium ſine dubio umbram: quod denique tam exquiſiti ſint auditus, ut praeter ſolos mures caeteris animantibus eo praeſtare dicantur, ad *Naturam* eorum pertinet. Singulari *ſtupiditatis* privilegio damnatos eſſe, omnes norunt, ita ut huius vitii homines nomen aſinorum meruerint, de quo prolixe Aldrovandus. Doceri tamen poſſe, aliquot exempla comprobant. Scribit quippe Cardanus ex Leone Africano, aſinos ad tibiam ſaltare, et voce in aurem inſuſurrata ſponte ſupinos concidere: clauſis oculis inflari quaſi venenum bibiſſent, nec minis interim, nec precibus, nec verberibus adduci poſſe, ut ſurgant: Caeterum blanditiis adulationibusque ac ſpe potiſſimum, vehendi formoſas mulieres propoſita, ſubito alacres exſurgere: ubi vero audierint vehendas eſſe anus, demiſſis auribus ſe claudos ſimulare. Interrogati etiam, an formoſae iuvenculae illis placeant, capite annuere: demum etiam formoſiſſimum in coetu adſtantium, deligere. Similia fere de circulatoris Johannis a Grua aſina, oculatus teſtis Geſnerus prodit. Aſina, inquit, ter primum pro ſoni diverſitate tripudium immutabat: tripudiabat autem anterioribus pedibus erectis ſumma cum alacritate: mox velut gaudio in maximum converſo moerorem, in terram ſe proſternebat, ac velut apoplectica immobilis iacebat, et ſi pedibus calcaretur, ut ſe moveret, adduci non poterat: dein iuſſa, ut ſpectatores omnes ſalutaret, oculos caputque erga omnes humano velut more convertebat, flexisque anterioribus pedibus ſalutabat: et quod maxi-

Amicitia. *Vita.* *Morbi.* Aelian. H. A. l. 14. c. 10. *Natura.* *Ingenium.* Johannes Leo in deſcript. Africae. Geſnerus Hiſt. Quadruped. de Aſino.

me

me mirum erat, cum adſtantium omnium ſtupore, ad nutum heri, per ligneum circulum traiecto corpore ſaltabat, ad canis imitationem: poſtremo more canis ſagacis, proiectum in terram vel ſudarium vel chirothecam colligebat, et domino referebat. Tantus in iisdem foetus ſui amor eſt, ut per ignes etiam ad eos accedant; tantus erga genus ſuum, ut, ſi viderint mori, animo deficiant: obſervatumque eſt, aſinam impendio cavere, ne vel in conſpectu hominum, vel in luce pariat. Ponderis magnitudini imparem ſe eſſe, oſtendit, aures demittendo. Fuiſſe carnis aſininae *in Cibis* uſum Galenus teſtatur: ſed et hiſtoria Caroli V. ab Hispanis aliquando comeſtam. Novimus etiam in obſidione Veronae Anno M.D. XVI. cum vix lentem et fabam in quotidiano uſu haberent, in deliciis fuiſſe. In feſto quoque Natalitiorum integer apud Perſas aſſabatur, inter regias epulas cenſitus. Maecenas vero, referente Plinio, primus pullos aſinarum epulari inſtituit, eo tempore onagris praelatos: poſt eum interiiſſe auctoritatem ſaporis. Peſſimi eſſe ſaporis, et concoctu difficillimas, ſtomachumque laedere, ii, qui veſcuntur, teſtari poterunt. Medici *Lac*, *Sanguinem*, *Carnem*, *Iecur*, *Renes*, *Lienem*, *Penem*, *Teſtes*, *Ungulas*, *Lichenem*, *Urinam*, *et Stercus*, in uſum traxere. *Lac* Galeno tenuiſſimum, ſi ad iumentorum, quae apud nos mulgeri ſolent, lac comparetur; craſſum, ſi cum camelino et equino conferas. Niſi ita diſtinguas, contradicere ſibi dicendus eſt: cum et Plinius tenuiſſimum lac camelis eſſe ſcribat, mox equabus, craſſiſſimum aſinae, ut coaguli vice utantur. Optimum vero erit, ſi aſina ſana ſit, bene nutrita, iuvenis, nec longe a partu. Tabidis, a quibusdam Medicis ita exhibetur, ut ipſimet id exugant, ne quid a nativo tepore remittat. Galenus melle mixtum, iuveni cuidam, qui fere contabuerat, a balneo ſtatim exhibuit. Idem ſtomachum exulceratum per ſe potum reficit, et ad tuſſim, extenuationem et ſputum ſanguinis commendatur. Si doleant ubera, lactis eiusdem potu mulcentur, ut Plinius tradit; ſi vero addito melle ſumatur, purgationes mulierum adiuvat. Capiti tamen infirmo, et vertigine laboranti non convenit. Privatim contra gypſum, et ceruſſam, et ſulphur, et argentum vivum prodeſt. Gargarizatur quoque faucibus exulceratis utiliſſime. Sunt inter exempla, qui lac aſininum bibendo, podagra, chiragrave liberati ſunt. Alii vero ſeri aſinini potu, eosdem cruciatus evaſere. Conferre aliquid et candori in mulierum cute exiſtimatur. Poppea certe Domitii Neronis coniux, quingentas ſecum per omnia trahens foetas, balnearum etiam ſolio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens. *Sanguine* fluxum ſanguinis ex cerebro ſedari, ſunt, qui dicant. Plinio vero, eſt genus febrium, quod amphemerinum vocant, hoc liberari tradunt, ſi quis e vena auris aſini, tres guttas ſanguinis in duabus heminis aquae hauſerit. Eundem poſt aures captum, Hartmannus in mania vehementer commendat. Linteola munda, nulli uſui ante expoſita, in eo macerantur et exſiccantur. Ex his portio in hauſtu aquae fontanae maceratur, et aqua ebibitur. Idem de *Carne* Aelianus teſtatur. Tradit enim Bathylin Cretenſem rabie periclitantem, ab hoc graviſſimo malo aſininae carnis imperato uſu, reſtituiſſe. Phthiſicis easdem mederi Plinius prodidit; hocque genere maxime in Achaia curari id malum: quod et apud Avicennam legitur. Sed et contra comitialem morbum bibendam dari, idem auctor eſt. *Iecur* etiam comitialibus eſu prodeſt, ſed ieiunis edendum praecipitur. Alii admixta modice panace, ori inſtillandum docent. *Lien* ad lienis vitium tam efficaciter datur, ut triduo ſentiatur utilitas. Idem contritus, et ex aqua impoſitus, mamillis lac provocat, ſi Sexto

Vſus in Cibis. Galen. l. 3. de Alimen. facult.

Plin. H. N. l. 8. c. 43.

Vſus in Medicina.

Galen. l. 6. de tuenda ſanit.

Plin. H. N. l. 23. c. 5. 28. c. 12.

Plin. H. N. l. 11. c. 41.

Plin. H. N. l. 11. c. 41.

Plin. H. N. l. 28. c. 16.

Hartman. in Praxi chymiatr.

Plin. H. N. l. 28. c. 16.

credimus. Inveteratas vulvas ſuffitu corrigit, ut Plinio placet. *Renes* triti et in vino mero dati, veſicae medentur, et urinae incontinentiam prohibent. Cinere *genitalis* ſpiſſari capillum putant, inquit Plinius, et a canitie vindicari, ſi raſis illinatur, plumboque tritis cum oleo. *Teſtis* dexter in vino potus, vel brachio adalligatus, ad coitum ſtimulat. Uterque contra faſcina valet. *Pellis* iniecta impavidos infantes facit. Annulus ex *Ungula*, in qua nihil ſit nigri, ab epileptico geſtatus, prohibet, ne concidat. Cinis per dies multos potus eosdem adiuvat, et oleo ſubactus ſtrumas diſcutit. Tarentinus illis ad multos piſces capiendos pro eſca utitur. *Lichen* combuſtus, tritus, et ex oleo vetere impoſitus, tam validus eſt in producendis capillis, ut, ſi mulieris inde maxillam unxeris, barba ei naſcatur. Ex aceto illitus lethargicos excitat. *Urina* cum ſuo luto illita, et clavos abolet, et callis medetur, ut Marcellus prodidit. Savanorola in narium foetore utilem eſſe ſcripſit. Dioſcorides nephriticis mederi in potu. Ideo ab ea minime ſibi temperavere antiqui. De *Stercore* ita Plinius. Fimum aſinini pulli, quod primum edidit a partu, poleam vocant. Syri dant in aceto mulſo contra lienis vitium. Idem caeliacis et dyſentericis confert: in ſapa decoctum, colo magnopere prodeſt: datum fabae magnitudine e vino, medetur morbo regio intra diem tertium. Eadem et ex equino pullo ſimiliterque vis eſt. Idem ad ſanguinem fluentem adhibetur. Tarentinus in Coriandri ſucco madefactum, et cum ſimilagine in maſſas redactum, ad trachuros melanurosque capiendos ſummopere commendat. De uſu in oneribus ferendis, in mola, et bello ad aratrum etc. taceo. Hoc addi poteſt, tibias ex oſſibus aſininis fieri, et argutiores caeteris eſſe: ex corio cretato palimpſeſtos, ex pilis pannos apud Arabes, parari. *Differentias* et *Genera* aliquot ſortiti ſunt. Dantur *Myſii* a Myſiae regione ita dicti, quibus perraro recta ſunt ilia. *Varii*, qualem Turcarum Rex Ferdinando Regi Neapolitano miſiſſe, Pontanus auctor eſt. Miraculoſo erat pilo, virgato corpore, diverſicoloribus ac paribus lineis. *Parvi*, quales Illyria, Thracia, et Epirus proferunt. *Magni*, quales Antron Theſſaliae urbs producebat. *Veloces*, quales apud Euphratem Xenophon inventos fuiſſe ait, qui equos curſu facile ſuperarent. In Aegypto vero eam eſſe aſinorum tollutariorum tum patientiam, tum velocitatem, Scaliger ſcribit, ut XL. M. paſſuum diei unius opera expediant absque ulla noxa.

Plin. H.N. l. 10. c. 19.

Differentiae.

Plin. H.N. l. 26. c. 16. et 28. c. 15.

Plin. H.N. l. 28. c. 16.

Scalig. Exercit. 217.

CAPUT III.

De Onagro.

Onager, aſini ſilveſtris nomen eſt. Graeci ὀναγρον dixere, quaſi ὄνον ἄγρια ſeu ἄγριον. *Deſcribere* eum videtur Nicephorus Calliſtus agens de India, cum dicit: Haec eadem regio, et aſinos feros magnitudine ingentes fert, pelle mirifice praeter morem verſicolores, albo ſcilicet et nigro colore, admodum inter ſe variatis. Et zonae quaedam a ſumma dorſi ſpina ad latera et ventrem demiſſae, atque ibi diviſae, et converſionibus quibusdam inter ſe implicatae, mirificam et novam efficiunt plicaturam et varietatem. Oppianus argenteum colorem illi adſcribit, quod Geſnerus de cinereo ſplendido ſumit, eodem ἱερόεντα pertinere exiſtimat. Quod totus albus non ſit, exinde patet, quod Oppianus addat, nigram lineam per mediam ſpinam decurrere, hinc atque hinc niveis pulcre diſtinctam corollis. Pelles ipſorum ὄζαι dicuntur, teſte Suida. *Degunt* in ſolitudinibus, locis inprimis petroſis et praealtis, in Africa, Lycaonia, Narſinga. In Lycia montem, qui

Nicephor. H. Eccleſ. l. 9.

Oppian. Cyneg. l. 3.

Cappa-

Onager. Wald Eſel.

Lupus Marinus,
Meer Wolff

Capra Syluestris. Wild Geiß art.



Onager Aldro: Wald Esel.

Monoceros seu Unicornu Iubatus.
Einhorn mit Mähnen.

Monoceros seu Unicornu aliud
Einhorn mit Mähnen ein andr art

Zebra Indica
Indianiſch Maulthier .

Equus Indicus .
Indianiſch Pferd .

Equus Hirſutus .
Rauh Pferd .

Cappadociam ab ea dividit, tranſire negant. Garamantes eos maxime venantur, ſi Luciano credimus. In Pſara Aegaei maris inſula, ſpecies habetur, quae alio translata non vivit. Apud Scythas non haberi, quidam volunt. At Strabo apud Maeotidis paludes incolas venationem eorum inſtitui reliquit. *Aluntur* herbis, virentibus inprimis, in quas ſi inciderint, prae gaudio rudiunt, nec ab iis, etiamſi inſidiis ſe peti viderint, avelluntur. Unde forte Strozzae ſegnes dicti. Oleribus maxime delectari, miraculum ab Hieronymo in vita Hilarionis oſtendit. *Naturam et mores* quod concernit, Iſidorus et Bartholomaeus Anglicus, aequinoctio verno, per ſingulas noctis et diei horas ſemel rugire, inde aequinoctium cognoſci ſcribunt: quod potius Cynocephalo competit. Homine conſpecto in iisdem ſtare veſtigiis, mox rudentes immotis anterioribus pedibus, poſterioribus calcitrare, Scaliger prodidit. Ubi tam prope venator acceſſit, ut manu queat contingere, fuga ſe ſubtrahit. De eorum zelotypia ita Plinius et Solinus. In hoc genere ſinguli imperitant gregibus foeminarum. Aemulos libidinis ſuae metuunt. Inde eſt, quod gravidas ſuas ſervant, ut in editis maribus, ſi qua facultas fuerit, generandi ſpem morſu detruncent; quod caventes foeminae, in ſeceſſibus partus occulunt, et furto parere gaudent. Sitis impatientes, ex ſacris literis colligimus. Nonnulli promulorum procreatione, onagros prius manſuefactos eligunt. Manſueſcit hoc animal facillime, nec cicuratum ad priſtinam ſolitudinem redit. Carnem Onagrorum amaram Aelianus voluit; Galenus bono habitu praeditorum ac iuvenum, cervinae et bubulae propinquam. Scaliger, dum calet, foetere; refrigeratam neque olere neque bene ſapere. Plinius vero ſcribit. Maecenatem pullos aſinorum epulari inſtituiſſe, multumque eo tempore fuiſſe onagris praelatos, poſt eum tamen, interiiſſe auctoritatem ſaporis. Medici *fella* ſuper abſceſſuum veſtigia utiliter illinunt, admiſcentque emplaſtris contra ignes ſacros, ſi Avicennae credimus. *Adeps* cum oleo coſtino ad lumborum et renum flatulentiam commendatur. *Caro* dorſi cum oleis articulis dolentibus utiliter applicatur. *Urina*, teſte Avicenno, calculum in veſica frangit. *Medulla* inuncta podagras curat, et dolorem extinguit. Fimus cum vitello ovi permixtus fronti illinitur, ut ſanguis erumpens ſiſtatur. Idem cum felle bubulo inunctus capillos criſpat. Scaliger duo nobis *Genera* deſcribere videtur, dum ait: In monte, qui Narſingae regnum dividit a Malabaris, multae ferae habitant. Alit idem onagros equi facie, colore cinereo, agiles adeo, ut capi haud facile queant. Africanis quoque ea eſt celeritas, ut curſu illi uni cedant ferae, quam Lant, vocant.

Natura et Mores.

Plin. H.N. l. 8. c. 44.

Ibid.

Scalig. Exerc. 206. ſ. 4.

Genera Scalig. l. c.

CAPUT IV.

De Mulo, et Zebra Indica.

Nomen.

Muli nomen quatuor animalibus commune eſt. Mula enim non ſolum ex equa et aſino, ſed ex aſina et equo, itemque onagro et equa, Columella prodente, generatur. Ex aſina et tauro Gratianopoli in Gallia, ſub nomine Iumar, habentur. Qui ex equo et aſina naſcuntur, mares, *Hinnulos* et *hinnos* ſecundum Plinium antiqui vocabant: contraque mulas, quos aſini et equae generent. Varro tamen ex equa et mulis tales dici putat, ſi Nonio credimus. Forte ſunt Martialis pumilii. Hinnus enim (verba ſunt Varronis) ex equo et aſina procreatus, minor eſt, quam mulus corpore, plerumque rubicundior, auribus ut equi, iubam et caudam ſimilem aſinis habet. Caeterum Muli

Columella R.R. lib. 6. c. 36.

Plin. H.N. l. 8. c. 44.

Varro R. R. l. 2. c. 8.

nomen ex Graeco tractum existimat Isidorus, ex eo scilicet, quod iugo pistorum subactus, tardas molendo ducat in gyrum molas. Melius vel a μόλος labor, vel ab Ebraico Maal, quod praevaricationem significat deduxeris. Laboriosum quippe est animal, et per quandam ordinis naturae transgressionem, quod Graecis est μολύνειν nascitur. Apud Graecos plurima sortitum est nomina. Dicitur namque ἡμιονος, quod ex asino et equa originem ducat. Ἀστραβὴ a robore corporis; ἀγενεμύχλους a sterilitate, στερόγονον ζῶον, quod ex diverso semine nascatur; Θρὴξ, ζεῦγος ἡμιονωνιθὴς, ὄλκας, quod tamen mulae duntaxat competit, ὀρεὺς mulo; ἀσυδάρεις, quod ἐν ὄρεσιν laborare magis possit, quam caetera iumenta; ὑρεὺς παρὰ τὸ ὀρύειν ὀρμητικὸν ὄντα, ἢ ἐπεὶ ὑρεῖν τὸ ζῶον, ὅτιν ἄγονον. Ὀτρια denique, σίνος et σίρος, de quibus consulantur Lexicographi.

Descriptio. Cum equam habeat matrem, asinum patrem, partim matri, partim etiam patri similis est; magis tamen patri, quam matri, cuius quoque vocem refert. In Hinno omnia contra se habent *Auriculae* ipsi asini instar longae; easdemque procomii loco ad oculos defendendos, ut ait Xenophon, accepit; crux in humeris, *pedes* exigui, et *corpus* macilentum, reliqua sunt equi, nisi quod cervix erecta non sit. *Dentes* triginta sex uterque habet, καὶ τὰς προσφυὰς, seu agnatos et annexos, ut Ruellius vertit. Mutari eos, ex Aristotele notum est. In quorundam *corde* os inventum esse tradidit Hierocles. *Felle* caret, ut solidipeda

Locus. omnia. *Locum* si spectes, laedi calidis et obscuris aiunt, et quodammodo amentes reddi: gaudere vero stabulari sub dio, tectique, vel tantum illis sufficere, si caput solummodo operiatur: caetera ab aere non offendi. Nulli sunt in Arabia Felice, Anglia, Scotia, Polonia, finitimisque regionibus. In Eleo agro ex imprecatione quadam gigni non potuisse, Herodotus prodidit. Carebant illis et Orientales Indi, ut refert Franciscus Lopoz. In Scythia nec incipientem quidem hiemem ferre. Insula quaedam, Diodoro Siculo, nutrit quidem aliquos, sed eos magna et sonora voce. Abundat eis Themisita, teste Strabone. Cappadoces duo millia Persis quotannis solvebant. Persiam, Mesopotamiam, et Babyloniam iisdem refertam, vel exinde patet, quod Alexander M. Susis captis, ad tria millia abduci curaverit, qui et dossuales et iugales essent. Strabo Geogr. l. 11. et 12.

Victus. *Vescuntur* frugibus et herba, potu maxime pingueſcunt: ad maciem depellendam nihil Medica nobilius: ex frequentiore Hordei usu hinniunt, vigent a dentium ortu, et ad multos annos vitam producunt. Quendam octogesimum annum egisse, cum templum Athenis aedificaretur, quidam auctores produnt. An

Generatio. steriles sint disputatur inter auctores. Aristoteles ita de Mulo. Mulus mas septennis duntaxat generat, ut aiunt: foemina improlis omnino est, quia perducere ad finem, quod conceperit, nequeat: sed mas generare interdum potest, quoniam et calidioris naturae, quam foemina mas est, et nihil corporis per coitum confert ad generationem: quod autem facit, *ginnus* est, quod mulus oblaesus et pumilus est, ut in porcis *metachaerum*. Idem de Mula apud Iuvenalem invenies. Prodiderunt tamen non dissimulandi Auctores M. Varro, et ante eum Dionysius et Mago, mularum foetus regionibus Africae adeo non prodigiosos haberi, ut tam familiares sint incolis partus earum, quam sint nobis equarum. Causam sterilitatis in libris de Natura explicabimus. Aristot. l. 2 de Gener. c. ult. Varro l. c.

Odoratus. *Odorandi* sensu praecellere, atque eius beneficio derelictos alicubi vel odore solo in semitam redire, proditum a quibusdam. Hinc fit, ut facilius vim tabidam aeris concipiant, et peste inficiantur, quod et canibus accidit. *De Morbis* vide Aldrovandum. *Sympathia* ipsis cum nantibus avibus, sive hae anseres sive anates, singularis, eorundemque conspectu sanari dicuntur.

Sympathia et Antipathia.

tur. Contra Rhododaphnes flores et folia homini ſaluberrima, venena ipſis ſunt. Ipſis vero mulis neſcio quid ineſt muribus exitiale. Si enim muli ungula ſiniſtra domus ſuffiatur, fugantur. Semper cicures ſunt. Foeminas vivaciores eſſe compertum, quam mares, easdemque ſerius ſeneſcere. Eaedem urinae profluvio purgantur: mares olfactu urinae prius ſeneſcunt. Volutationi indulgent, uta laſſitudine recreentur. A patre patientiam laboris, a matre celeritatem accepere. Ab illo et audaciam mutuarunt. Scio, inquit Varro, mulorum gregem, dum paſceretur, eoque veniſſet lupus, ultro mulos circumfluxiſſe, et ungulis caedendo occidiſſe. Expaveſcunt tamen rerum inſolitarum viſu, et quidem ita, ut in diſcrimen adferant. Calcitrant contumaciſſime. Viſus, qui uno domino excepto, caeteros non admitteret. Pertinaciae ſunt infamis. Vidi, cum Romam Neapoli tenderem, quae nulla ratione, ut praeiret, cogi poterat. Ab aliis deſtituta, procubuit, nec quidem ſine noſtrum omnium riſu, et inſidentis ſacerdotis indignatione. De aſtutia exemplum apud Plutarchum in mulo Thaletis habes: de beneficii memoria apud Plinium. Mulum, inquit, octoginta annis vixiſſe, Athenienſium monumentis apparet: Eo gaviſi, cum templum in arce facerent, quod derelictus ſenecta, cadentia iumenta comitatu niſuque exhortaretur, decretum fecere, quo caveretur, ne frumentarii negotiatores ab incerniculis eum arcerent. Non calcitrare, cum vinum biberint, quidam ſcripſerunt. De veritate rei alibi agemus. Magnae ſunt contra venena efficaciae. Inſutus recenter occiſi ventri, qui veneno infectus eſt, evadit, ſi tam diu manſerit, donec calor animantis omnino evanuerit. Eo tutius evaſurum, ſi pluribus uſus fuerit, fuiſſeque Principes, qui triginta et quadraginta impendio, mortem cenſerint, Maranta auctor eſt. Pulverem, in quo ſe mula volutaverit, corpori inſperſum ardores amoris mitigare, a quibusdam apud Plinium proditum. Cor, teſtes, renes, caro, ſordes aurium, ſterilitatem inferre dicuntur. Cogunt concipere invitas, inquit Plinius, ſetae ex cauda mulae, ſi iunctis evellantur inter ſe colligatae in coitu. Stercus combuſtum, tuſum, ac cribratum, vino dilutum, in fluxu utrino Hippocrates bibere iubet. Genera quod attinet, duplex genus Ariſtoteli fuit notum. *Sterile* nempe, de quo iam egimus, et *foecundum*, de quo ipſe ita: Sunt in Syria, quos mulos appellant, genus diverſum ab eo, quod coitu equae et aſini procreatur, ſed ſimile faciei: quomodo aſini ſilveſtres, ſimilitudine quadam nomen urbanorum acceperunt. Et quidem, ut aſini ipſi feri, ſic muli praeſtant celeritate. Procreant eiusmodi mulae ſuo in genere, cuius rei argumento illae ſunt, quae tempore Pharnacis patris Pharnabazis in terram Phrygiam venerunt, quae adhuc extant: tres tamen ex novem, quot numero olim fuiſſe aiunt, ſervantur hoc tempore. Theophraſtus vulgo parere in Cappadocia tradit, ſed eſſe id animal ibi ſui generis. Mulo per omnia ſimilis eſt *Zebra*, niſi quod foecunda ſit. Fimbriatis autem lineatisque pilis miro aſpectu videri. Etenim a dorſi ſpina ad ventrem usque, pictas habet lineas triplici colore, nigras nempe, candidas, ac fulvas, iuſta proportione diſpoſitis fimbriis, ac tres fere digitos latis. Silveſtris eſt gregalis, et pernici curſu inclyta, poſſetque, cicurata, in equi locum ſuccedere. Mulam foecundam Ariſtotelis quidam eſſe opinantur. Ita de ea Pigafeta. Naſcitur quoque in hoc tractu, (Congo) ut et in aliis Barbariae et Africae locis, animal aliud Zebra dictum: quod cum mulae quoad formam et ſtaturam ſit ſimile; mula tamen (parit enim) non eſt, et colore non tantum a mula, ſed etiam ab omnibus aliis animalibus differt. Tribus enim diverſis coloribus, nigro, albo et ſpa-

Varro R. R. l.2.c.8.

Plutarch.l Utr. animal.

Plin.H.N. l.8.c.44.

Ariſtot.H. A.l.6.c.24

Vſus.

Plin.H.N. l.8.c.45.

Genera.

Ariſtot. H. A.l.6.c. 35.

Aldrov. Hiſt. Quadrup.l.1. c.8.

Purchaſ. Navig.l.7 c.23.f.7.

Pigafeta deſcript. reg. Congo.

ſpadiceo, qui per lineas tres digitos latas, corpus a dorſo verſus ventrem hemicycli in modum ambiunt, per totum corpus diſtinctum eſt, cauda colore rubicundo et lucente. Pes et ungulae ut mulae, inceſſu alioqui levi et alacri ſimiles equo, quem rurſus velocitate multum ſuperat, ita, ut Luſitanorum proverbio anſam praebuerit, qui, cum celerem aliquem dicere volunt, Zebra velociorem dicunt. Parit quotannis, unde et maxima habetur copia; ſed incolis, qui ea uti neſciunt, eſt inutilis: equorum enim loco ipſis tam pace, quam bello eſſe poſſent, natura eas equorum loco, quibus hoc regnum deſtituitur, ſubminiſtrante. Incolae vero ignari, cum equos non habeant, et boves iugo ſubdere neſciant, zebras inſuper domare et fraenare non valent, variisque aliis animalibus uti non poſſint, hominum ad haec omnia opera uti coguntur. Atque ita, ut omnia hominum ſuperimponuntur humeris, ita quoque ipſi ab hominibus vel in lecticis, aut ſedibus portatilibus a Sole coopertis circumferuntur; ad manus ſemper ſervos aut alios ad id conductos habentes. Et ſi magnum aliquod iter brevi tempore eſt abſolvendum, multos tales quaſi ἀνθρωποφόρους circumducunt, ut prioribus defeſſis, alii atque deinceps alii poſſint ſubſtitui; qui etiam ita alternatim ſubinde mutati, tantae ſunt celeritatis, ut equos curſores antevertant. Tantum Pigafeta.

CAPUT V.

De Elephanto.

Aldrov. Hiſt. Quadrup. l. 4. c. 9.

DAtur et Elephanti inter μονύχηλα locus. Etſi enim ungula eius in digitos videatur efformari, quia tamen indiviſi hi, neſcio quomodo a ſolidipedibus excludi poſſit.

Nomen.

Nomen ſortitus eſt, non tam a magnitudine, quod formam montis praeferat, ut Iſidoro apud Vicentium Bellunenſem placet: quam vel ab Ebraeo Alaph diſcere, quod docilitate reliqua animalia ſuperet: vel ab Eleph bos, quia magnum eſt animal, et βα augendi vocabulum: vel quaſi ἐλέβας ab ἕλος palus, et βαίνω quod ob gravitatem ibi faciat τὰς μίξεις: vel ab ἐλεφαίρω laedo: vel ab ἑλίσσω involvo, quod involutam habeat proboſcidem: vel denique ab ἀλφὸς albus, quod ebur de colore triumphet. Heſychio et Varrino πιρίστας dicitur. Alii ſimpliciter θηρία quod Plinio belluae, vocant. Romani, qui elephantes primum Pyrrhi Regis bello videre, Lucas boves, appellarunt; ſeu a Lucania, ubi primo viſi, ſeu a luce, quod longe propter inauratos regios clypeos, quibus eorum turres erant ornatae, a longe relucerent. Indis

Martin in Lexico.

Barrum, a voce dici, Iſidorus auctor eſt: alii tamen lingua Sabina ita appellari volunt, unde et Ebur vocatum Servius putat. Magnitudo Elephantis diverſa eſt, ut in Differentiis exponemus. Gillius menſus eſt Conſtantinopoli quendam, cui erant ab oculo ad extremum tergum pedes undecim, ab oculo ad extremam promuſcidem octo. In proceritate alii ad decimum tertium, alii ad decimum quintum dodrantem, accedunt. Aloyſius Cadamuſtus vidiſſe ſe ſcribit, plus habentem carnis, quam tauri noſtrates quinque. Nigri ſunt omnes praeter Aethiopicos: Narſingae tamen Regem album habuiſſe, Indicarum navigationum ſcriptores prodidere. *Cutem* habent cancellatam, ſeu ut Caſſiodorus loquitur, ulceroſis vallibus exaratam: in tantamque duritiem ſolidatur, ut putes eſſe oſſeam. Ideo Mauri eadem pro clypeo utuntur, et Peguani loco armorum geſtant. Durior tamen in dorſo, quam in ventre, ut Solinus vere dicat, Duriſſimum dorſo tergus, ventres molles. Piloſane ſit, an glabra, nec Plinio quidem

Deſcriptio.

Plin. H.N. l. 8. c. 9.

Plin. H.N. l. 11. c. 39.

Elephas.

Elephant.



Elephas

Elephant

Tab. X.



Elephas . Elephant.

dem conſtat. Alibi enim, ſetarum nullum tegumentum, ne in cauda quidem praeſidium abigendo taedio muſcarum, eſſe dicit: alibi vero elephantorum corpora impenetrabiles ſetas habere (niſi forte cetras ſit legendum) ſcribit. Cardanus quoque non ſolum nudam ait, ſed et cur talis eſſe debuerit rationem reddit. At Cadamuſtus ſeſe pilos, qui nigricabant, et quaſi duorum palmorum menſuram excedebant, evulſiſſe teſtatur. Gillius quoque auctor eſt, ad duorum palmorum magnitudinem acceſſiſſe, Vartomannus denique, caudam habere ſimilem bubulis, trium forte dodrantum longitudine, paucis in extremitate pilis prodit: et invenitur in deſcriptione Guineae iſtiusmodi caudis muſcas ab idolis mulieres arcere. Ipſe denique Plinius, quaſi ſui oblitus, ſic ſcribit. Indi mira gaudent longitudine eorum, (ſmaragdorum) ſolosque gemmarum eſſe praedicant, qui carere auro malint; ob id, perforatos elephantorum ſetis religant.

Plin. H N. l. 35. c. 5. *Caput* quoque deforme habent: ſecundum tempora ſpiramentum quoddam, per quod mas pingue quoddam tempore congreſſus emittit, idque et foeminae tum patens, ſi Straboni credimus. *Aures* pro corporis ratione, ſecundum Oppianum, exiguae ſunt; quaqua verſum gemini palmi magnitudine, ſubque illis locus, cui Scalpro ictu mallei adacto interficiuntur. Livius Hasdrupalis inventum eſſe credidit. Apud Sambros Aethiopiae populos, auribus carere ex Solino et Plinio habemus. *Oculi* quoque magni, ſed pro tanti corporis magnitudine exigui apparent; illique graviter ſe moventes. *Os* in pectore, ut Cadamuſtus prodidit, atque hoc, non proboſcide fugunt, teſte Aeliano et Ariſtotele; qui et *linguam* eis eſſe ſcribit perquam exiguam, atque interius poſitam, quam ſit in caeteris, ita ut vix eam videre poſſis. *Dentes* ipſis intus ad mandendum quatuor: praeterque eos, qui prominent, maſculis reflexi, foeminis recti atque proni. Quam primum naſcuntur, habent: ſed grandes illos, non tam perſpicuos. His cibos conficiunt, atque in farinae ſpeciem molunt. Siti ſunt in ſuperiore mandibula, et quidem ſtupenda aliquando magnitudine. Vidit Vartomannus in Sumatra duos, qui appenſi, libras trecentas et triginta ſex pendebant. Vidit et Cadamuſtus occiſum, cuius dentium amplitudo palmos ternos excedebat, eminebant ad duos palmos. De eorundem magnitudine ita Plinius. Magnitudo dentium videtur quidem in templis praecipua. Sed tamen in extremis Africae, qua confinis Aethiopiae eſt, poſtium vicem in domiciliis praebere, ſepesque in iis et pecorum ſtabulis pro palis, elephantorum dentibus fieri Polybius tradit, auctore Guluſſa regulo. Gillius ſaepe ad longitudinem decem pedum augeſcere, memorat. Venetus vero mercator, unum aureis triginta ſex emiſſe dicitur, longitudine dodrantum ipſius quatuordecim craſſitudine dodrantum quatuor; tanto pondere, ut humo tollere non potuerit. Sed et Sabellicum auctorem habemus, fuiſſe Firmo, duos elephantinos dentes, tam enormi magnitudine, ut Aurelianus Firmi victor, eos pro miraculo Romam deportandos curaret, longitudinem horum duorum pedum fuiſſe dicunt. Dentes hos alii cornua dicunt; an recte, Aldrovandus et Cardanus explicant, nos alibi dicemus; hoc duntaxat hic addere placet, mandibulam inferiorem, edendo ſolum moveri, ſuperiorem ſemper quieſcere. Quo loco aliis animantibus naſus eſt, elephantes habeant partem quandam pendentem, anguſtam ac longam, adeo, ut terram pertingat, in fine perforatam, cortilem, flexilem, lubricam, volubilem, ſerpentis in morem. Latinis dicitur *Proboſcis, tuba, manus*, quod apnd Plinium et Ciceronem invenies, manus naſuta, quod apud Caſſidorum, promuſcis, quod apud Vitruvium. Graeci vocant προβοσκίδα, μυκτῆρα, μυκασμὸν, et περομαίαν. Is ipſius uſus, quae manus. Ea namque cibos tam ſiccos

Plin. H.N. l. 8. c. 10.

Ariſtot. H. A. l. 1. c. 11.

Cicero l. 2. de Nat. Deor.

Caſſiodor. l. 10. Variorum.

Strabo Geogr. l. 15. Oppian. Gyneg. l. 2. v. 519.

Solin. Polyhiſt. c. 43 Plin. H.N. l. 6. c. 30.

Ariſtot. H. A. l. 2. c. 6.

Ariſtot. H. A. l. 2. c. 5.

quam humidos colligunt, capiunt et ad os admovent. Eadem ſpirant, bibunt, odorantur. Lucretius ideo *Anguiamanos* vocavit. *Malleolos* poſterioribus imis cruribus, teſte Ariſtotele, poſſident: ſed de *Crurum* flexu aliter alii tradunt. Alii enim crura ſine nodis articulisque habere, oſſa ſolida et inarticulata, ideo crura tibiasque flectere non poſſe, et, ſi cadant, nec ſurgere, ſcribunt: alii, ut Plinius, in poſterioribus articulos brevis obtinuiſſe, et poplites intus hominis modo flectere, prodidere, quod et experientia docuit. *Pedes* eiusdem cum equinis ſunt rotunditatis, ſed ampliores, ut planta quoquo verſum ad binos dodrantes accedat. Vartomannus rotunditatem orbi menſario aſſimilat. Ex callo nigerrimo et ampliſſimo conſtant. Digiti in pedibus informes, numero quidem quinque, ſed indiviſi, ac leviter diſcreti, ungulique non unguibus ſimiles. *Mammas* habent ſub armis duas; nec in pectore, ſed citra in alis occultas. *Genitale* equo ſimile, ſed parvum, nec pro corporis magnitudine. Plinius averſa dicit, averſosque coire, foeminae inter femora. *Teſtes* non foris conſpicui, ſed intus circa renes conditi, quo circa initum celerius agunt. Cteſias nugatur, ſemen adeo indurari ſicceſcens, ut electro ſimile efficiatur. *Ventres* ipſis quatuor Plinius tradit: Ariſtoteles vero ita ſinuoſum inteſtinum, ut quatuor ventres habere videatur; inque hoc etiam cibum reperiri. Galenus idem latiſſimum et equo ſimillimum facit; exta ſuillis proxima. *Iecur* quadruplo maius eſt bubulo, et reliqua pari ratione excepto liene: hic enim ex proportione minor. *Pulmonem* Plinius bubulo quadruplo maiorem facit. *Fel* in iecore adeſſe negat Ariſtoteles: inciſa tamen parte, qua adhaerere ſolet, humorem felleum plus minus effluere. Galenus etiam χολήδοχον veſiculam habere affirmat. Idem ex diſſecti *corde* magnum os exemit; illud vero duos tantum ventriculos, non tres, ut apud Ariſtotelem, habere obſervavit. De eodem ita Aelianus. Duplici tum corde, tum ſenſu animi elephantus eſſe dicitur, et altero quidem ira incendi, altero mitigari et leniri, Maurorum ſermonibus pervagatum. Duorum deſcriptionem apud Aldrovandum vide. Inveniuntur, in Africa, Aſia, et vicinis hiſce inſulis. Et in Africa, quidem in ſaltu poſt Syrtes, ſolitudinibus Salae Mauritaniae oppido vicinis, Lybia, Getulia, proximis Atlanti monti ſaltibus etc. Symbari inter Arabiae montes et Nilum, ipſorum venatibus vivunt. Sunt et in Aethiopia Ophiophagorum eorundem venatus a Ptolomaeo Philadelpho Aegyptiorum Rege inſtituti. Quantum ad Aſiam, Rex Parthalis, prodente Plinio, DCC. aluit, Audatae mille, Palibrotorum IX. M. Chryſaei, Paraſangae, Aſangae CCC. armabant. In Taprobana, Oneſicrito Alexandri M. praefecto prodente, maiores et bellicoſiores, quam in India habebantur. In Zeilana hodie maximos et ſummi ingenii eſſe, Iohannes Metellus prodidit. Siamenſis Rex XII. M. habere dicitur, e quibus quatuor millia ſemper ad ſubitos caſus armata ſunt. Sub imperio magni Mogulis L. M. habentur. In Mozambique quoque inſula, armenta eorum offendit Vartomannus, et in Benomotapa Iohannes de Baros. At inſulam quoque Zanzibar multos mercatores eboris emendi cauſa veniſſe M. Paulus Venetus prodidit. Roſcidis autem et paluſtribus locis maxime delectantur, amnesque amant, in calidioribus inprimis regionibus. Frigoris ſunt impatientiſſimi. *Victum* Elephantorum quod ſpectat, veſcuntur herbis paluſtribus, arborum foliis, truncis, fractibus Muſae, et ficus Indicae radicibus. Devorant aliquando et terram et lapides. Eam tamen ediſſe, iis tabificum eſt, inquit Plinius, niſi prius mandant. Cicures hordeo veſcuntur, eiusdemque novem interdum Macedonicos modios

Aelian. H. A. l. 4. c. 31.

Locus.

Plin. H. N. l. 6. c. 30.

Plin. H. N. l. 6. c. 20. 21.

Cibus et Potus.

Plin. H. N. l. 8. c. 10.

Plin. H. N. l. 8. a c. 1. ad 12.

Plin. H. N. l. 11. c. 46. Ariſto. l. c.

Plin. H. N. l. 11. c. 37. Ariſtot. H. A. l. 2. c. 17.

Ariſtot. H. A. l. 1. c. 1.

modios abſumunt. Antuerpiae oſtentatus, quatuor modios pomorum in diem abſumſit. Luſitani melonibus vehementer delectari ſcribunt. Potus ipſis aqua, ſed nonniſi turbida, vinum ex oryza et aliis frumentis factitium, nec non noſtras Antuerpienſis ille, una vice plures, quam ſedecim libras bibebat, idque toties iterabat, ut menſuram potus ab Ariſtotele proditam, facile aequaturus videretur. Sitis tamen ſunt patientiſſimi, et ſine potione octo dies peragunt. De *Coitus* tempore et modo diverſa ab auctoribus produntur. Plinius marem coire quinquennem, decennem foeminam, ex Ariſtotele prodit. Ariſtoteles modo vigeſimum annum utrique aſſignat, modo foeminae duodecimum, cum celerrime, decimum quintum, cum lentiſſime congrediuntur. Averſe coire apud Solinum ex Plinio invenies, cui et Horatius de Canida ſuccinit: foeminam in coitu ſedere, marem ſupervenire Albertus M. ſeu ut Ariſtoteles, clunibus ſubmiſſis inſiſtere pedibus ac inniti, marem ſupervenientem comprimere. In aqua autem praecipue iniri deſiderant: indeque tam foeminae quam mari commoditas accedere creditur, quoniam is et coiturus per aquam facilius tollitur, et poſt congreſſum facilius deſcendit. Nunquam autem niſi in abdito coeunt, et mas coitum triennio interpoſito repetit, eandem praeterea nunquam patitur. Biennio coire quinis, nec amplius in anno diebus Solinus ex Plinio ſcribit: nec prius ad gregarium numerum reverti, quam vivis aquis abluantur. Tempore vero coitus, maxime efferantur, et ſtabula Indorum ſternunt. Quamdiu uterum gerunt, in dubio quoque. Alii annum et ſex menſes, alii triennium, quidam decennium ſtatuunt. Ariſtoteles biennium aſſignat; Strabo menſes ut minimum ſedecim, ut plurimum octodecim, cui Diodorus Siculus et Aelianus accedunt. Sunt, qui octavo a coitu anno parere pronuntiant. Pariunt enitentes poſterioribus cruribus et ſubſidentes cum dolore. Partus annotante Aeliano, in caput procedit in lucem. Unicum edere, apud Ariſtotelem et Diodorum Siculum legimus: quaternos uno partu, apud Cadamuſtum et Scaligerum. Magnitudo foetus inſtar porci integrae aetatis ſecundum Aelianum, vituli trimeſtris ſecundum Plinium. Statim ac natus eſt, cernit et ambulat, et ore ſugit, non promuſcide. Lactant usque ad annum octavum. *Inimicitias* gerunt cum *Rhinocerote*, *Leonibus*, *Tigridibus*, *Arietibus*, *Porcis*, *Serpentibus et Draconibus, quibusdam coloribus et igne. De Rhinocerote* ita Plinius. In ludis Pompeii Magni viſus eſt Rhinoceros. Alter hic genitus hoſtis elephanto, cornu ad ſaxa limato, praeparat ſe pugnae, in dimicatione alvum maxime petens, quam ſcit eſſe molliorem. Longitudo ei par, crura longe breviora. Apud Heſperios Aethiopas leones elephantorum pullos aggrediuntur, quos cum vulneraverint, matribus ſupervenientibus fugiunt. Tigridem in caput Elephanti inſilire, facileque eundem ſuffocare, Arrianus auctor eſt. Si feritate effertur, ad arietis conſpectum ſtatim manſueſcit. Grunnitum porci exhorrere apud Aelianum, Strabonem, et Senecam invenies. De Draconum et Elephantorum pugna ita Plinius. India fert elephantes, bellantesque cum eis perpetua diſcordia dracones tantae magnitudinis, ut et ipſos circumflexu facili ambiant, nexuque nodi praeſtringant. Commoritur ea dimicatio, victusque corruens complexum elidit pondere. Mira animalium pro ſe cuique praecipua ſolertia eſt, ut iis draconibus una ſcandendi in tantam altitudinem difficultas. Draco itaque ad pabula ſpeculatus, excelſa ſe arbore iniicit. Scit ille imparem ſibi luctatum contra nexus: itaque arborum aut rupium attritum quaerit. Cavent hoc Dracones, ob idque greſſus alligant cauda. Reſolvunt illi nodos manu. At hi in ipſa nare caput

Ariſtot. H. A. l. 8. c. 8.

Generatio. Plin. l. c.

Ariſt. H. A. l. 5. c. 14.

Ariſtot. H. A. l. 5. c. 2.

Ariſtot. H. A. l. 6. c. 27.

Strabo l. c.

Aelian. H. A. l. 4. c. 31.

Scalig. Exercit. 204.

Antipathia.

Plin. H. N. l. 8. c. 20.

Aelian. H. A. l. 16. c. 44.

Aelian. H. A. l. 16. c. 36.

Plin. H. N. l. 8. c. 11. et 12.

put condunt, pariterque ſpiritus praecludunt, et moliſſimas lanci-nant partes. Iidem obvii deprehenſi erigunt ſe in adverſos, oculosque maxime petunt. Ita fit, ut plerumque caeci ac fame ac moeroris tabe confecti reperiantur. Inter colores puniceum, inprimis et candidum refugiunt, cuius cauſa alibi explicabitur. Terreri igne, Elephantorum Hannibalis exemplo docuit Livius, qui per ignem in Capuana obſidione exacti ſunt. In tantum autem conſternantur, ut nulla ratione, ut gradum revocent, adduci poſſint. De *Aetate* haud eadem traduntur. Alii enim ducentos, alii trecentos, quidam centum et viginti annos vivere aiunt. Oneſicritus apud Strabonem ad trecenteſimum annum vivere, raros ad quingenteſimum prodit: circiter ducenteſimum robuſtiſſimos eſſe. Philoſtratus quendam ex illis, qui contra Alexandrum M. pugnaverant, quinquaginta ſupra trecentos poſt Alexandrum annos ſuperfuiſſe, tradit, ut de Elephantolubae, Ptolomaei Philadelphi, et Seleuci Nicanoris taceam. A ſexageſimo iuventam incipere, apud Plinium ex Ariſtotele habemus: ex quantitate dentium aetatem futuram cognoſci, apud Cadamuſtum. Frigoris impatientes ſunt: maximum hoc malum, inflationemque et profluvium alvi, nec alia morborum genera ſentiunt. Huic potione aquae calidae, et cibo foeni melle imbuti ſuccurritur. Aelianus tamen oculorum affectionum quarundam mentionem facit. Vulnera captorum primo aqua tepida eluuntur: mox, ſi luculenter ſunt alta, butyro inunguntur, poſtea, ſuillae carnis recentis et ſanguine madentis admotu, inflammatio lenitur. Quotannis etiam in furorem agi reperio, tuncque nulli obvio parcere. Indicium inſtantis, oleoſa materia, quae ex illorum auribus effluit. Medela ab obiurgatione. Rationibus rectores demonſtrant, vilis et degeneris eſſe animi, ob amorem ita in furias agi. Catarrho laborare, eumque in lapidem aliquando abiviſſe, cuius et iconem exhibemus, proditum. Gradatim ambulant, propter corporis gravitatem. Neminem tamen aiunt tantae eſſe pernicitatis, quem ſuo inceſſu non comprehendat. Poplites intus flectit, hominis modo, ut Plinius loquitur. Et quia articulos crurum non tam ſublimes habet, ut aliae animantes, ſed humiliores terram verſus, ideo inſidendi inſuetis, nauſeam commovet. Quod tamen de provectioribus intelligi debet. Siquidem, Vartomanno et Gyllio atteſtantibus, ex adoleſcentium molli gradu, ſeſſor tantopere delectatur, ac ſi mula gradaria veheretur. *Naturam et Ingenium* ſingulare multa teſtantur, ut non mirum dixiſſe Plinium, omnium quadrupedum ſubtilitatem animi praecipuam perhiberi illis. Ab aquis ſibi metuere ſuperius diximus. Ideo difficulter ab Hannibale, Polybio et Livio teſtibus, perducti ſunt: et apud Plinium, Puteolis averſis veſtigiis, earundem metu, e navi abiviſſe, legimus. Attamen L. Caelius Metellus iunctis doliis per mare Siculum eos transmiſit, cum naves deeſſent: et aliquando interdiu flumina transmittunt. Foemina mare multo eſt robuſtior, easque in hoc genere plane viriles, Vartomannus teſtatur. Ariſtoteles tamen timidiores aſſeverat. Fagos, oleaſtros, et palmas dentibus ſubvertere Oppianus auctor eſt: aedificia evertere Ariſtoteles. Ab uno arboris truncum proſtratum tantae vaſtitatis, ut vix a viginti quatuor movere potuerit, Vartomannus prodidit, et addit, a tribus maximam Liburnicam in ſiccum pertractam. *Pugnant* inter ſe vehementer, ut tradit Ariſtoteles, et alter alterum dente ferit. Victus vocem fugit victoris, terram ac verbenas porrigens. Herbam victori a victo porrigi, vel proverbio conſtat, quod tamen vix cum Voſſio conceſſero. *Iniuriam* ulciſci apud Acoſtam habes. Nucis putamine a milite in fronte quidam petitus, ſervatum, in eundem in platea deambulantem, aliquot poſt die-

Aetas.

Philoſtr. l. 2. c. 6.

Morbi.

Natura et ingenium.

Polyb. Hiſt. l. 5. Livius Hiſt. l. 21.

Oppian. Ixeut. l. 2. v. 513.

Vartom. l. 4. c. 10.

diebus coniecit. Singulari et *rectores amore* proſequuntur, iniuriarum quoque ipſis illatarum memores, ut optime Seneca ſcripſerit, Elephantorum feritatem usque in ſervile obſequium demereri cibum. Sane a quibusdam aurigas ſuos, qui in certamine ceciderant, ex praelio exemtos, alios ab aliis ſervatos, Strabo auctor eſt. Caſſiodorus vero ſcribit, cum magiſtri compendia ſua putet alimenta, motu corporis a diverſis poſtulare, quod ei porrigat. Quod ſi, inquit, aliquis praebere contemſerit poſtulata, veſicae collectaculo patefacto, tantam dicitur alluvionem egerere, ut in eius penatibus quidam fluvius videatur intraſſe, contemtum vindicans de foetore. Quidam Cochini, militem magiſtro ſuo de via cedere renuentem, aliquoties flumine merſit, ſi Chriſtophoro Acoſtae credimus. Plutarchus denique refert, Poro Indorum Rege vulneribus confecto, elephantum ſenſim ac leniter multa ſpicula promuſcide retraxiſſe, et ipſum iam male affectum, non prius tamen procubuiſſe, quam ſentiret Regem exſanguem delabi: tum demum, ne corrueret, paulatim ſe demiſiſſe, ut Rex commodius ſe ad ſolum inclinare poſſet. *Timere* naturaliter hominem, Plinius ſcripſit. Elephas, inquit, veſtigio hominis animadverſo priusquam homine, intremiſcere inſidiarum metu, ſubſiſtere ac olfactu circumſpectare, iras proflare, nec calcare, ſed erutum proximo tradere, illum ſequenti, nuntio ſimili usque ad extremum, et tunc agmen circumagi et reverti, aciemque dirigi. Adeo omnium odori durare virus illud maiore ex parte, ne nudorum quidem pedum. *Amicos* homini Cicero innuit, dum dicit, opinionem eiusmodi eſſe, quandam illi belluae cum genere humano ſocietatem. Innuit et Philoſtratus, dum ſcribit, ubi ſemel ad hominem adſueſcit, ab eo omnia pati, ex eoque morum ſimilitudinem in ſe transferre, neque aliter, quam parvos canes, ex hominis manu gaudere cibum ſumere, atque ad ſe accedentem promuſcide complecti, eumque caput intra fauces immittere facile tam diu pati, quoad homini libitum fuerit. Quae de cuiusdam elephantis erga infantem amore produntur, apud Athenaeum et Aelianum vide. Traditur quoque unus amaſſe, quandam in Aegypto corollas vendentem, ac ne quis vulgariter electam putet, mire tum gratam Ariſtophani celeberrimo in arte Grammatica. *Docilitatis* eſſe ſingularis, multa ſunt argumento. Plinius enim per auras arma iacere non auferentibus ventis, inter ſe gladiatorios congreſſus edere, aut laſciviente pyrrhiche colludere, ſcribit. Ubi, ut idem ait, mirum maxime, adverſis quidem funibus ſubire; ſed regredi magis utique pronis. Sic ſe rem habere, praeter Plinium, Seneca et Suetonius, ne de Xiphilino dicam, innuunt. Romae quidam gyros facere explicatu difficiles doctus, increpatus, noctu ſua ſponte ſe ad lunam exercere deprehenſus eſt. Ille, quem Emanuel Luſitaniae Rex Leoni X. Pontifici dono miſerat, eundem de feneſtra proſpectantem ter genibus flexis, et demiſſo corporis habitu, venerabundus ſalutavit, Oſorio prodente. Augerius ſimiliter Busbequius in epiſtolis Turcicis ſcribit, viſum ſibi elephantum iuvenem, qui ad cantum tripudiantium more alternos moveret pedes. Eundem et pila luſitaſſe, quam palmae vice feriret proboſcide. Linguas, intelligere Zeilanenſes, apud Metellum habemus; quendam literarum ductus Graecarum didiciſſe, ſolitumque perſcribere eius liguae verbis. Ipſe ego haec ſcripſi, et ſpolia Celtica dicavi, apud Plinium. Humano more convivatos aliquando apud Aelianum invenies: neque ex iis viſus eſt, quispiam vorax, neque maioris partis capax. Cum eſſet bibendum, unicuique crater exhibebatur et hi quidem promuſcidibus potionem haurientes, moderate bibebant: deinde circumſtantes leviter et feſtive ad-

Strabo Geogr. l. 15. Caſſiodor. l. 10. Varior.

Plutarch. de ſolert. animal.

Plin. H. N. l. 8. c. 10.

Cicero l. 3. de Nat. Deor.

Philoſtrat. de vita Apollonii l. 2.

Plin. H. N.

Plin. H. N. l. 8. c. 3.

Seneca Epiſt. 86. Sueton. in Nerone et Galba. Plutarch. l. de ſolertia Animal.

Plin H. N. l. 8. c. 5.

Aelian. H. A. l. 8. c. 12.

ſpergebant. Mimi magiſtrive officium exhibere, et aliis ſalientibus choreasque ducentibus praecinere, Arrianus ſe vidiſſe iactat. Inter caetera ſolertiae documenta, eſt et hoc, quod, cum profundas et ſuperatu difficiles foſſas tranſeunt, maior ſtans medius tanquam pons omnes transmittit: alii ingerentes foſſae ſarmenta, eundem ſervant. Sed et pabuli conſueti quantitatem agnoſcere; Plutarchus prodidit, permiſtamque eidem farinam artificioſiſſime ſecernere poſſe Aelianus. At, quod Acoſta de quodam lebetem, utrum pertuſus eſſet, aqua hauſta probante, ſcribit, ſtupendum eſt. Solem et Lunam novam venerari, homini erranti viam monſtrare, humana adulteria et homicidia obſervare ac detegere; ſed et patrium intelligere ſermonem, loqui, vel ſcribere, inter fabuloſa repono. De *Vſu* elephantum, in bello, ſpectaculis, triumphis, et aliis, alibi dicetur. In *Cibis* fuiſſe quibusdam certum. Unde et Elephantophagorum nomen, qui circa Drabam, in montibus Aſachaeis, et contra Meroen habitabant. Adiabaras, ſeu Magabaros auctores vocant. Quin et Plinius Troglodytas ſolo elephantorum venatu ali tradit. Caro ponderoſa, frigida et abominabilis Rhaſi. Aelianus praeter promuſcidem, labrum, et cornuum medullam, nihil eſculentum in iis eſſe ait. Aethiopes, teſte Gyllio, poſteriores partes appetunt. Renes tamen maxime in deliciis, et regum epulis, ſi Vartomannus vera prodidit. *Medicinam* quod ſpectat, Aelianus adipem contra omnia genera ferarum remedio eſſe, reliquit, eoque inunctum, etiam nudum inter ferociſſimas illaeſum verſari poſſe fabulatur. Proboſcidis tactu, capitis dolor levatur; efficacius, ſi et ſternuat. Dextra eiusdem pars, cum Lemnia rubrica adalligata, impetus libidinum ſtimulat. Iecur, comitialibus morbis prodeſt. Fimo, ſi illinatur, pediculi fugantur. *Eboris*, cuius nomine Plinius illam praecipue partem dignatur, quae circa os eſt, quodque alibi elephantis, et dentis Indici appellationem ſortitum eſt, ſingularis eſt et natura et uſus. Gaudet humido et ſiccitate offenditur, cariemque ſenrit. Emolliri poſſe Democritus oſtendit; emolliturque potionis genere, quod zythum vocatur, ut apud Plutarchum extat. Emollitum, conformatur, et in varia tornatur. Parabantur quippe ex eo menſae, lecti, capuli cultrorum, enſes, vaginae, pharetrae, ſceptra, ſellae curules, portae, et alia, de quibus Aldrovandum conſule. Politur ut ligna, ac potiſſimum ſquatina, ut teſtatur Plinius: nitor vero, hebetatur menſibus muliebribus. Vis ipſi adſtringens, quae tamen guſtu non percipitur. Conceptum iuvare, et ventriculo humido prodeſſe, Practici prodiderunt. Ramentis cum melle illitis, nubeculae in facie tolluntur. Scobe, paronychia ſanantur. Contra lumbricos cum cornu cervi miſcetur. Si uratur, ut decet, Spodium vocatur, pro quo tamen aliorum animalium oſſa obtruduntur. Frequentior huius, quam eboris uſus. Praeparationem vide apud Aldrovandum loco citato. *Differentiae* et *Genera*, a locis in primis ſumuntur, ſeu Philoſtratum, Aelianum, et Plinium ſpectes, ſeu recentiores. Sunt enim alii paluſtres, alii montani, alii campeſtres, alii ſilveſtres, alii Lybici, alii Indici. Solinus Praſiorum, et Taxilarum meminit. *Paluſtribus* dentes ſunt lividi, rari, tractuque difficiles, et in plerisque partibus foramina; in aliis vero quaſi grandinis grana tumores quidam inſurgunt, et arti minime obtemperant. Dementes levesque eſſe, Philoſtratus addit. *Montani* perverſi ſunt, et inſidioſi, et niſi alicuius rei indigeant, erga homines minime fidi. Dentes habent minores, ſufficienter albos, et in quibus nihil eſt difficile reperire. *Campeſtres* benigni habentur, manſueti, et imitationis amatores. Dentes habent omnium maximos, albiſſimos, et ſectu faciles,

Aelian. l. 8. H. A. c. 10.

Acoſta Hiſt. Aron. c. 7.

Aelian. H. A. l. 8. c. 17.

Vſus.

Plin. H. N. l. 8. c. 8.

Aelian. H. A. l. 1. c. 12.

Ebur.

Plutarch. l. An ad infelicit. etc.

Aldrov. Hiſt. Quadrup. l. 1. c. 10.

Differentia.

Monoceros Unicornu.
Einhorn.

Capricornus Marinus.
Meer Steinbock.

Monoceros Unicornu.
Einhorn.



ciles, ut nullo labore, in quamcunque manus voluerit partem deducantur. *Silveſtres*, in regno Senegae, ad fluvium inprimis Gambram invenies. Ibi enim gregatim, ut apud nos apri, incedunt. *Lybici*, ſeu Mauri Indicis ſunt minores, et nec vocem, nec odorem horum ferre poſſunt, ut apud Polybium habes; imo nec contueri quidem eos audent, ut apud Solinum legitur. *Indici*, ſunt quidem maximi; non eiusdem tamen omnes magnitudinis. Ideo Solinus duo corum genera tradit; nobiliores indicari magnitudine, minores nothos dici. *Praſii* appellantur, qui maximi ſunt, quales forte iam Madagaſcar, teſte Scaligero, produ- Scalig. Exercit. cit. *Taxilas* vocant, qui ſecun- 204. di ab his magnitudine exiſtimantur. Illos et in Sumatra invenies, animi robore, et virtutis indole iis, qui in continenti ſunt praeſtantes. Ideo magnis navibus in continentem Aelian. H. transportati, Calingarum Regi ven- A. l. 16. c. debantur, ut Aelianus prodidit. 15.

Hiſt. l. 5. Polybius

CAPUT VI.

De Moncerote, et Aſinis Cornutis.

Monocerotis vocabulum, quod Latinis unius cornu animal ſonat, pluribus animalibus competit: ſtricte tamen ſoli illi, quod ἀπὸ τοῦ μόνου κέρατος, a ſolo cornu dictum eſt, et ideo Unicornis, et Unicornu. Brachmanorum Dialecto καρτάζονον, vocatur. An in rerum natura ſit, vel fuerit, alibi, poſt Baccium, et Bartholinum, magni patris magnum filium, disquiretur; nunc breviter fide auctorum, qui de eo ſcripſere, de eodem agemus. *Deſcriptionem* itaque quod attinet, Strabo, ex Oneſicrito equos unicorne toto fere corpore referre ſcribit. Philes cauda aprum, Leonem rictu praeferre ait. Plinius, reliquo corpore equo ſimilem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, facit; et uno cornu nigro, media fronte cubitorum duum eminente, inſtrui. Plinium Solinus ſequitur. Iſidorus cum Rhinocerote confundit, et cornu ita acutum et validum eſſe, ut quicquid impetierit, aut ventilet, aut perforet, addit. M. Paulus Venetus, Magno Cham Tartariae a ſervitiis, in regno Lambri conſpici ait, Elephante minores, depreſſum caput gerentes aprino ſimile, ſpinoſa lingua, qua obvia petunt, nigricantibusque oculis, Rhinocerotis formam ad unguem aemulantur. Ludovicus de Varthema Bononienſis de Monocerotibus a ſe viſis, ita ſcribit. Ex altera templi Meccani parte clauſtra ſunt, quibus bini Monocerotes vivi includuntur, qui pro re ſingulari, ut ſunt, monſtrantur. Eorum haec forma erat. Maior equinum pullum xxx. menſium imitatur, unumque in fronte cornu praefert, trium circiter ulnarum. Alter Monocerus, unius anni ſimilis, cornu quatuor palmarum habet. Color ferae, ut equi ſagmati obſcurior, capite cervino, collo brevi, rariſque circa illud pilis, et brevi iuba ab altero tantum latere dependente. Crus ſubtile habet, gracile hinnuli inſtar: Pes anteriori parte parum fiſſus, ungula vero caprina, pedesque dextrum latus piloſum. Enimvero feritatem prae ſe fert, et naturam ſolitudinis amantem. Quae Garzias ab Horto habet, non appono. Reperiri dicuntur in Arabiae ſolitudinibus, ibique a mercatoribus viſos, Thomas Bar- Bartholin. tholinus accepit. Garzias ſuos in- de Unicor- ter promontorium Bonae Spei, et nu cap. 24. illud, quod vulgo de Currentes nun- Garzias H. cupatur, inveniri ſcribit. Paulus Arom. l. 1. Venetus ſuos in regno Boſma et c. 14. Lambri locat. Aeneas Sylvius, in extremis Aſiae partibus, in quadam provincia nomine Macino, inter montes Indiae et Cataium, ubi vulgo, creditur habitaſſe Sericos Aloyſius Cadamuſtus in novo orbe.

Aldrov. Hiſt. Quadrup. l. 1. c. 6.

Strabo Geogr. l. 15. Philes in Iambis.

Plin. H.N. l. 8. c. 21.

M. Paulus Venetus l. 3. c. 15.

Vartom. l. 1. c. 18.

Cornu

Cornu in pluribus exhibetur locis. Decantatiſſima ſunt, S. Dionyſianum in Gallia, Venetum, Hiſpanicum, Ultraiectenſe, Helvetorum, Danicum, Mercatorum Venetorum, et Gedanenſis Empirici. *S. Dionyſianum*, inter prima melioris notae reponit Baccius; quia rudiori forma, non politum, ad nigrorem vergens inſtar cervini, quam proxime ad veterum unicornu accedere videtur. In aſſignanda longitudine variant auctores. Renodaeus hominis proceritatem aequare tradit, ea fide, qua et nobis patuit: Baccius et Marinus ad ſex cubitos extendunt: Goelnitzius ad ſex et ſemi pedes metitur: Bellonius ſemiſſem complens ad ſeptimum auget. Nec de pondere conſentiunt. Cardano libras decem et ſeptem pendere viſum, cum tertia parte Goelnitzius ad vigeſimum quintum pondus aſcendit. Ego ſublatum, ad decem et octo libras, cum Bellonio extenderem. *Veneta* unicornua inter vera cenſet Baccius, inter diverſa ab antiquorum unicornibus. Andreas Marinus, quod antiquorum unicornibus longiora ſint, nec ſtrias habeant Monocerotis Aeliani, adeoque ſubtilia, ut pocula inde nulla conficiantur. Colore ſunt cornu cervini politi, et pallidi non nigri. Feruntur occupato Byzantio in Venetorum Rempublicam tranſcripta, cum XII. pectoralibus ſatellitum Imperatorianorum. *Hiſpanicum*, cuius fruſtulum Philippus IV. Franciſco Barberino Cardinali eminentiſſimo, et in peregrinos Heroas humaniſſimo, donavit, nihil ſingulare habet. *Vltraiectenſe*, longitudine Pariſienſi par eſt, ſufficienti amplitudine. Gyri frequentiores ad extremum apicem circumducti, recto tractu obliterantur. Cruſtae color cineritio ſimilis, medulla candidiore. In magno pretio habetur, et pro vero venditatur, ut infinitam auri vim, repetundarum damnata Colonia Agrippina, contra licitaretur. *Helvetiorum*, ad oram fluvii Arulae prope Brugiam, anno M. D. XX. inventum eſt. Interiori facie eſt album, flaveſcens, exteriori, ſine ſtriis, duorum cubitorum longum, ſed, ut moſchus, odore praeſtans, praeſertim igni vicinum. *Danicum*, in caſtello Friderici Burgi aſſervatur, longitudine ſeptem pedes Romanos excedens, ſi partem alveo excipiamus incluſam, cuius menſuram pedis unius cum menſuris duabus Bartholinus deprehendit. Ambitus ſeptem minimum digitos complectitur, aequali girorum flexu in acumen deſinens. Color ex candido mixtus et cinericio, quem per intervalla, nigriores ſtriae, lineaeque obſcuriores diſtinguunt. *Venetorum mercatorum* unicornu ex Germania allatum eſt, coloris ſplendore et varietate veri cornu ſpeciem promittens, eoque magis, quod abraſae particulae, non dentium inſtar in ramenta, quae fricari poſſunt, concidant; ſed inde quisquiliarum ſquamae eadem plane viſciditate et lentore reſiliunt, quo facta quaevis animalium cornua. De *Gedanenſi* nihil occurrit. Empiricus Conſtantinopoli redux, magno illud non ita pridem venditabat. De reliquis, quae huc ſpectant, ita Aelianus. Dicunt omnium maxime animalium abſonam vocem et cententam emittere; et ad alias quidem beſtias ad ſe accedentes manſueſcere, cum gregalibus vero ſuis pugnare. Neque modo mares naturali inter ſe quadam contentione diſſidere, ſed contra etiam foeminas certare, pugnamque usque ad mortem victi ingraveſcere. Nam et reliqui corporis robore maximo praeditus eſt, et cornu inprimis inexpugnabili armatur. Deſertiſſimas regiones perſequitur, ſimul et ſolitarius errat. *Coitus* tempore ad foeminam manſuete manſueſcit, et pariter paſcuntur. Cum hoc tempus tranſierit, et ventrem ferre foemina coeperit, rurſus efferatur, et ſolus vagatur. Praſiorum Regi illius pullos etiamnum teneros aiunt deportari, eosdemque feſtis et panegyricis diebus ad pugnam committi,

Baccius l. 2. c. ult.

Renod. l. 3. Pharm. c. 21.

Bartholin. de Unicor. c. 27.

Aelian. H. A. l. 16. c. 20.

ad

ad robur oſtendendum. Nam integrae aetatis et perfectae, nullum unquam quisquam meminit captum
Albert. H. A. l. 22. fuiſſe. Tantum Aelianus. Alii addunt, adeo animal hoc puellas virgines venerari, ut, ſi ſinus venienti aperiant, in illum, ferocia depoſita, caput ponat, ſicque ſoporatum velut inerme capiatur. De *Vſu* inter omnes notum, ad venena maxime commendari. Eo vero praeſente ſudare, et in humore ebullire, ſicque verum dignoſci, nonnullorum eſt ſententia. Aloyſius Mundella adverſus morſum canis rabidi, aliorumque animalium maleficorum, nec non vermes eorumque ſymptomata commendat. Antiqui Indorum Reges, ad quorum notitiam primum hoc cornu pervenit, pocula ex eo ſibi fabricabant, ut, dum ex iis bibebant, contra venena, ebrietatem, ſpaſmum, epilepſiam, et alios malignos morIordan. l. de peſte. bos munirentur. Narrat Iordanus Iudaeum quendam Venetiis, in menſa cornu circulum delineaſſe, poſtmodum ſcorpium et araneum inieciſſe, qui nunquam tranſilire potuerunt ambitum cornu circumſcriptum: deinde palmi altitudine quovis raptantes beſtias, umbrane aut vi emanante, intra quadrantis horae ſpatium ambas necaſſe. Non eſt ergo mirum tanti eſſe pretii, ut Germani mercatores teſte Baccio, pro uno XC. M. coronatorum poſcerent; et Pontifex Romanus, erecta in Vaticano pharmacopoea, fruſtum XII. M. aureorum a mercatoribus Epidauriis redemerit, quo non ſemel Auguſtinus Ricchus Pontificius tunc temporis Archiater, feliciſſime, modo ſcrupuli, modo decem granorum pondere, ex vino, pel aliqua cordiali, aqua utebatur. Et haec de Unicornu nunc ſufficiant, pluribus alibi agemus. Quantum ad *Aſinos Cornutos*, tribus in locis eo celebrari invenio, in India, nempe, Scythia, et Africa. De *Afris* Herodotum auctorem habemus. De *Scythis* apud Herodot. l. 4. Aelianum habetur, et addit, Cornua aquam fluminis Stygis continere, quae tranſmittit vaſa omnia etiam ex ferro, miſſaque ab Alexandro Delphos, ut Pythiae dedicarentur. De *Indicis* ita idem Aelianus. Silveſtres aſinos equis magnitudine non inferiores apud Indos naſci accepi, eosque reliquo corpore albos, capite vero purpureo, oculisque cyaneis eſſe: cornuque in fronte gerere ſeſqui cubiti longitudine: cuius ſuperius puniceum, inferius autem album, medium vero plane nigrum ſit: atque non omnes quidem Indos, ſed potentiores, quum tanquam armillis quibusdam brachia, ſic cornua auro ornarunt, ex his ipſis bibere ſolere. Ex hoc cornu bibentem ab inſanabilibus morbis tutum, fieri, neque eum ipſum convulſionibus corripi, neque ſacro morbo tentari, neque venenis ullis ferunt. Quin etiam, ſi quid prius peſtilens biberit, tum id evomere, tumque ad ſanitatem redire. Quum autem caeteri aſini, quibuscunque in terris ſint, tam domeſtici, quam ſilveſtres, tum caetera ſolipeda animalia, talos non habeant, neque fel in iecore, ut fertur: aſinos Indicos cornigeros, Cteſias inquit, talis primum iisque nigris praeditos eſſe: eosdemque, ſi quis confregerit, interiora quoque nigra deprehenſurum eſſe: neque felle eos carere: neque modo corporis velocitate longe multumque caeteros aſinos ſuperare, ſed et velocitate eadem multo equis et elephantis praeſtare. Quum autem in viam ſe dederunt, tardius primo ingrediuntur, deinde paulatim tantum confirmantur ad contendendum iter, eos quidem ut aſſequi nemo poſſit. Poſtea autem, quam foeminae pepererunt, patres circa pullos a partu recentes, ſumma cuſtodia verſantur, eorumque commorationes locis Indiae deſertiſſimis ſunt. Quum a venatoribus Indis invaduntur, pullos ſuos adhuc aetate infirmos, a tergo ſuo paſcentes haAelian. H. A. l. 10. c. 40.

Aelian. H. A. l. 4. c. 52.

bent, atque pro eis pugnant: contra equites audent venire, eosque cornibus ferire. Tanto ſane hi robore exiſtunt, nihil eis ut obſiſtere queat, quin ſtatim concedat, vel, ſi non ceſſerit, frangatur, aut aliter atteratur, et evadat inutile, et perdatur. Equorum etiam incurſu latera diſcerpunt ac lacerant, ut viſcera effundantur: ex quo fit, ut ad eos equites appropinquare valde metuant; appropinquatio enim capitalem ipſis pariter et equis mulctam miſerabiliter infert. Pergraviter calcibus pugnant. Eorum morſus eatenus acerbiores exiſtunt, ut, quicquid comprehenderint, funditus diripiant. Ex his, qui ſunt confirmata aetate, vivos non ceperis, iaculis et ſagittis perimuntur. Carnes eorum, quod amariſſimae ſint, haudquaquam eſculentae. Eadem fere Philoſtratus ſcribit. Icon, quam adiicimus, ferae quidem eſt corpore auribusque aſinis, binis armatae cornibus, quorum alterum e narium, alterum ex oculorum regione exit: ſed quia nec ſolipes eſt, nec unicornis, Aſinus Indicus cornutus eſſe nequit.

Philoſtr. in vita Apollonii. l. 9.

HISTO-

HISTORIAE NATVRALIS DE QUADRUPEDIBUS

LIBER II.

De Quadrupedibus bisulcis.

TITULUS PRIMUS

De Bisulcis terrestribus.

CAPUT I.

De Ruminantibus Cornigeris in genere.

Aldrov. de Bisulcis l. 1. c. 1.

HActenus Solipedum historiam persecuti sumus: sequuntur *Bisulca*: Graecis διχηλὴ et διστχιδῆ, quae ungulam dividere in sacris legimus, quod multifida, quamvis pedes in digitos scissos habeant, facere non dicuntur. Duo talium invenio genera, *Terrestre* nempe et *Aquaticum*. Ex terrestribus alia *ruminant*, alia *non*. Ex illis, quae ruminant, quaedam sunt *Cornigera*, quaedam *non cornuta*. Illa in *genere* et in *specie* considerabimus. *Ruminantia* autem illa vocamus, quae pabulum semel deglutitum, mox ad os regurgitans, revolvunt. Unde Ruminationis actum, Apuleius rumigare, Quintilianus et Plinius, remandere, Graeci μηρυκάζειν, μηρυκᾶν, παρὰ τὸ μηρύειν, quod est revolvere, dixerunt. Latinorum quidam a loco, ad quem sursum ad os repellitur, id est, a rumine, quod ut ait Festus, locus est in ventre, quo cibus demittitur, et unde redditur, deduxerunt. At Servius a ruma, quae rumis, et frumen aliis, quam ait eminentiorem colli partem esse, ad quam demissus cibus, a talibus animantibus revocatur: Mercurialis vero ab erumnis, quod Arnobius scribat, erumnas esse prima in gurgulionibus capita. *Necessariam* autem hisce animantibus ruminationem esse, tum exinde colligas, qnod duriore pabulo vescantur; tum ex eo, quod superioris mandibulae dentibus careant, et inferiores minime habeant serratos. Inde factum, ut dentium defectum *ventrium multitudine* natura pensaret. Sunt enim talibus quatuor, κοιλία nempe, κεκρύφαλος, ἐχῖνος, τύλυστρον, seu venter, reticulum, omasum, abomasum. Gula ab ore incipiens ad pulmonem septemque transversum deorsum tendit: hinc se ad *ventrem* applicat *maiorem*, qui parte interiore asper interceptusque est, ac prope gulae commissuram, sinum sibi adnexum habet, quem ex argumento *reticulum* appellant. Est enim ventri similis extrinsecus, intus reticulis mulierum implexis, magnitudine multo, quam venter maior. Hunc excipit *omasum* parte interiore asperum, cancellatum, crustatum, magnitudine reticuli. *Abomasum* venter ab eo alius iungitur, magnitudine amplior omaso, forma oblongior, cancellis intus et crustis multis, magnis, et levibus innormatus, mox intestinum consequitur. In prima alvi cavitate rudis adhuc esca cernitur, quin et festucae et vix lacerati surculi. In secundo amplius conficitur cibus, et magis adhuc in tertio elaboratur, ut in novissimo tandem concoctio absolvatur, ubi in cremorem lacteum abit. Nec tamen sola illa, quae superiore dentium ordine carent, ruminant. Ruminant namque inter pisces Scarus, quod obtusos dentes habeat; inter animalia, mus vulgaris, et Ponticus, lepus et cuniculus, ut in Levitico habetur.

Festus de verbor. significat. Varro L. L. l. 2.

Arnob. l. 7. contra gentes.

Aristot. H. A. l. 2. c. ult.

Aristot. H. A. l. 9. c. ult.

Bos Domesticus

ſtantiam. Unde enim equis hordeum, unde cibum canibus, unde porcis pabulum dominorum ſolertia ſubminiſtraret, ni parentur boum labore frumenta? Et, ne longum faciam, bobus debent alimenta, quicquid ali poteſt. Apud alios genus mularum, apud alios camelorum, apud paucos elephantorum, etſi exiguus uſus eſt, nulla poteſt ratio eſſe ſine bobus. Non eſt itaque mirum tali olim boves in pretio, ut Germani iunctos uxori ducendae dotis nomine mitterent, quo venire ſe laborum periculorumque ſociam his incipientis matrimonii auſpiciis admoneretur: Athenienſes nullum longo tempore, cuius opera aratro vel curru utebantur, immolarent: Pythagoras, ne quis iſtiusmodi operoſa animalia interimeret, inſtitueret: Phryges, qui bovem aratorem interfeciſſet morte mulctarent: Imperator Valens lege caveret, ne quis per Orientem vitulina veſceretur: et Conſtantinus, ob civilia debita boves aratorios pignori capi vetaret. Quin et virtutis praemium boves dati; et Decius Mus tribunus militum, cum Romanum exercitum ab hoſtibus Sabinis circumventum, circuitione montis conſervaſſet, auream coronam, et centum boves accepit; Lelius poſt expugnatam urbem, triginta. Taceo, tributi nomine a Bohemis Carolo Magno quotannis centum et triginta boves miſſos: furto ſubreptos belli cauſam, prodente Homero, et Pauſania fuiſſe; et Batavos, qui ex caſeo et butyro, quae in extrema loca exportantur, in ſingulos annos ducenties ſeſtertium, id eſt, decies centena Caroleorum millia, praeter ea, quae in quotidianum alimentum cedunt, cogere, ut Adrianus Iunius prodidit. Diverſa pro aetate et ſexu *Nomina* ſortitur. Praecipua ſunt, *Bos*, *Taurus*, *Vacca*, *Iuvencus*, *Iunix*, *Vitulus*. *Bovis* nomen proprie caſtrato impoſitum eſt: taurum tamen quoque et vaccam ſignificat; ut et apud Graecos βοῦς nomen eſt genericum, et teſte Tzetze aliquando vitulum ſignificat. *Taurus* eſt bos, antequam caſtretur, dux et maritus vaccarum. Oppianus tamen hoc nomine tanquam digniore, totum bubulum pecus complectitur. Dictus eſt Ethymologo quaſi ταυύκερος, a caudae extenſione, ἀπὸ τᾶ τεινεῖν τὴν οὐραν; vel quaſi γαῦρος, id eſt, ſuperbus: vel a Syriaco Tor et Taur, ut Scaligero placet. *Vacca* foemina tauri eſt, et apud Graecos a bove mare per articulum diſtinguitur. Florentinus βαθήλειαν aut δάμαλιν reddit, quod nomen omni animali in iuventa Phocion tribuit, iuvencae alii. *Iuvenci* et vituli nomen non diſtinguunt ſatis auctores, nec Varro ſibi conſtat; quin et Poetae iuvencos et iuvencas vocant boves et vaccas, nec non vitulos, quibus nondum erupere cornua: cum tamen Iſidoro iuvencus dicatur, qui incipiat hominum uſus in excolenda terra iuvare, quod ex Varrone habet; iuvenci nomen bovem nobis indicabit, qui iam non amplius vitulus. *Iunix* eadem videtur, quae iuvenca. Ideo Cornutus ad Perſium, iunices tenerae aetatis boves, quae nondum ad ſummam aetatem pervenerunt, eſſe dixit. *Vitulus* et *vitula*, primae aetatis nomen eſt. Iſidorus a viridi aetate; alii a vitulando, id eſt, laſciviendo, alii a vita derivant. Apud Graecos varia obtinuit nomina. Dicitur namque πέταλος, μόσχος, μέσκων, πόρτις, πόρις, ἐρινὰς, μογιλαῖος, ἧνις, πρηὼν et πρὴν, κορόννος, ῥώς, πελλὸς, κνώδαλος, quorum tamen quinque poſteriora tauro et bovi potius competunt. πέταλοι dicuntur vituli apud Athenaeum, ἀπὸ τῶν κεράτων, ὅταν αὐτὰ ἐκπέταλα ἔχοντες, id eſt, a cornibus patulis ſeu exilibus, ut Caelius Rhodiginus interpretatur, patulis potius, planis, et in latitudinem extenſis, ut alii. Μόσχος, quod utrique ſexui commune eſt, dicitur, vel quod μῶ vocem edat: aut παρὰ τὸ ὀσμᾶσθαι τῇ μητρὶ; aut παρὰ τὸ μῶ τὸ ζητῶ, καὶ διὰ τὴν σχίσιν ἣν ἔχουσι πρὸς τὰς μητέρας: id eſt, aut quod matrem olfaciant; aut quod μῶ voce quaerant; aut propter affectionem, quam habent verſus matrem. Μόσκωρι, Graeci noſtri temporis nominant. Πόρτις Heſychio eſt νεογνὸς βοῦς; a quo πορτάκιον. πόρις apud Henricum Stephanum eſt vitulus et vitula,

Tacit. de morib. German. Rhodig. Antiq. lect. l. 19. c. 27.

Aelian. H. A. l. 12. c. 34.

Dubrav. in Hiſtor. Bohemica.

Panſan. in Meſſeniacis.

Nomen.

παρὰ τὴν πορείαν ab itinere, ita, ut ſit μίκρα βῦς, ut Suidae verbis utar, ἠμᾶξαμένη νῦν τῆς κατὰ νομὸν πορείας. Ἐρινὰς Heſychio et Varino νεὰς βοῦς. Μογιλαῖος itidem. Ἤνιν Graeci vocant, τὴν ἐναυσιαῖαν καὶ μόνον ἐνὸς βοῦς, bovem anniculam. Reliqua bovi vel tauro magis competere dixi. Πρὴν namque Varino et Heſychio eſt taurus. κόλλιξ, bos aut agnus, qui alterum cornu perverſum habet. Κεράονες bos, cui cornua ſunt lunata, ut κέρωνες taurus ὀρθόκερως iisdem. Βῶν apud Tzetzen taurorum Scythicorum genus eſt. πέλλες vocatur bos coloris nigri. Κνώδαλα quoque Aeſchylus boves vocat. In *Deſcriptione* ſingularia duntaxat adſcribam. Notiſſimum namque animal eſt; de cornuum vero Differentiis poſt agemus. *Pilum* itaque hoc animal gerit, qui quotannis, teſte Ariſtotele decidit, tenuiorem et denſiorem, quam ſuum: in dorſo tamen et cervice denſior eſt, et peculiari nomine κόλλοψ appellatur, quod ex ipſo ἀναῤῥαττομένῳ, id eſt, ferve facto, ἡ κόλλα, ſeu gluten fiat, ſeu ut Varinus, quod ex eo κολλαβοῖς id eſt, claviculi, quibus remittuntur et intruduntur in cithara fides, parentur. Quae in collo conſpicitur reduplicatio, μύκλος appellatur, ut idem ait. *Labiorum* prominentiam habet craſſam: craſſam item et obtuſam ſupernam maxillam, ideo breves herbas decerpere non poteſt. *Frontem* imagine V figurari, Caelius notavit; Democritus et Aelianus exectos latiorem tauris habere obſervarunt. Inter utrumque cornu maxima oſſium eſt durities, iniuriis valde reſiſtens et fractu contumax. *Linguam* avulſam per totam diem palpitare, Gardanus ſcripſit. *Pelles* illae, quae ex gutture dependent, palear ſeu palearia dicuntur. Varino forte λωγάλιον, nam τῶν βοῶν ὑπὸ τὸν τράχηλον χάλασμα, explicat. *Dentes* ſunt continui, et bis mutantur. Mutant autem bimi, ut ait Plinius. Superiori dentium ordine carent: id eſt, primoribus quatuor, ideo, ut diximus, ruminant. *Penis* tentigo tanta, ut, ſi inturus a loco aberret, vaccam vulneret. Vaccae *Mammas* habent inter femora, binas, ut habet Ariſtoteles; quatuor, ut Plinius, ſingulis papillis, quas habet quatuor, teſte etiam Ariſtotele, mammam, ut apparet, tribuens. *Podicem* hiare innuit Horatius. *Caudae* tenor longus eſt, pili breves. Plinius caulem vocat. *Caro* ſicca eſt et atrabilaria. *Nervi* duri et robuſti; tauris tamen duriores. *Sanguis*, fibris refertus, ideo omnium celerrime coit et dureſcit. *Articulum femoris*, laxum magis bos habet, quam alia animalia: ob id magis, quam alia pedem trahit, maxime, cum macilentus eſt et ſenex. *Lapillum* feruntur in capite geſtare, eumque ſi necem expectent, expuere. Auguſtinus in iecore quoque et renibus habere ſcribit. In corde *Os* gerere, Plinius auctor eſt, ex Ariſtotele ſine dubio. *Lienis* figura oblonga eſt; ipſe nigrior, quam in ſue praeſertim, ubi conſenuerunt. *Renes*, humanis, teſte Plinio, ſimiles, velut e multis renibus compoſiti. *Tali* a cameli talis differunt, quod paulo maiores ſunt. In ſecundo iuvencarum ventre, nigricantem pilae rotunditate tophum reperire, nullo pondere, Plinius auctor eſt. Aldrovandus duas in muſeo habuit; unam colore ruffo, alteram atro, quod ille ex ruffi coloris bove, haec ex nigro eſſet eruta; cum ſit earum ortus ex pilis, quos in ipſa ruminatione lambendo, ut fit nonnunquam, exteriores corporis partes deglutiendo colligunt, admiſtaque pituita paulatim in ovalem figuram fere cogunt. De *Loco* non eſt, quod multis agamus. *Cibum* ſi ſpectes, omnivori quidem ſunt boves: maxime tamen gramine Cytiſo, ervo, medica herba, loto, carice, ſalice, quercu, olea, arundine, alno nigra, vite, hordeo, olyra, arinca, milio, panico, cicera, lupino, glandibus, nucleis dactylorum, olearum, et viſco, delectantur. De gramine omnibus notum eſt, cui hieme foenum ſuccedit. In Narbonenſi provincia in fonte Orge, quoddam naſcitur in tantum bobus expeditum, ut id merſis totis

Deſcriptio.

Ariſtot. H. A. l. 2. c. 15

Plin. H. N. l. 11. c. 37.

Plin. H. N. l. 8. c. 45.

Plin. H. N. l. 18. c. 22.

tis capitibus quaerant. Idem in Ligeri amne, qui per Velaunios fluit faciunt, et in Sebuſianorum piſcinis. In eorundem quoque lacunis, ſtangnis, et pigris aquis, gramen naſcitur longiſſimis foliis, ſubrubris, innatantibus aquae, quorum etiam tam avidi ſunt boves, ut, dum ea perſequuntur, ad ventrem usque ſe immergant, et toto capite ſub aquam deiecto ea depaſcantur: quo pabulo eximie ſaginantur; vaccae autem plus lactis, quam quae in vicinia praebent. Ex cytiſo copioſum et dulce lac provenit: ſed cum floret incommodus eſt, quod tantisper urat et extinguat. Ervum commendatur, ſed non menſe Martio ſatum, quod cerebroſos reddat. Plinius non ſolum menſe Maio ſatum, noxium, bobus dici aſſerit: ſed et autumno gravedinoſum. Madefactum, pluribus diebus miteſcere. Ideo Democritus tale, ne boves fiant debiles, ſingulis menſibus in potu exhibet. Singulis boum iugis, quini modii ſufficiunt. Ex medica omne emaciatum iumentum pinguefit, aegrotantique pecori remedio eſt, ut Theophraſtus prodidit. Ideo ſilveſtris in plerisque Hiſpaniae locis, praeſertim Valentino, diligenter, teſte Dalechampio, ſeritur. Parcius tamen dandum, quod Ariſtoteles, lactis copiam extinguere, quod univerſum pabulum in ſanguinem, adipem et carnes, faceſſat. *Lotus* alimentum plurimum optimumque praebet, quia ſubdulcis eſt, et ſemel ſata herba reſtibili, per aliquot annos foecunditate germinat. *Vlmi* Attiniae inprimis frondes apud Romanos olim in pretio. Si ea aſſidue pecus alueris, et poſtea generis alterius frondem dare inſtitueris, faſtidium bobus afferet. *Salicis* fit apud Virgilium mentio; nec Lucretius eius oblitus eſt. *Ficulnea* folia bubus probe dari poſſe, ſi ſit eorum copia, ſcribit Columella. Idem quernam ceu meliorem et oleagineam praefert, ſed eius generis, quae ſpinas non habet. *Alni* nigrae folia lactis copiam generant. *Hordeum*, et reliqua ex frumentis de paleis intellige. *Milium* tamen in Italia bovum pabulum ſeri, Porta ſcribit. *Cicera* ervi loco freſa datur in Hiſpania Baetica, quae cum ſuſpenſa mola diviſa eſt, paulum aqua maceratur, dum lenteſcat. *Lupini* modii ſinguli bovem unum ſatiare validumque praeſtare, apud Plinium legimus. Maceratus in aqua fluviatili et marina triduo, dulceſcit, et ita ſiccatus ad uſum reconditur. *Glandes* Cato poſt ſementem colligi praecipit, et in aquam coniici, ut inde ſemodius patrata ſementi, verno modius bobus ſingulis detur. De iisdem Plinius. Bobus glandem circa brumam aſpergi convenit, in ſingula iuga modios XXIV. Largior valetudinem infeſtat: et quocunque tempore detur, ſi minus triginta diebus continuis data ſit, narrant verna ſcabie poenitere. *Nucleos dactylorum* in aqua maceratos apud Babylonios bobus ovibusque in pabulum exhiberi, Strabo auctor eſt: viſco ali, indeque pingueſcere, Theophraſtus. Aluntur et *piſce*, apud Paeonas, qui Praſiadem paludem accolunt. Nec *cicuta* abſtinent, ſeu viridi, ſeu arida: nec a ranunculis laeduntur. De *Potu*, non eſt, quod multa dicam. Aqua eaque clara delectantur. Vegetius tamen nec ſordida quidem laedi teſtatur. De ratione cibandi conſule Aldrovandum, et agriculturae ſcriptores. De *aetate* ita breviter Plinius. Vita foeminis XV. annis longiſſima, maribus XX, robur in quimatu. Cognoſcitur, inquit, Creſcentiensis, quando mutant dentes. Mutant enim anteriores anno evoluto, et decem vel octo menſibus: deinde poſt ſex menſes paulatim amittunt proximos, donec intra triennium omnes mutaverint. Quo quidem tempore optime habiti ſunt, et in vigore ad decem usque vel quindecim annos perſeverant. In ſtatu dentes nabent pulcros, longos, et aequales: qui per ſenectutem eis imminuuntur, nigreſcunt, et corroduntur. Geſnerus ait, Helvetios ex circulis quibusdam, qui circa vaccarum cornua naſcuntur ſuperne fere, de aetate iudicare: illos autem in

Dalechamp. ad l. c.

Plin. H.N. l. 13. c. 24.

Columella R.R. l. 5. c. 6.

Virgil. Georg. 3. Lucret. l. 2.

Columella R. R. l. 6. c. 3.

Colum. R. R. l. 2. c. 11.

Theophr. l. 2. de cauſ. plant. c. 23.

Potus

Aetas.

Ariſtot. H. A. l. 6. c. 21.

Creſcent. l. 9. c. 64.

in quimatu ferme ternos eſſe; poſtea plures. Eſſe etiam, qui, quoties foeta fuerit, toties ſingulos adnaſci circulos putent. Circa *Generationem libido*, *coitus*, et *partus* occurrunt. *Illam* ſi ſpectes, coitus tantum tempore cum foeminis paſcuntur: bis de die annoſiores, ſaepius iuniores et quidem eandem ineunt: et tanto motu genitalem nervum admovent, ut ſemen ſine motu emittant. Exactum vaccam impleviſſe Ariſtoteles tradit: Columellae vero iudicio, unus mas quindecim vaccis abunde ſufficit. Varro tamen multo plures tribuit, inquiens, habere ſe tauros totidem, quot Atticus, ad matrices ſeptuaginta, duos, unum anniculum, alterum bimum. A gravidis abſtinet, et ſponte, a conceptu, divortio quaſi facto ſecubat, ac, ut in Epiro maxime videre eſt, trium plerumque menſium ſpatio non apparet, ſed ſeorſim a vaccarum conſortio convictuque paſcitur. Haud minus famoſa vaccarum ſalacitas. Teſtatur Ariſtoteles, libidine adeo accendi, ut bubulci eas tenere et capere nequeant, indiciumque ſuae libidinis indicare, genitalis ſpeciem prominentiorem. Crebrius mingere, more equarum: Tauros etiam ſupervenire, et ſequi ſedulo, et aſſiſtere. Turgere ad coitum plus minores, quam maiores. Mugitum, dum prurit edere, Aelianus prodidit, a triginta etiam ſtadiis diſſitam. Libidinem augent, falſa bovis caro iuglandis magnitudine ori indita: Orobanche comeſta, et alia, quae Columella praecipit. *Coitus* laborioſior eſt, quam equis, tuncque potiſſimum tempus, cum foemina a menſibus purgatur, quae ſua ſponte marem patitur. *Concepiſſe* cognoſcitur, ſi Ariſtoteli credimus, cum menſes ceſſarunt, ſpatio temporis trimeſtri, bimeſtri, quadrimeſtri, ſemeſtri. Ferunt ventrem menſes decem: decimo pariunt, teſte Varrone: quicquid antea genitum eſt, vitale eſſe Plinius negat; ſuntque auctores, qui ipſo complente menſem decimum menſe parere aiunt. Vituli in utero ſitus icone exprimitur: ut et ſecundina uteri interna, qua foetus contineri ſolet, cum ſuis cotyledonibus, externaque oſtenditur. Quamvis autem ſingulos pariant, raroque binos: aetate tamen Ptolomaei iunioris, vacca quaedam, teſte Diogeniano, eodem partu ſex edidit vitulos: miraque eſt harum animantium in Hiſpaniola foecunditas. Plerumque binos pariunt, undecimo menſe taurum admittunt. Etiamſi vero geminos ferant, negant tamen boves gravidas, praeterquam dextro vulvae ſinu ferre. Marem an foeminam conceperit, ex deſultu poſt congreſſum hariolantur. Si namque dextra parte deſiluit, marem ſeminaſſe dicunt, ſi laeva, foeminam. *Amicitiam* colunt cum apibus, inimicitias, cum crabronibus, tabanis, muſcis, ricinis, urſis, ſue, corvo, plantarum aliquot, et coloribus quibusdam gerunt. De apibus innuit Plinius, dum ſcribit, circumliniri alveos apum fimo bubulo utiliſſimum. Cognatum hoc iis innaſcentes beſtiolas necat, araneos, papiliones, teredines, apesque ipſas excitat, et alibi: Intotum reparari ventribus bubulis, recentibus cum fimo obrutis: Virgilius iuvencorum corpore exanimato, ſicut equorum veſpas, papiliones, teredines, apesque ipſas excitat. Crabronum aculeo icti, ceu immaniſſimo quodam dolore affecti, ad curſum incitantur. Muſcae adeo eos vexant, ut in Leucade panegyri muſcis bovem immolare, conſuetudo fuerit, quae illius diſtentae cruore confeſtim evaneſcere credebantur. A ricino divexati minus pingueſcunt, et ad labores ſunt lentiores. Urſi tauros ex ore cornibusque eorum pedibus omnibus ſuſpenſi, pondere fatigant. Nec alteri animalium in maleficio ſtultitia ſolertior. Suis fimus bobus noxius eſt. Corvi advolantes oculos eorum lacerant. Sevo, ſuumne an aliud ignoro, ſi lingua tauri perungatur, morituros citius, quam comeſturos, niſi ſale et aceto abſtergatur, quidam venditant. Quantum ad plantas, ſi nares tauri oleo roſaceo illinantur, vertiginoſus evadit. Laſer naribus inditum eundem inflammat. Nigro helleboro necantur. Chamaeleontis ſucco iuvencas

Generatio.

Ariſtot. H. A. l. 5. c. 2.

Varro R. R. l. 2. c. 5.

Ariſtot. H. A. l. 6. c. 18

Aelian. H. A. l. 10. c. 27.

Columella R. R. l. 6. c. 24.

Membrana lateri interna etc. n. 8.

Membrana foetum continens n. 7.

Sympathia et Antipathia.

Caelius Rhodig. Antiq. lect. l. 23. c. 30.

cas necari anginae modo, Plinius ſcribit. Caprificus carnes teneras reddit. Folia fraxini iumentis mortifera, caeteris ruminantium innocua, ſi Plinium ſequimur; quod de taxo verum eſt. Circa Scytharum et Medorum dictam Thraciae regionem, locum eſſe aiunt, viginti fere ſtadiorum ſpatio, qui hordeum producit, quo homines quidem veſcuntur, equi vero et boves, caeteraque animalia abſtinent. Tragus quandam herbam inter vitia frugum deſcribit, cuius folia ab initio plane milium referunt, longis, aſperis ariſtis, armatam, quae lapparum inſtar veſtibus haereant, in arvis milio et hordeo conſitis frequentem, bubus valde noxiam, ab iisque evitari. Aconiti caerulei ſpecies a bubus, teſte Geſnero, non attingitur. De bona herba, Caltha Alpina, Perſonata, vide Geſnerum et Tragum. Perſonata, Germanice blatten, cum rore madida a bobus depaſcitur, adeo eos inflat, ut aliquando rumpantur, niſi curſu agitati, incaleſcant, et per alvum reiiciant. Ex coloribus, rubro et, qui ad illum accedunt, irritantur. Admirandum vero eſt, boves deinde non araturos, qui aliquem ad ſupplicium devexerint: vel, ſi arent, terram non eſſe laturam fructum. Geoponici vero tradunt, quod oporteat obſervare ſeminantem, ne ſemina boum cornibus incidant: haec enim κερασφόλα intractabilia, nominari, et ſterilia eſſe. Plinius ait, in incendiis, ſi fimi aliquid egeratur e ſtabulis, facilius extrahi, nec recurrere boves ovesque ferri, quod quis etiam non miretur. De *Motu* et *Voce* paucula ſufficient. Ille lentus eſt, ne dicam, piger. Unde bove leporem venari dicimus. *Vox* pro aetate et ſexu variat. Vitulis graviorem eſſe, quam adultis, bubus foeminis, quam maribus Ariſtoteles et Plinius aſſerunt; e contrario mutari, ſi caſtrentur. Proprie autem horum animantium eſt boare, et, ut Varro bouare, ut Pacuvius boire. Vulgaris autem boum vox μύκημα, μύκησις, et μυκηθμὸς ἀπὸ τοῦ μυκᾶσθαι dicitur. In *Cibis* nobis boves multa praebent, carnes nempe, cerebrum, linguam, cor, iecur, lienem, renes, omaſum, inteſtina, pedes et medullam, praeterque iſta, lac, ex quo caſeus et butyrum paratur. *Carnis* praecipuus uſus eſt: et quamvis Aegyptii vaccina abſtinerent, taurina veſcerentur: Romani tamen, ne amplius taurina caro venderetur, prohibuerunt, quod ex eius eſu, peſtilentia in gravidas mulieres regnante Tarquinio Superbo incidiſſet. Appoſita eſt apud Homerum Heroibus, quod et Athenaeus notavit. Lyſandro in Ioniam proficiſcenti, bos et placenta dono miſſa ſunt. In regno Senega non alia carne incolae veſcuntur. Prometheus, teſte Plinio, primus bovem occidit. Veteres in conviviis lautis integros aſſos appoſuiſſe Ariſtophanes teſtatur. Turcae quoque in Aſia minore ſeu Natolia, cum puer aliquis, cuius parentes in re mediocriter lauta ſunt, circumciditur, integrum bovem, immiſſo in eius alvum integro vervece, qui gallinam, cui ovum inſertum ſit, etiam in alvo contineat, craſſa ſude infigere ſolent, et luculento igne aſſare, qui a pueri ſanguine iunctis abſumatur. Qualitatem bubulae ſi ſpectes, Celſus ex domeſticis plurimi alimenti et ſtomacho aptiſſimi dicit, interque ea, quae minime corrumpuntur. Hippocrates validam eſſe teſtatur, ſiſtereque, ſed difficulter concoqui. Galeno minime quidem eſt humida pituitoſa ac lenta, nocet tamen admodum ob duritiem et in alterando difficultatem: et quamvis alimentum corpori ſuggerat, non mediocre, neque diſſipatu facile: ſanguinem tamen generat craſſiorem. Quod ſi quis temperamento naturali melancholicus magis fuerit, affectu aliquo melancholico prehendetur, ſi largius ea veſcatur. Lien etiam a tali ſucco quibusdam intumuit, quam mox cachexia ſubſecuta eſt. Peioris vero boves ſunt ſucci vere primo et medio, dum teneriores herbas paſcuntur, et graciles: melioris, cum herbae denſeſcunt, et ad ſemen producen-

Seneca de Ira.

Vox.

Vſus in Cibis.

Athen. Dipnoſ. l. 1.

Plin. H.N. l. 7. c. 36.

Bellon. obſ. l. 1. c. 60.

Hippocr. de rat. vict. l. 2.

ducendum feſtinant. Sale condita, et fumo indurata, Belgae, Scoti, Angli, et alii Septentrionales veſcuntur. Medio potiſſimum Octobri et Novembri ſale maceratur: ubi ſuſpenſa eſt, accenſis, a quibusdam, iuniperi ramis mox extinctis, ſuffitur. Nonnulli carnis colorem commendari putant, et rubeſcere magis, ſi aridis urticae faſcibus ſuffiatur. Parcius vero et iſta attingenda eſt: quippe parum aut nihil alit, vivitque diutiſſime in ſtomacho, ac difficillime perficitur, confecta, peſſimum ſuccum praebet. Cenſetur mediae aetatis, et, quae laboribus fracta non eſt, utilior: vetulorum tamen ſaginae promtior, viditque Bruierinus, Bruier. l. 13. c. 8. quos Averni miſerant, tam inſigni obeſitate graves, ut nonniſi plauſtro impoſitos, qui emerant, alio transferre poſſent. Morboſos mactare, lege, praecipuis in urbibus cautum eſt: deprehenſi, mulcta gravi multantur. Scilicet, vitiata caro vitiatos humores ſpiritusque generat, ipſa etiam per ſe ſat gravis. Vitulina, tanquam temperata, optimi ſucci, grata guſtui, facilis concoctionis et bonum generans ſanguinem, ab omnibus laudatur, et multi haedina laudabiliorem ſentiunt. Sed Creſcentienſis, quindecim a partu diebus elapſis, occidendos eſſe monet: alii vix ante trigeſimum aetatis diem matribus eripiunt: in multis Galliae tractibus, teſte Bruierino, menſem unum, aliquando eo minus natos, nonnunquam ſesquimenſem, laniis traduntur. Romae ſaepe integro anno lactare permittuntur, et ab herbis et alio pabulo depellunt, cupediaeque exinde lautiſſimae, et Franciſco I. Galliarum Regi in uſu. Donatus Antonius Ferrus illorum carnes maxime laudat, qui a partu tribus aut quatuor menſibus remoti ſunt, atque annum unum non diu tranſiere. Quantum ad *iuvencos*, commodiores quidem ſunt adultioribus, ſed inferiores vitulinis. Lugdunenſibus anniculae, ſemeſtres, bimae aut trimae iuvencae placent. Bruierinus, quae venerem expertae non ſunt, laudabiliores exiſtimat. De *partibus* iam videbimus. *Vituli caput* elixari, et calidum edi, notum. *Cerebrum* capiti exemtum ſeorſim modice in aqua coctum, mox tunicis liberatum, in vino coquitur, et aromatibus aſpergitur. De *Maxilla*, Cratinus teſte Athenaeo, ubi de foro cupediarum agit, mentionem facit in Plutis. Ob bovinam maxillam pugnans. *Lingua* in Germania et Belgio in pretio habetur. Sacris non erat olim adhibita, quod ſacerdotes ſub ſpecie religionis eam ſibi reſervarent. Quidam condimentis farctam in veru aſſant. *Vbera*, elixari ſolent, et mox addita pinguedine, aut butyro, frigi in ſartagine, aromatibusque aſperſa inferri. *Ventres* inter cibos olim ab antiquis celebratos. *Omaſum* inter gulae cupedias olim, ſaltem apud Romanos, ex his Plinii verbis innoteſcit: Hoc animal tantae apud priores curae, ut ſit inter exempla damnatus a populo Romano, qui concubino procaci rure omaſum ſe ediſſe negante, occiderat bovem, actusque in exilium tanquam colono ſuo interemto. *Lactes* magnatum menſas cohoneſtant, et ab antiquis celebrantur. Τῶν χορδῶν enim, ut Dalechampius exponit lactium, ut Natalis Comes inteſtinorum, meminit Epicharmus. Sed et ἀκροκωλια iisdem in uſu. Nec *Pedes* reiiciuntur. Diogenes Cynicus, quod crudum devoraſſet, mortuus eſt. *Vſus in Medicina* quod ſpectat, *Caro* bubula tumorem ſanat; et calida impoſita panos et apoſtemata diſcutit, ſi Plinio fides eſt. Vaccinam veretro impoſitam ulcera eius et epiphoras mire ſanare, Marcellus Empiricus prodidit. *Ius carnis* bubulae ventris fluxus bilioſos, teſte Simeone Sethi, compeſcit: vaccinae ulcera oris et rimas ſanat; vituli, inter coeliacorum et dyſentericorum auxilia recenſetur. Caro vitulina, recens cum aceto cocta, madidaque alis impoſita, foetorem hirci teterrimum tollit: ſi cum ariſtolochia inaſſata a mulieribus edatur, circa conceptum, ut mares pariant, facit. Sorbitionem ex pedibus Brudi Luſitani, apud Aldrovandum vide. *Iecur* bovis

Plin. H.N. l. 8. c. 45.

Vſus in Medicina.

vis uſtum potumque ventris et ſanguinis profluvium prohibet, ut Haly prodidit. Ex vituli maſculi et tantundem foliorum ſalviae minutatim pariter conciſis, collectus ſtillatitius liquor, contra durum in tranſverſum in imo ventre ſupra pudenda tumorem prodeſt. *Splenis* bovis extractum in menſium ſuppreſſione opitulatur. Superſtitioſa ſunt et magica, quae Plinius prodidit. *Omaſi* quoque iure poto, venena expurgari putant: privatim vero aconita et cicutas. A recentibus adhuc et calidis vituli *extis* minutatim conciſis, liquor cum aequalibus partibus ſalviae et meliſſophylli extrahitur, quo membra frigida, tabida, et reſoluta, perfricantur. *Genitale* in aceto maceratum et illitum, ſplendidam, teſte Sexto, reddit faciem. Tauri rubri aridum tritum et aurei pondere propinatum, faſtidium coitus adfert; recentiores venerem in viris excitare, affirmant. *Medulla*, vituli inprimis, inter emollientia cenſetur. Vaccineam cum farina tenui ſubactam, et inſtar excocti panis in cibo datam, mire dyſenteriam ſanare Marcellus Empiricus ſcribit, maxime ſi et caſeus bubulus recens manducetur: Taurina ſiccior eſt, et in vino trita potataque torminoſos emendat. Liquata et cum quarta parte myrrhae rubentis et olei laurini tanto miſta, nervorum contracturas ſolvit, ſi ea pedes manusque diluculo et veſperi inungantur. Plinius bubulam ex dextro crure priore tritam cum fuligine, pilis ac palpebrarum vitiis angulorumque occurrere ait. Quantum ad *ſevum*, de taurini praeparatione ita Plinius. Quae ratio adipis, eadem in his, quae ruminant ſevi eſt, aliis modis non minoris potentiae. Perficitur omne, exemtis venis, aqua marina vel ſalſa lotum, mox in pila tuſum, aſperſum marina. Crebro poſtea coquitur, donec odor omnis aboleatur. Mox aſſiduo ſale ad candorem reducitur. A renibus autem, omne laudatiſſimum eſt. Si vero vetus revocetur ad curam, liquefieri prius iubent, mox frigida aqua lavari ſaepius, dein liquefacere affuſo vino, quam odoratiſſimo. Eodemque modo ac ſaepius coquunt, donec virus evaneſcat. Quomodo odoramentis imbui debeat, Dioſcorides docuit. Suillo eſt multo calidius et ſiccius, leonino temperatius, ad ſcirrhos et phlegmonas accommodum. Cum reſina et creta Cimolia omnem duritiem diſcutit: Aeſculapius cum cera imponi iubet, et forte melius cum ad Galeni tetrapharmacum accedat. Vincit maculas in facie, cum ſemine cunilae, ac cinere e cornu cervino, ſi canicula exoriente comburatur: Cum arborum reſinis et melle panos et ſimilia ſanat: cum adipe urſina et cera permixtum, pari pondere, parotidas miro remedio comprimit - vitiligines cum ſtrychno et ruta, nec non verrucas, ſtrumas, et ſimilia emendat. *Vitulinus* adeps ex femine ſublatus, cum aquae cotylis tribus, decoctus, et ſorbitionis more ſumtus, coeliaco prodeſt. Cum ſale tritus phthiriaſi, et capitis ulceribus utiliſſimus eſt. Cum nitro modico permixtus, et ceroti inſtar teſticulis impoſitus, tumores omnes et dolores perſanare dicitur. Eundem contra venena, quae exulceratione enecant, valere Plinius alicubi ſcripſit. De eodem ita Marcellus. *Sevum vituli cum adipe anſerino impoſitum, rimas ſciſſurasque oris optime iungit.* Rigores cervicum bubulo ſevo optime perfricantur, nam continuo molleſcunt, et dolor omnis abſcedit. Efficax eſt vitiis ſedis. Clavos ſanat cum thuris polline: lepras, furunculos, lichenes, et pſoras ſal emendat cum paſſa uva exemta eius ligno, et ſevo bubulo atque origano ac fermento, vel pane. In furunculis illinitur ſevum bubulum, cum ſale, ſimiliter et caprinum. Sole aduſta ſevo bubulo cum roſaceo aptiſſime curantur etc. De Felle haec habentur. Ulcera capitis, teſte Marcello, ſubito ſanari, ſi cum ſtercoris aſinini ſucco, et ſcillae contuſae pauxillo, fel taurinum miſceatur: vel cum nitro, vino, et oleo, quantum ſatis miſtum, adhibeatur. Cum terra Cimolia, et nitro, lepras furfuresque exterere, Dioſcorides teſtis eſt. Phagedaenis et fiſtulis immitti

Hartmann in Chymiatria.

Plin. H. N. l. 28. c. 13.

Geſner in Bove.

mitti cum ſucco porri aut lacte mulierum, Plinius. Idem cum lana umbilico illitum, lumbricos egerit: cum melle anginis inungitur: ſedis vitia ad cicatricem perducit: occluſas haemorrhoides aperit: in lana collectum, et alvo ſuppoſitum ventrem ſolvit: cum butyro, medulla cervina, et oleo laurino perfricta genua ſanat: Contra genitalium et ſcroti dolores, cum melle utiliter inungitur: praerygia digitorum aqua calida diſſolutum levat. Mulierum purgationes lana ſuccida appoſitum iuvat. *Bubulum*, melli admixtum, teſte Rhaſi, ferrum infixum vel ſpinam extrahit. Idem ad craſſitudinem mellis ſubactum, et illitum, permixto alumine et myrrha, ea, quae veretris ſerpunt, mira celeritate perſanare dicitur. De eodem ita Plinius. Panos et apoſtemata in quacunque parte fel bubulum diſcutit, ut ſanguis etiam et caro bovis calida impoſita. Cum oleo cicino, et roſaceo aequis portionibus, aurium dolori et vitiis medetur: tinnitum eorumdem, cum goſſypio impoſitum, diſpellit: Sunt, qui regium morbum pelli credant faſcia lintea, in bubulo felle calido tincta, et corpori ſub coſtis incincta: quod triduo faciendum aiunt, ita, ut quotidie renovetur medicamentum. Hippocrates, ſi mulier non concepit, menſibus apparentibus, tertia aut quarta die alumen tritum unguento dilutum, lana exceptum apponere, et per tres dies appoſitum haberi: Tertia vero die, fel bovis radi, et ramentum oleo dilutum, linteo excepto apponi et tres dies appoſitum haberi, poſt cum viro concumbere, iubet. Mirum denique eſt, quod Proſper Alpinus ſcribit, nonullas mulieres in Aegypto, ut pingueſcant, in balneis accipere novem diebus, fellis vaccini chirat, in aqua vaccina diſſoluti. De *Felle vitulino* ſcito, id lendes cum aceto calefacto tollere: cicatrices oculorum extenuare, cum melle inprimis myrrha et croco tritum; auriculae inſertum cum felle vitulino et aceto, et exuviis ſerpentis, maximae utilitatis eſſe: Cimices fugantur, ſi amurcae coctae mixtum cum oleo, eis inſperſeris. *Lapis* in felle bovis, figura annuli, philoſophis Alcheron, tritus et naribus attractus, aciem oculorum promovet, et prohibet, ne quis humor deſcendens in oculis colligatur: comitialibus prodeſt, ſi magnitudine lentis inde capiatur cum ſucco betae, et hauriatur naribus. Eſt et *Corio* et *Glutini* ſuus in Medicina uſus. Combuſto illo ſanantur teſte Plinio, perniones, ex veteri inprimis calceamento: cum melle phagedaenas in ulcerum genere abrodit: veteris vero ſoleae crematae cinis attritus calceamentorum ſanat. *Glutinum* ex coriis boum excoquitur, taurorumque praecipuum. Praeſtantiſſimum fit ex auribus taurorum, et genitalibus. Nec quicquam efficacius prodeſt ambuſtis. Sed adulteratur nihil aeque, quibusvis pellibus inveteratis, calceamentisque etiam decoctis. Rhodiacum olim fidiſſimum, eoque pictores et medici utebantur. Hodie praeſtantius, colore fere ſpadiceo, quam maxime durum, et vitri inſtar fragile, Germanicum cognominatur, et duplo carius vulgari, quod ſubnigrum eſt, venditur. Dioſcorides xylocollan, quod in lignis ferruminandis eius ſit uſus; alii taurocollan vocant. Inventionem eius Dedalo teſte Plinio debemus, quo tenaci nexu haererent ſimul, quae conjungi aptius non poterant. Scabiem abolet in aceto liquefactum addita calce, ſi profunda non fuerit. Aceto remiſſum, adiecto ſulphure, leni igne decoctum, ita, ut ad mellis craſſitudinem perducatur, ſurculoque ficulneo, dum coquitur agitatum, ac bis per diem impoſitum, impetigines agrias, id eſt feras, ſanat. Liquefactum, et tertio die ſolutum, recentes plagas ferro illatas, ad cicatricem perducit. Cum aceto et melle mixtum, lendes tollit. Medetur et dentibus aqua decoctum illitumque, et mox paulo detractum, ut confeſtim colluantur vino, in quo decocti ſunt cortices mali punici dulcis. Bibitur etiam cum tribus obolis, cum calida aqua, in vetere ſanguinis excreatione. Coeliaci quoque ventris inflationi cum eadem felici-

Alpin. de Medicina Aegypt. l. 5. c. 3.

feliciter imponitur. *Cornu* mucro exuſtus, duorum cochlearium pondere, addito melle, in pillulis devoratus, phthiſicis prodeſt, ſi Plinio credimus. Combuſtum et in pulverem tenuiſſimum redactum, duorum cochlearium pondere, cum aquae calidae cyathis tribus, et paululo aceti, ſplenetico ienuno per triduum, bibendum recte datur. Habet et *Vngula* ſuum uſum. Elixae et cum ſinapi comeſtae, veneno reſiſtunt. Uſtae et a mulieribus, quibus lac defecit, in iuſculo, vino, vel alio liquore potae, idem reſtituunt. Carbonibus impoſitae mures ſuffitu enecant, vel alio abigunt. Scobs tali cum mella pota, lumbricos educit, cum aceto mulſo ſplenem minuit: vino excepta, et dentibus mobilibus appoſita, eos confirmat. Frivolum, non tamen omittendum, inquit Plinius, propter deſideria mulierum, Talum candidi iuvenci, quadraginta diebus noctibusque, donec reſolvatur in liquorem decoctum, et linteolo illitum, candorem cutisque erugationem praeſtare. *Coxae* uruntur bibunturque, ut Rhaſis ſcribit, ut ſanguinem fluentem et menſes cohibeant. *Membrana* e partu madida faciei ulcera ſanat. *Lapis*, qui in capite invenitur, ex eadem aqua, quam bos bibit, potus, dolorem capitis efficaciter tollit. *Lac*, utpote craſſum et pingue, minus per alvum ſecedit: Plinius tamen eo maxime alvum ſolvi ſcribit: ideoque per ver purgandi cauſa bibi, quod tum omnibus herbis et multum paſcantur, Dioſcorides, addit. Venena, illa inprimis, quae roſiones et uſtiones adferunt, expurgat: privatim vero contra dorycnium, colchicum, cicutam, et leporem marinum facit. Calefactum et gargarizatum tonſillarum dolores et tumores cito ſedat. Tepidum incoctum ſubinde ſumtum exulceratum quoque ſtomachum ſanat. Cyathi unius menſura, cum pari ſevi cervini remiſſi doſi, et pice praecoqua, quam viſcoſam vocant, rubricaque Scythica, quae piſſapha altus dicitur, periclitanti phthiſico mire ſubvenit. Vaccae nigrae, ut Hippocrates prodit, cum ſeſamo trito ad quadraginta dies, ex partu ſanguinem vomenti bibendum, donec probe habeat. Idem decoctum, ſecundum Marcellum et Dioſcoridem, exulceratos alvi fluores et teneſmum mitigat et tollit, recens mulctum, aut ad ignem decoctum, aſſidueque agitatum, donec ad tertias ſit reductum. In dyſentericis addi mellis exiguum praecipiunt, ut Plinius notavit: et ſi tormina ſunt, cornus cervi cinerem, aut vel taurinum cumino mixtum, et cucurbitae carnes umbilico imponere. Nec hoc tantum Aetii, Galeni, et Plinii praeceptum. Noſtri enim temporis Medici idem faciunt, et in eo ſtomoma ſive ferri aciem optimam novies candefactam extinguunt, idque calidum aegro vel per clyſterem exhibent. Propinabatur olim ab Hippocrate et alii liquori immiſtum. Is namque, cum vulnerato inteſtino reſpiratio prodit inferne in conſpicua iuxta vulnus, et evacuantur pectora, lac et vinum pari aquae menſura admixta, dari iubet. Sed et Geſnerus teſtatur, aliquos adverſus quartanas remedium praedicare, ſi ex vino et lacte confuſis, liquor in balneo Mariae extractus per aliquot dies bibatur. *Butyrum* etſi gentium duntaxat barbararum laudatiſſimum cibum, quique divites a plebe diſcernerent Plinius dicat; magnarum tamen et hoc apud Galenum, Dioſcoridem, et alios virtutum. Vitalis de Furno Cardinalis et medicus eximius, ſic de eo ſcripſit. *Butyrum naturaliter calidum eſt*, et humidum cum dominio caliditatis, viſcoſum, et unctuoſum. Idem ſaepe comeſtum, ſtomachum humectat, ventrem ſolvit, pectus lenit; ulcera pectoris et inteſtinorum ſanat: maxime valet, quando recens humanae complexioni proximum. Valet etiam ad leniendum pectus et pulmonem, curandumque maxime, ſi ibi fuerit apoſtema; quia propria eius vis maturare humores et ſuperfluitates omnes pectoris diſſipare et mundificare maxime ſi cum melle et ſaccharo comedatur. Butyrum repugnat venenis, membra humectat aſperitatem ocu-

lorum eius litura mollificat et emendat, apoſtema diſſolvit et maturat; vulnera pectoris, pulmonis, inteſtinorum morſus mitigat, nervos contractos emollit et laxat. Contra venena interna ſingulare eſt remedium, ſi is, qui venenum potavit, in lacte calido ſolutum bibat abunde: nam ſua pinguedine meatus obſtruit, ne venenum ſubito ad cor ſurrepat. Recens autem eſt laudabile, vetuſtum minus etc. Tantum Cardinalis. *Caſeus* dyſentericis et coeliacis prodeſt. Hippocrates eodem in tertia tabis ſpecie utitur. Donatus ab Alto mari caſei Siculi glandem melle illitam, puero aſcaridibus laboranti contuliſſe ſcribit. *Serum* calidum, an frigidum ſit, alibi diſputabimus: certum eſt craſſitiem humorum extenuare, abſtergere, et alvum ſubducere. Ideo veteres ad alvi ſubductionem frequentiſſime uſi ſunt, in iis inprimis, quos ſine acrimonia purgare volebant, quales ſunt, atra bile laborantes, comitiales, leprae, elephantiaſes, et toto corpore papularum eruptiones. Ante omnia orthopnoicis prodeſſe, cum naſturtio, apud Plinium habemus. *Vrina* bovis caſtrati, ſuccino uſto et in ea extincto caſtigata, impotentiam tollit. Hippocrates eadem uterum muliebrem purgat, ut conceptus ſequatur. Tauri urina lepras ac furfures tollit: capitis manantia ulcera ſanat, et aurium dolores cum myrrha inſtillata, lenit. Denique, ſi maior ſit gravitas aurium, ut Plinius inquit, urina capri vel tauri, vel fullonia id eſt humana vetus calefacta prodeſt, vapore per lagenae collum ſubeunte: admiſcent et aceti tertiam partem, et aliquid urinae vituli, qui nondum herbam deguſtaverit. De *Sanguine bubulo* ſcribitur, cum aceto et modice ſumtum, contra ſanguinis reiectionem facere: canum rabiem recentem ſanare; et abſceſſus, ſi cum ſevo ad ignem emplaſtrum fiat concoquere. *Taurinus*, teſte Dioſcoride, duritias, cum polenta illitus mollit: apoſtemata, in quacunque parte, aridus diſcutit: ſerpentes necat: et illitus maculas omnes de facie tollit: Peſtiferum potu eſſe, quod celerrime coeat ac dureſcat, Midas Phrygiae Rex, Pſammenitus Aegyptiorum, Themiſtocles et alii, qui hauſto periere, exemplo eſſe poſſunt. Excipitur a Plinio Aegyra, urbs ſine dubio Achaiae, ab Homero Hypereſia dicta. Ibi enim ſacerdos Terrae, vaticinatura, ſanguinem tauri bibit, priuſquam deſcendat in ſpecus. Symptomata, quae ab illius hauſtu afficiunt, ſunt, ſpirandi difficultas et ſtrangulatus, faucium tonſillarumque praecluſio, linguae rubor, dentium infectio, et alia. Occurrere ei ſolent, amarantho, braſſica, caprifico, calamintho, laſere, nitro pipere, petroleo, ſoncho nigro, rubo, et thymo. De *Fimo* non eſt, quod multa adiiciam. *Taurinus*, tumores et duritias ſolvit. *Bubulus* et ad chiradas et ad tumores omnes ſcirrhoſos, ex aceto in cataplaſmatis formam compoſitus, imponebatur. Cum melanthio carbonibus impoſitus, ſi naribus hauriatur, hemicraniae medetur. Ad coli dolorem recens, expreſſum, et cum vino dilutum, vehementer laudatur. Ex eodem tuſo et cribrato, ſterilium purgatorium paratur. *Vitulini* vires non multum a bubulo diſcedunt. Marcellus ſtatim ſubveniri ſcribit, ſi recens articulis laborantibus illinatur. Praebent vero et *ad alia*, quaedam partes *uſum*; ne de agricultura, frumentorum excuſſione, vectura, geſtatione, bello, vel ſpectaculis quicquam dicam. Ex cornibus, praeter pocula, gutti, cucurbitulae, lucernae, litui, buccinae, et arcus fiebant, ex corio, ſcuta, loricae, galeae, parmae, tentoria, navigia, ſcalae, balthea, nummi, burſae, utres, folles, ſcuticae, calcei et caetera formantur. Eſitata Pyraeaei in Graecia, Rupeliae in Gallia obſidiones teſtantur. Ex extremitatibus gluten fit. Ex *nervis*, flagella fiunt fractu contumaciſſima, et quam maxime flexibilia. *Dentibus* politur charta. Cleanthes philoſophus, *oſſibus* bubulis et teſtis fictilibus perſcribebat, quae a Zenone audiverat, cum pecunia non ſuppeteret ad chartas emendas. Ex iisdem pulvis contra catarrhum et podagram paratur.

Galen. l. 3. de aliment facult. c. 15

Dioſcor. M. M. l. 2. c. 26.

Plin. H.N. l. 11. c. 38.

Plin. H.N. l. 20. c. 13. et l. 29. c. 13.

Sanguis

Sanguis malthis faciendis, quod, quam caeterorum animalium craſſior ſit, et cito coeat, dureturque, perquam accommodus eſt. Vituli vero cum carnibus valde conciſis in vaſe fictili per decem dies detentus, ineſcationis piſcium aptiſſima materia. Ex *Sevo* laudatiſſimae candelae, iuvencae inprimis et circa trimatum. *Felle* bubulo ſemina macerari Apuleius iubet, antequam ſpargantur, adverſus mures agreſtes. Nec accedent ad arborem formicae, ſi radici vacinum illinatur. Eodem et amurca Lycium adulteratur: et aureus ducitur color. Setis bubulis veteres ad ſcopas veſtiarias, utebantur: et pictores ſuos exinde habebant penicillos. Troglodytae ſenio confecti, Diodoro teſte, gutture bovis cauda adſtricto finiebant vitam. *Fimo* Chinenſes piſces alunt, ut pingues evadant. In hoc vaccarum fimo caſae adverſus pulices inunguntur, ut Linſchotanus prodidit. *Vngulis* beſtiolae a vitibus arcentur.

Differentiæ. *Differentiae* boum plurimae dantur, a magnitudine, cornium varietate variarum partium a naturali conſtitutione deflexu, loco, et aliis. Aden inſulae, quae forte Madoce et Ocellis veteribus, vaccae, camelum magnitudine aequant, nivis inſtar candidae, ſine cornibus, auribus proceris, ac pendulis, ſi Franciſco Alvarezio credimus. Aegyptios boves Graecis maiores Ariſtoteles pronunciavit. Aethiopici in Prete Gani regnis tantorum cornuum, ut ex iis vaſa, quae quinque ſex ve metretas ſingula capiunt, formentur. Africanae ſunt tam parvae vaccae, ut vitulorum noſtratium magnitudinem vix aequent: ſed multi roboris et laboris patientiſſimae. Idem de Alpinis ſeu potius Altinis (Altinum urbs olim in littore Venetiarum florentiſſima iuxta Aquileiam) Plinius reliquit. Anglici boves cornibus et miro carnium ſapore ſuperbiunt. Americani in partibus ſeptentrionalibus carent palearibus et gibboſi conſpiciuntur. In Dariena, teſte Lopezio, ungulis ſunt minime bifidis, mulis non abſimiles, magnis auribus, promuſcide elephantis, colore cinereo carne delicata. Ex Hiſpania in Hiſpaniolam devectae vaccae, in tantam foecunditatem excrevere, ut una vacca proletaria, in viginti ſex annis, octingentos foetus ediderit, dum ex filiis filii rurſum procreantur. Aoniorum boum variis coloribus diſtinctorum perpetuae indiviſaeque ſunt ungulae, et unum ex ore egrediens cornu, quod Aelianus prodidit. In Arabia vidit Vartomannus Sultano donatas vaccas, quibus erant cornua cervinis ſimilia, colore nigro: quibusdam et unicornu in fronte. Apud Arachatas, boves ſunt ſilveſtres, teſte Ariſtotele, colore atro, rictu leviter adunco, cornua reſimatiora gerentes. Armeniis duplex cornu, ſic erratis flexionibus, ſi Aeliano fides, tamquam hedera retorqueretur, et ſi mucrone petitur, ob corneam duritiem, ferrum retunditur. In Bengala provincia, M. Paulo Veneto auctore craſſitudine elephantes aequant. In Hollandia vere, plaeraeque, quae maculoſae, plurimum lactis habent. Aliquibus partibus diebus aeſtivis, quatuor et quadraginta lactis heminas ſingulae in mulctralia refundunt. In Noſocomio Amſtelodamenſi, quod leproſorum domus dicitur, viginti duae tenentur vaccae, ex quibus aureos circiter quingentos in lacte et caſeis praeter quod in uſum quotidianum cedit, quotannis confici, a fide dignis ſe audiviſſe Pontanus prodidit. Non eſt ergo mirum, ex caſeo et butyro ibidem, quae in extera loca exportantur, in ſingulos annos ducenties ſeſtertium, id eſt, decies centena Caroleorum millia cogi, quod apud Hadrianum Iunium legimus. In Scotia boves ſunt ſilveſtres colore candidiſſimo, iuba denſa ac demiſſa, truculenti et feri, adeoque ab humano genere abhorrentes, ut ab iis, quae homines vel manibus contrectarint, vel halitu perflaverint, per multos dies abſtineant, dolo capti, moriantur. Carnes cartilaginoſas habent. In agro Cammanduano, (verba ſunt Scaligeri,) boves aiunt eſſe maximos, brevibus tamen cornibus et hebetibus. Nulla macula candor vitiatur. Cameli gibbus eis et robur par.

Alvarez. de Aethiop c 119.

Ariſtot. H. A. l. 2. c. 1.

Pontanus Amſtelod. l. 2. c. 23.

Scalig Exercit. 206. 6.

Onera

Onera ſuſcepturi, camelorum more ad agaſonis iuſſum genua flectunt. Haud ſcio, an eosdem intelligat Plinius, dum ſcribit: Carici boves, in parte Aſiae foedi viſu, tubere ſuper armos a cervibus eminente, luxatis cornibus, excellentes in opere narrantur: caeteri nigri coloris candidive, ad laborem damnantur. Cyprii boves ſtercore humano paſcuntur. In urbe Diu, citante Maiolo, boves ſunt exigui, praegrandibus et rectis cornibus, ſed praeter oneris ferendi induſtriam, et ſub freno currere et equitare dociles, equorum gradariorum more. Epiroticae vaccae, ſcribente Ariſtotele, amphoras ſingulas ſingulae implent lacte. Erigitur, qui mulget, aut paululum ſe inclinat: quoniam ſedendo ubera contingere nequit. De bobus ibidem, quos incolae Pyrrhicos vocant, ita Plinius: In noſtro orbe Epiroticis laus magna, a Pyrrhi, ut ferunt iam inde regis cura. Id conſecutus eſt, non ante quadrimatum ad partus vocando. Praegrandes itaque fuere: et hodie reliquiae ſtirpium durant. At nunc anniculae ad foecunditatem poſcuntur: tolerantius tamen bimae. In Eubaea boves fere omnes albos Odoardus Barboſa affirmat; quam et argyroboaeon Eubaeam Poet dixere. In *Galata* Africae monte boves Italicis optimeſtribus vix pares, cum ſenuerint, Leonius teſtatur. In regione *Garamantum* aut vicina quadam, praepoſtere paſcuntur, ſi Herodoto fides. Nam ſi reiecta vel potius recta ad paſtum ora dirigant, officiunt, prona in humum cornua et obnixa. *Helvetii* a teneritudine carnis, cum alibi, tum maxime iuxta Zofingam oppidum agri Bernenſis commendantur. In *India* ſunt unicornes et tricornes, ſolidis ungulis, nec bifidis. Iisdem Plinius altitudinem camelorum tradi ait, cornua in latitudinem quaternorum pedum. Allatum ab inde Ptolomaeo II. cornu, quod tres amphoras capiebat. Ibidem pares equis currunt. De iis forte Plinius, dum ita ſcribit: Atrociſſimos habet (ſcilicet India) tauros ſilveſtres, maiores agreſtibus, velocitate ante omnes, colore fulvos, oculis coeruleis, pilo incontrarium verſo, rictu ad aures dehiſcente, iuxta cornua mobilia, tergori duritia ſilicis omne reſpuens vulnus. Feras omnes venantur: ipſi non aliter, quam foveis capti feritate ſemper intereunt. An ſint illi, quorum caudas tenues admodum et tenuis pili, tantique pretii, ut ſingulae quatuor vel quinque ducatis aeſtimentur, Sangiaci et Baſſae Damaſci adhibent, ignoro. Legimus etiam dari in India bovem, et indigere voce Ignaragnam nuncupari, dicique habitare iuxta caſtrum S. Spiritus, aliisque quibusdam locis, ubi frigus remiſſus eſt. Animal eſſe immenſae molis, veſcique herbis duntaxat, quae rubri ſint coloris. Corporis mole noſtrates boves ſuperare, pellem habere ſimilem elephanto, bina iuxta pectus brachia, ſub quibus mammae lateant, quibus foetus ſuos enutrit. Capite atque ore boves noſtrates referre. Carne eſſe ſuaviſſima, Indisque praecipue expetita. Ex pinguedine liquamen parari butyro ſimile, quo in condiendis cibus utuntur. Oſſa eius duritia ebori vix cedere. *Vmbri* praecipue circa Clitumnum amnem ſunt quoque celeberrimi. Plinius ſcribit, eam oram gignere omnium Italiae maximos, in quibus plurimi ſint albi. *Sabinis* quoque ſpectati ſunt: et legimus apud Livium, bovem olim in Sabinis cuidam patriſamilias miranda magnitudine ac ſpecie eſſe natum, cui monumentum miraculo fuerint Romae in veſtibulo templi Dianae, fixa per multas aetates cornua. *Leutricorum* boum cornua atque aures ex una ſtirpe cognata, atque ſimul contexta eſſe teſtatur Ariſtoteles, ut citat Aelianus, In *Cathaiae* provincia quadam ſunt albi et nigri, equina cauda, ſed piloſiore, ad pedes uſque protenſa: pilos habent ſubtiliſſimos in modum plumae volatilis, magno pretio, quos equites in cacumine lancearum ſuſpendentes, egregiae nobilitatis inſigne ducunt. Cornua ab occipite in ſpinam tanta longitudine extenduntur, ut elevato capite cornibus attingant caudam. Sunt autem grandia cornua,

Plin. H.N. l. 8. c. 45.
Ariſtot. H. A. l. 3. c. 2.
Plin. H.N. l. 8. c. 45.
Aelian. H. N. l. 12. c. 36.
Herodot. l. 4.
Aelian. H. A. l. 3. c. 34.
Plin. H.N. l. 8. c. 21.
Bellon. obſ. l. 2. c. 92.

cornua, ut incolae amphorarum loco eis utantur. Apud *Myſios* nulla boves habent cornua, teſte Aeliano. Apud *Nigros*, nullae vaccae rufae, omnibus color niger vel albus, vel ex utroque mixtus. In Nomadibus, qui ad Maeoticas paludes hiemant, et dies aeſtivos in camporum aequoribus vivunt, ex bobus pars ſine cornibus naſcitur, pars ſerrula abſcinditur. Tauri Paeonii, ut ſcribit Pauſanias, hirto ſunt corpore; cum omni ex parte tum praecipue pectoribus et mentis. Theopompus vero, referente Mizaldo apud *Paeonas* tradit, boves tam magna geſtare cornua, ut tribus vel quatuor vini ſextariis vix adimplerentur, ex iisque reges ac proceres pocula conficere labris ebore aut argento obductis. *Hungaria* tam eorundem abundans, ut Sigismundus Baro Herberſteinius reliquerit, per ſolam viam Viennenſem uno anno plus, quam octoginta millia boum in Germaniam acta eſſe. Regio Comandu ab eiusdem urbe appellata in Perſia, boves habet maximos et in univerſum candidos, cornua brevia et minime acuta in capite geſtantes, camelino gibbo dorſo eorum imminente, teſte Paulo Veneto. Unde tam robuſti, inquit, redduntur, ut ad magna onera geſtanda facile aſſuefiant. Habentur tales et in Quivira. Tauri ibi (iniquit Nierembergius) quoddam genus ſilveſtre, fulva ſpecie, humili corpore, incurvo dorſo, frequentibus iubis, et laciniis promiſſis, eduli carne, ſalubri, nec iniucunda. Cauda veſcuntur incolae, epotato cruore: pellibus protegunt. *Phoenicum* vaccae eius ſunt magnitudinis, ut Phoenicum libri apud Aelianum habent, ut vel proceriſſimi paſtores cum mulgent, ſtent, minus proceri ſcabellum aſcendere cogantur. In *Phrygia*, prodente Ariſtotele, boves cornua, ut aures movent, quod et de Erythraeis Aelianus prodidit. In *Norvegia*, Islandia, Gothia, Feronia, ſunt quidam ſilveſtres, nec homini nec aliis quadrupedibus parentes, quibus cornua vulgaribus minora, ſub mento barba prolixa dependet. Venatores inter arbores ſe abſcondunt: ipſi vero ab iis vulnerati vel iniuriam ulciſcuntur, vel ſeipſos interimunt. Facit et Vaccae marinae Olaus Magnus mentionem, atque de ea ſic ſcribit: Vacca marina monſtrum eſt magnum, robuſtum, iracundum, et iniurioſum, edens partum ſibi ſimilem, ſed non ſupra geminum, unum tamen ſaepius, quem plurimum diligens, ſecum ſollicite ducit, quocunque tandem ſe per mare transmittit, aut in terra greſſus dirigit; decem menſibus impraegnatur. Demum hoc animal aliquando CXXX. annis, per caudae ipſius amputationem vixiſſe probatum eſt. In aquilonaribus quibusdam novi orbis provinciis, exertos elephantum modo dentes habent, ſi Carterio apud Rhamuſium credendum. In *Caritta* Scotiae provincia ſupra Gallovidiam boves ſunt, quorum caro tenera ſuaviſque eſui eſt, caeterum pingue nunquam concreſcit, olei liquidi modo fere ſemper fluens. Varro denique tradit, boves iuxta Toronam, paucis ante partum diebus, lacte carere: reliquo tempore habere perpetuo. Ventrem ferre decem menſes. De bobus Tartaricis in Ergimul, qui ſunt elephantum proceritate pilo perenni, levi, ac prorſus albo aut prorſus nigro, qui in humeris more leonum prae longus eſt, non minus pedes tres, mira mollitie, perinde ac ſericum, ſuperius dictum. Ut et de gibboſis, quales Tartaricos Scaliger, Syriacos, qui palearia non habent, Plinius eſſe ait. Et tantum de Differentiis promiſcue. Huc pertinet animal, quod in Congo *Empalanga* vocitant, figura et magnitudine bovem referens, niſi quod et caput et cervicem gerat erectam cervorum more, cornua quoque habeat in capite recta et longa, nodoſa in ſummitate, interius parum inflexa: quod quamvis etiam ſit ſilveſtre, nemini tamen eſt moleſtum; neque adeo etiam eſt ferum, quia facili negotio aratro, ſi adeſſet incolarum aliquod ingenium, accommodari poſſet. Quantum ad Monſtra, viſus eſt Mediolani et Saturae vitulus biceps: viſus

Aelian. H. A. l. 2. c. 14

Paulus Venet. l. 1. c. 22.

Nieremb. H.E. l. 9. c. 51.

Aelian. H. A. l. 16. c. 33.

Nieremb. H.E. l. 9. c. 19.

ſus in Thuringiae vico ſextipes, illeque gemino capite et uno podice: viſus et ſeptipes, maſſam carnis e latere dependentem geſtans. Viſus oculis, naribus et auribus humanis: biceps duplici facie: quodammodo bicorporeus: duobus tantum poſterioribus pedibus et agnina facie. Viſus Baſileae Rauracorum an. MDLI. bos quinque pedibus, qualem nos olim Londini in Anglia vidimus, alibi alius cervice cornu gerens: et cruribus brevibus inſtar nani. Monſtrum bicorporeum erectum quinque auribus, ut et caput vituli hic etiam expreſſum habebis.

ARTICULUS II.
De Bobus feris.

PUNCTUM I.
De Vro.

Boves feri, Graecis ἄγριοι, qui ab agreſtibus ἀγραύλοις, in eo differunt, quod hi, quanquam manſueti ſint et ex manſuetis orti, liberi tamen ſolutique in montium, ſilvarum et agrorum paſcuis relinquantur; illi vero non tam natura loci, quam natura propria et genio feri ſint, ſunt *Vrus*, *Biſon*, *Bonaſus*, *Bubalus Africanus*, *Buffelus*, *et Bos Strepſiceros*. *Vri* nomen Gallicum Macrobius facit, Geſnerus et Aldrovandus Germanicum potius. Ur enim vel ſilveſtrem, vel magnum, vaſtum, et maximarum virium Germanis antiquis ſignificabat. Servius tamen Graecum eſſe vult, et ab ὀρῶν, id eſt, montibus deducit. Polonis ſaltem in Maſovia et Samogitia *Tur* vocatur, quem Geſnerus veterum Tarandum eſſe iudicat. Lithuanis *Zumbronem* dici, Scaliger ſe inveniſſe tradit. An Rhezes Iphicratis ſit, alibi diſquiretur. D. Hieronymus *Bubalum* appellat, quod et Martialis et imperitum Romanorum vulgus, teſte Plinio, faciebat. Cromerus *Biſontem* appellat. In *Deſcriptione* diſcrepant aliquantulum auctores, niſi forte diverſa eorum ſint genera. Caeſar et Plinius nullam villorum mentionem faciunt: Eraſmus Stella, tempora villoſa, et mentum barbatum, ipſis adſcribit; quod et apud Albertum Magnum invenies, qui urum cum bonaſo confundit. De caetero magnitudine ſunt paulo infra elephantos, ut Caeſar prodidit, ſpecie et colore et figura tauri. Albertus longitudine aliquando quindecim cubitorum facit. Magnitudinis illius hoc etiam eſt argumentum, quod in capite inter cornua tres homines conſidere poſſunt. Hiſpidum habet et villoſum corium, et ſub mento palearia. *Cornua* denſa nigra, brevia; *Oculi* verſus exteriorem canthum rubicundi, *Caput* craſſum, Facies lata, *Color* fere niger, ſed maxime in temporibus, mento, collo. In facie, lateribus, cruribus, cauda, ad puniceum vergit. Reperitur in ſilva Hercynia, Podolia, Samogitia, Mazovia, et Hungaria. Adſuefcere ad homines, et manſuefieri, ne parvuli quidem excepti, poſſunt. Excellentium eſt virium et velocitatis. Cornibus equum cum ſeſſore correptum, in ſublime identidem iactat; et arbores mediocri craſſitudine evertit. Caro eius condita in deliciis eſt magnatibus. Cornibus Barbari Septentrionales potant, unasque binas capitis unius cornua implent. Aliis praefixa his pila cuſpidant. Apud nos addit Plinius, in laminas ſecta translucent: atque etiam lumen latius incluſum fundunt, multasque ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc ſublita, nunc, quae ceroſtrata picturae genere dicuntur. Forte et taurus ille ſilveſtris, qui Macedoniam vaſtabat, ad pedem Orbeli montis Macedoniae a Philippo Rege confoſſus, cuius pellem et cornua ὀργυιαῖα vel τεσσαρακαιδεκάδωρα, id eſt, quatuordecim palmorum, in veſtibulo templi Herculis conſecravit, urus erat. De capiendi ratione, vide Aldrovandum.

Hieron. l. 3. Com. in Amos. c. 3. Plin. H. N. l. 8. c. 15. Solin. Polyhiſt. c. 25

Albert. H. A. l. 22.

Plin. H. N. l. c.

Aldrov. de Biſulcis. l. 1. c. 2.

PUN-

Biſon . Wilder Ochs Wiſent .

Bubaluſ Indicuſ

Vacca Indica .

Biſon Iubatus.



Bonasus Munister . Wild Ochsen geschlecht . Tab : XVIII .

Bubalus Africanus .

Taurus .



Bonnasus alius .

Vrus Iubatus . Gewohnter AwerOchs .

Catoblepa Urus
Lybicus .

PUNCTUM II.

De Biſonte.

Aldrov. Hiſtor. Bi- lic. l. 1. c. 3.

Biſontis vocabulum ab Germanico Viſent dictum eſt. Oppiani codices βίσων habent, a Biſtonia forte Thraciae ſilva, ſed male. Dion βίσσωνες vocat. Plinius et ex eo Solinus, boves feris ſimiles eſſe dicit, ſetoſos, colla iubis horridos. Oppianus, iubam circa armos terribilem in craſſa cervice quatere ait, nec non circa maxillas aut mentum. Cornuum mucronibus eſſe hamatis et aduncis, non inter ſe reflexis, ſed ſurſum verſus ſurgentibus, ut Gyllius vertit. Seu ut Geſnerus, non eſſe patula vel extenſa, ut in caeteris bubus, nec e regione in diverſum ad latera abire vel extendi, (epicarſion enim transverſum eſt) ſed recta ſurgere, ita tamen, ut ὑπτια ſint, id eſt, dorſum verſus inclinent, et circa finem hami inſtar tum recurva, tum acuta ſint, unde κέντρα ab acumine vocantur. Surrio iubati ſunt et villoſi circa collum, et in armos barba a mento propendente, pilis moſchum redolentibus, capite brevi, oculis grandioribus, et torvis, quaſi ardentibus, fronte lata, cornibus plerumque adeo diductis et porrectis, ut in iis tres bene corpulenti homines inſidere queant. In tergo extat gibbus elatior priore, et poſteriore corporis parte humiliore. Cornu Geſnerus apud aurifabrum argento includendum vidit, nigredine ſplendens, duos dodrantes longum, aduncum inſtar unguium in rapacium avium genere. *Linguam* Oppianus aſperam habere ait, ut, cum lingit, ſanguinem eliciat. De uſu in Medicina hoc duntaxat habet Plinius. *Vros et biſontes Graeci in experimentis non habuerunt, quanquam bove fero refertis Indiae ſilvis: portione tamen eadem efficaciora omnia*, quam ex domeſticis ſcilicet bubus) *ex his credi par eſt, videlicet quoad medendi vim.* Huius generis fuerint Tauri Floridae novi orbis inſulae, quos *Butrones* barbari ſua lingua nuncupant, prodente Ambroſio Pareo. Cornua gerunt pedalia, et gibbum in dorſo, camelino ſimilem. Pilo ſunt prolixo et fulvo, cauda leonina. Nunquam cicurantur. Ex pellibus fiunt tegmina, quibus barbari adverſus hiemis vehementiam utuntur. Cornibus vero, quibus alexiteriam vim ineſſe ſibi perſuadent, adverſus venena ſe muniunt. Huc pertinet et *Biſon Scoticus*. Candidiſſimum eſſe aiunt, in formam leonis iubam ferre, caetera manſuetis ſimillimum, verum adeo ferum et indomitum, humanique conſortii hoſtem, ut, quas herbas aut frutices humana contrectatas manu ſenſerit, plurimos deinceps fugiat: captum autem arte quadam, mox prae moeſtitia mori. Cum vero ſe peti ſenſerit, in obvium quemcunque magno impetu irruere.

Plin. l. 8.

Oppian. l. 2. de venatione.

PUNCTUM III.

De Bonaſo.

Aldrov. de Biſulcis l. 1. c. 4.

Bonaſus, Ariſtoteli βόνασσος, et βόλιντος, Paeonibus μόναπος, ſive, ut alii ſcribunt μόνηπος, incerta origine dicitur. Auguſtinus Niphus ab Alberto Magno, qui Bonaſum et Urum confundit deceptus, vaccam Indicam a recentioribus vocari ſcribit. Ita vero cum Ariſtoteles deſcribit. Bonaſus naſcitur in Paeoniae monte Meſtapio, qui ſeparat Paeoniam a Media regione. Vocant eum Paeones Monapum. Tauri eſt magnitudine: ſed bove craſſior. Neque enim longus eſt. Eius corium diſtentum capit, quantum eſt ſeptem convivis. Caeterum ſpecies bovis eſt, niſi quod habet iubam ad ſummos usque armos, ſicut equus, verum

Ariſtot. H. A. l. 4. c. 7 ed. Scalig.

verum pilus eius mollior, quam equinus, et demiſſior, color pili flavus. Longus etiam crinis ad oculos uſque pertinens. Color eius inter cinereum et rufum: non qualis equarum, quas Paroas vocant: ſed ſquallidior atque ſubtus lanaceus. Atri aut gilvi vehementer, nulli ſunt. Vocem ſimilem bovi habet. Cornua autem curva et adverſo inter ſe flexu curva, atque inutilia ad pugnam: magnitudine palmi, aut non multo longiora: craſſitudine ſingulis, quanta capi poſſit, non multo minus ſemiſextario. Nigredo autem pulcra et nitida cornu eſt. Antiae vero ad oculos usque pertinent, ita, ut in latus potius, quam antrorſum propendere videantur. Superioribus caret dentibus, ſicut bos et alia cornigera omnia. Ciura autem hirta, et eſt biſulcus. Caudam habet minorem, quam pro ſua magnitudine: maiorem tamen bubula. Spargit pulverem et terram fodit, tauri more. Corium eſt adverſus ictum validum. Carne eſt ſuavi: idcirco cum venantur. Percuſſus fugit: delaſſatus ſubſiſtit. Tuetur ſeſe calcibus, et ſtercore, quod ab ſeſe quaternis paſſibus (peſſime Plinius trium iugerum longitudine poſuit) eiaculatur. Cuius uſus perfacilis eſt. Saepe vero etiam comburit, adeo, ut deglabrentur canes. Perturbato vero atque perterrefacto poteſt hoc efficere ſtercus: pacato non comburit. Ferae facies ac natura talis eſt. Imminente autem tempore pariendi, univerſi in montibus pariunt: ac priusquam ſobolem edant, circum locum alvum exonerant: tanquam ponentes munimentum. Emittit haec fera largam quandam copiam excrementi huius. Huc usque Ariſtoteles, ex quo ſine dubio, quae de hoc animali, apud Plinium, Solinum et Aelianum habentur, deſumta ſunt. An cornua, vertebra, omoplata', et coſta, prout eas Caimus ad Geſnerum deſcribit, huius animalis fuerint, incertum eſt. Cornuum longitudo pedum duorum erat, palmorum trium et digiti ſemiſſis: in ambitu, ubi capiti iungebantur, pedis unius et palmi ſemiſſis. Spatium frontis inter cornua palmorum Romanorum trium cum ſemiſſe. Vertebra erat tantae magnitudinis, ut niſi longitudine trium pedum Romanorum, et duorum palmorum cum ſemiſſe circumdari potuerit. Coſta longitudinis ſex pedum erat. De omoplata taceo. Iconem Capitis et oſſium, appoſuimus.

Plin. H. N. l. 8. c. 15.

PUNCTUM IV.
De Bubalo veterum.

Aldrov. Hiſt. de Quadrup. l. 2. c. 5.

Bubali nomen confuſum quidem non ſolum hodie, ſed et Plinii aevo fuiſſe videtur: nec peculiare aliquod apud Graecos nomen habet; et multi diverſos ſilveſtres boves, praeſertim in illis regionibus ad quas aliunde adducuntur, bubalos appellant: quidam bubali, inter capreas relato, commune nomen eſſe volunt: nos tamen ab iſto diſtinguimus: eumque ſilveſtrem bovem intelligimus, quem Ariſtoteles timidum eſſe, et ſanguinem fibris carentem habere ſcribit, et qui cum Bove Africano idem eſt. De eo ita Scaliger. Bubalin, cuius ſanguis et inſtrumentum pugnae cornua ab Ariſtotele deſcripta ſunt. Plinius ait eſſe vitulo ſimiliorem (cervove:) Quid igitur ea ſit? An Gazella? non ſane. Quare, quod ex Africanis hiſtoriis percipere potui, tibi libenter impertitum curabimus. Africanorum boum parvitas tanta eſt, ut noſtratium vitulorum vix aequent magnitudinem. Multi tamen roboris, ac doloris patientiſſimi ſunt. Dant autem et Lant, et Elant in venio appellatum. Facie bubula eſt, ſed ut minor, ita multo agilior et expeditior. Eiusmodi fertur eſſe celeritate, ut curſu feras omnes antevertat. Corium adeo firmum, ut cuivis telorum ferreo generi ſit impenetrabile. Sclopi tamen globulo pervium. Pilus eis albet. Aeſtate capiuntur, quod aranearum fervore ungulae moveantur ac vacillent. Tantum Scaliger.

Arist. H.A. l. 3. c. 6.

Scalig. Exercit. 206. ſ. 5.

Bel-

Bubalus . Büffel .

Tab: xx

Alius Bubal, Taurus Syluester .

Vrus . Awer Ochs .

Bos *Scythicus* .

Bubali Iuvenci . Iunge Büffel .

Bellonius alium Bovem Africanum ita deſcribit. Iam aetatate, inquit, grandis erat, corpore minor cervo, ſed habitiore et maiore, quam caprea, tam quadrato et bene formato corpore, ut oculis gratus eſſet eius aſpectus. Nam eius pilus flavus, adeo ſplendens et laevis erat, ut expolitus videretur. Alvum magis rufam flavum colorem tendentem habet, quam dorſum, quod ad fuſcum accedit. Bubuli pedes, breviaque et firma illi ſunt crura: Collum craſſum et breve, exiguis praeditum palearibus: Caput bubulo ſimile: cuius vertici inſident cornua nigra, et admodum incurva, ut Gazellae, lunaeque creſcentis in modum inflexa, quibus haud multum ſe tueri poteſt, cum in ſeſe ſint recurva. Bubulis auribus praeditus eſt, armos ſublevatos et plenos habet: caudam, ut Camelopardalis uſque ad poplites promiſſam, nigris pilis fultam, duplo quam equini craſſioribus. Bovis mugitum habet, ſed non adeo ſonorum. Diverſus eſt ab hoc ille, cuius iconem Horatius Fontana ad Aldrovandum miſit. Capite enim erat colloque longe procerioribus atque exilioribus: cornibus item retro inflexis, et ut in rupicapra incurvis. Aures pro capitis proportione habebat maiuſculas, iuxta colli initium: faciem cervinam, aut capreolum potius, quam bovem referentem. Quare a quibusdam inter Africanos capreolos referebatur. Totum animal excepto roſtro et cornibus, quae nigricabant, flaveſcebat. Pilo erat longiuſculo.

PUNCTUM V.

De Buffelo, et Strepſicerote.

Aldr. Hiſt. Quadrup. l. 2. c. 6.

Buffelum ſeu Bubalum vulgarem diverſum a Bubalo Ariſtotelis eſſe, vel ex collatione hiſtoriae utriuſque patebit. Videtur autem eum inter boves ſilveſtres nullo expreſſo nomine repoſuiſſe, dum ſcribit: apud Arachotos, Indiae civitatem boves ſilveſtres eſſe, qui differunt ab urbanis, quantum inter ſues urbanos et ſilveſtres intereſt: colore atro, corpore robuſto, rictu leviter adunco, cornua gerunt reſupinatiora. Fueritque forte etiam iſte noſter buffelus, bos ille ſilveſtris niger, ex quo, ſi ſanguine ricini lumbi perungantur, mulieri taedium veneris fieri dicit Oſthanes apud Plinium. *Deſcriptio* noſtri ſic habet: Animal eſt bovi ſimile, ſed maius altiusque, corpore valde craſſo, cute duriſſima, membris macilentis. *Pilos* habet nigros, paucos, et parvos, in cauda fere nullos. *Frons* eſt aſpera, criſpa, et intricata pilis. *Caput* ut plurimum pronum ad terram, parvum pro proportione totius corporis. *Cornua* longa intorta et nigra. Albertus aliquando interius iuxta collum dependere verſus internam pectoris partem ait, aliquando erecta eſſe: *Collum* eſt craſſum longumque. Inferior *dorſi* pars caudam verſus declivis. *Cauda* ipſa brevis, parva, et nullis fere pilis. *Crura* craſſa, robuſta, et reliqui corporis reſpectu brevia. Frequentiſſime in Aſia, Graecia, Aegypto, inſula Borneo, Siam, Italiae urbibus reperiuntur. Circa Fundi, quam plurimos vidimus. In aquis morari gaudet. Mugitus eis terribilis. Lac buffela habet, et tempore coitus, et in principio partus, ut Niphus annotavit. Intuiti manſuetudinem prae ſe ferunt: irritati, irritantur rubro colore, indomitie vadunt. Perſequendo recta fertur, neque declinat. Creſcentienſis tradit, ubi iraſcitur aquam ingredi, et ſe mergere ad os uſque ut ſanguis aeſtuans reſtinguatur. In hoc genere vacca alterius generis vaccae vitulum non admittit, ſed odore agnitum reiicit: ſin autem vitulus vaccino ſtercore illinatur, decepta odore, lactat et pro ſuo educat. Laboris eſt patiens. Ferreus aut aeneus circulus per nares ei traiicitur, cui alligato funе, vel habena, ducitur ac regitur. Tradunt, ſi nimium ſit onus decumbere, nec vel verberibus poſſe ad ſur-

gendum cogi, niſi levato prius onere. Carnes ipſorum Romae venales proſtant, et Iudaeis ſapore ſuo blandiuntur: verum tanto lentore praeditae ſunt, ut in parietem adactae, tenaciſſime adhaereant. Caſei, quos Piſtorienſis ager copioſe ſubminiſtrat, Marzolinorum nomine, figura fere ovali, bubulis longe praeferuntur, utpote palato gratiores. Ex ungulis vel cornibus annuli fiunt, qui, ſi in digitis vel manuum vel pedum ſubinde geſtentur; mirifice adverſus ſpaſmos laudantur. Sunt, qui iisdem quaterna fila ex totidem metallis, auro, argento, aere, et ferro fabricata innectunt, ſic efficaciora futura credentes. Ex corio fiunt veſtes ac praecipue thoraces. In Narſinga equorum ornamenta eo teguntur. Siamenſes ex cornibus arcus conficiunt. *Bos Strepſiceros* a turbinata cornuum conſtitutione ita dicitur. Facie capreolo potius, quam bovi ſimilis eſt. Caudam tamen bubulam habet, quamvis breviuſculam. Totum animal colore cervo fere ſimile. Aldr. Hiſt. Quadrup. l. 2. c. 7.

ARTICULIS III.
De Ove.

Plut de eſu carn. A bovis hiſtoria ad Ovis deſcriptionem tranſimus, Aegyptiis olim ſacrae et apud Athenienſes tanti aeſtimii, ut et actio contra eum inſtituti iuberetur, qui vivum excoriaſſet arietem, ut Plutarchus teſtatur; et antiqua lege ſtatutum eſſet, ne quis ex grege centum capita habente, pecudem intonſam aut quae non peperiſſet, iugularet; quod apud Athaeneum habemus; qui etiam addit, ſuo tempore in Palladis ſacrificiis, neque agnam mactatam, nec caſeum guſtatum fuiſſe. Adde, apud Romanos olim, nonniſi ovium boumque impendio mulctam dictam, prodente id Agellio ibidem homicidii noxium, poenam arietis damno luiſſe, ut in legibus Regum, ſcribente Servio, extat, oves denique olim apud Perſas, et Medos inter tributa numeratas fuiſſe. Cappadoces enim Perſis LM. Medi duplum pendebant. Et ne longius abeamus, ſcribit Ambroſius Nolanus, a Stabiis quotannis magnum et album agnum, cum cornibus auratis, Nolam ad praeſulem tributi honorisque nomine mitti. Nil interim de eo dicam, quod agnina caro iis, qui gryphos enodabant, nec non poetis, praemium erat. Vnde Ἀρνωδοὶ dicebantur, qui agni praemia canebant.

Athen. Dipn. l. 9.

Agell. l. 11. c. 1.

Nomen. Inter *Nomina* Ovis apud Latinos, eſt Ovis, Aries, Agnus, Adaſia, Minae, Apicae, Lanata, Bidens, Pecus. Ovis nomen eſt foemellae. Feſtus tamen ab antiquis maſculino genere, cum de mulcta ſcilicet agebatur, uſurpatum ſcribit. Ab iſto vocabulo eſt *Oviaria* ovium multitudo, a qua et oviarium pecus dicitur. *Aries* vocabulum eſt maris: *Agnus* illius, quae nondum annua exceſſit. *Adaſia* vocatur, teſte Feſto, vetula recentis partus: *Matrices*, quae agnos nutriunt Palladio, quas Florentinus τοκάδας dixit, paſcales, quae paſſim paſcuntur. Minae, quae ventre ſunt glabro. *Apicae*, quae non amplo ſunt corpore, nec multam lanam circa totum corpus habent. *Lanata*, epithetum ovis eſt, ſed ſaepe pro ove ponitur. *Bidentes* ſunt oves duos dentes longiores caeteris habentes, quales in hoſtia eſſe debebant. Dicuntur et *Ambidentes*, et *Duidentes*: quamvis et apud Feſtum ambidens et bidens, quae ſuperioribus et inferioribus eſt dentibus, vocetur. *Pecorum* nomen iis quidem animalibus accommodari ſolet, quae ſunt aut ad veſcendum apta, aut uſui hominum accommodata: Plinius tamen decudem ſaepiſſime pro ove ponit. Apud Graecos haud pauciora et Ovis et Aries habent nomina. Dicitur namque illa, ἀμνάς, ἀμνὶς, βάρα Laconibus; βηκάδες apud Hippocratem interpretatur Varinus προβατίδες. Ethimologus βάτα exponit πρόβατα. ῥῆτα Heſychio et Suidae ovis eſt; διδύς bidens δίκυμα oves, quae gemellos peperere ἴγγαλον ovis lac habens, ὄιον eſt ovis mollis lanae, ἱερεῖον ovis immolanda

Aries . Wieder .

Vervex . Hamel .

Agnus .
Lam .

Ovis Peregrina .

landa, μετάσται oves agnos ſub uberibus habentes, ſeu τὰ ὑπάρνα πρόβατα, μεσήλικες mediae aetatis inter agnos, et iam maiores natu oves. Κὰρ καρνος, καρὸς, ὄις, ὄιος, πῶυ, ῥῆνες, nomina ſunt ovis ſimplicia. Aries vocatur ἄρηκα, κριὸς, ἀρνιὸς, ἐκτετμημένος, ἴθρις, quod nomen exſecto, ſed verveci proprie compepit, κτίλος, gregis dux, μοσχίας, ἀκρίβας, quod tamen nonniſi de ſilveſtri accipitur, παρὰ τὸ τὰς ἄκριας βαίνειν, quod per vertices montium eat. Ad vervecum differentiam, qui arietes non caſtrati, Nefrendes dicuntur illi, qui caſtrati non ſunt. Ἄρς, ἀμνὸς, ἔρσαι, κάθετος, κίλιξ, ὄρσος, πρατίνιον, πρηστῆνες, σακίται, τραῦον, φάγιλον, agnorum ſunt apud Graecos nomina. *Deſcriptioni*, non eſt, quod immoremur. Notiſſimum namque animal eſt. Memorabiliſſima tamen apponemus, quorum et auctores mentionem fecere. *Caput* itaque ipſi infirmiſſimum natura tribuit. *Cerebrum* ἀυχμηρὸν, hoc eſt, ut Theodorus vertit, ſqualidiuſculum, ſeu minus pingue. *Cornua* tenuiora foeminis plerumque, multis nulla, agnis aliquando ab ipſo partu connata, arietum generi in anfractum, ceu caſtus, convoluta, aliquando plura, quam bina. Cardanus verveces quatuor cornibus inſignes ſe vidiſſe ſcribit. Hic tricornis et ſexcornis iconem exhibemus. Evirati cornuum ſitum mutant, eaque e contrario gerunt. *Oculos* habent in latera deſpicientes, maxime inter ſe diſtantes, fuſcos aut ſubnigros, et patulos. *Labra*, in ſuo genere tenuia, contra ac in bobus. *Dentes*, continuos, quorum ovi pauciores, quam arieti. Petrus Creſcentienſis ſcribit mutari poſt annum unum et dimidium, nempe duos anteriores, et poſtea per ſex menſes duos proximos, deinde caeteros, ita, ut tribus annis vel ad ſummum quatuor eiiciantur omnes. Iunioribus eſſe dentes inaequales, in ſtatu aequales, aetate provectis diſcalceatos, hoc eſt, a carne denudari, minui, et corrumpi. *Ventres* ipſis, in ruminantibus plures. Apertos tos agni exhibemus, ubi, A. ventriculum, B. Reticulum, C. Omaſum, D. Abomaſum denotare ſcito. *Teſtes* ad crura deciduos. *Mammae* foeminae binae, totidemque papillae. *Fel* apud Chalcidem Euboicam parte quadem nullum; in Nexo adeo copioſum, ut exuperantia prodigii loco habeatur. Aelianuus hic duplex eſſe ait, in Ponto etiam nullum. Addit in regionibus perfrigidis, cum nive et hieme vehementi anni tempus infeſtum eſt, fellis expertes eſſe, intraque ovilia compulſum, novo pabulo non uti: ineunte vere, cum ad paſtiones proficiſcitur, felle impleri, quod ipſum Scythicis ovibus uſu maxime evenire ſolet. In Scepſi regione *Lienem* habent minimum; ubique rotundum. *Renes* aequabiles, et denſius circa ipſos ſevum, ſi pingui undique obducantur, intereunt, idque pubertate pabuli, ut in Sicilia, agro Leontino. Unde ſero diei agere oves ad paſcua, paſtores loci illius ſolent, quo minus capiant pabuli. Bellunenſis teſtatur in arietibus caſtratis, in Syria, adipem inter cutem et carnem abundare, ut in porcis. *Pedibus* anterioribus ac poſterioribus, concretio quaedam inhaeret, parte, qua terram calcant, verba ſunt Lemnii, vermiculi ſubrotunda forma, lanuginoſa intus, ac crinita congerie, qualis eſt in roſarum ſpongiolis, ac calicibus, quibus ſemen includitur, molli tenuique lanugine implicitum: Eximi autem tale quiddam ſaepius ex decoctis eius pecudis pedibus, teredini, quae vermicoloſo, ac carioſo ligno ineſſe ſolet, aut nucibus avellanis plane adſimile. Opiliones autem poſtoreſque ovium ea ſunt opinione imbuti, nullum hoc animante in curſu fore velocius, niſi tale quiddam articulis, quibus fulciuntur, ſubeſſet. Caulis *caudae* villoſus eſt. *Pellem* a Borea penetrari Heſiodus negat, quod tamen pilis ſeu lanae potius tribuendum eſt. *Locum* ſi ſpectes, nullibi fere non inveniuntur: quibusdam tamen maiore copia, minore in quibusdam.

Deſcriptio.

Ariſtot. de generat. animal. l. 5. c. 1.

Ariſtot. H. A. l. 2. c. 3.

Ventres agni aperti. T. b. n. 3.

Ariſtot de partib. l. 4. c. 2.

Plin. H. N. l. 11. c. 37.

Aelian. H. A. l. 17. c. 26.

Lemnius de Naturae miracul. l. 3. c. 5.

Locus.

dam. Quomodo vero ratione locorum differant, in Differentiis dicemus. Quantum ad *Cibum*, ſunt animalia πόφαγα, ſeu herbivora, quamvis et frondibus paſcantur. Ex herbis ſunt iucundiſſimae, quae aratro proſciſſis arvis naſcuntur; deinde, quae pratis uligine carentibus. Faſtidium praebito ſale occurritur, quod velut ad pabuli condimentum per aeſtatem canalibus ligneis impoſitum, cum e paſtu redierint, lambunt. Hieme frondibus ulmeis, fraxineis, et betulinis, et foeno autumnali, quod Cordum vocatur, commodiſſime veſcuntur: Cytiſo quoque et ſativa vicia, et ſi neceſſitas urget, ex leguminibus paleis. Vinacea et furfures alicubi modice obiiciuntur. Quae in locis maritimis aut ſalſuginoſis compaſcunt, largiore lacte, et caſeo gratiore abundant, multoque foecundiores evadunt, et teneriores ac ſuaviores carnes proferunt; quales oves praepingues in Oſtienſi agro, eique finitimo Portuenſi, decimo ab urbe lapide, qui Tiberi fluvio interfluente, multis hinc inde paludibus, atque etiam ſalinis circumfuſi, ſeſe reperiſſe et guſtaſſe tradit Gomeſius. Unde et Ariſtoteles auctor eſt, oves, quae ſalſiuſculam aquam bibunt, maturius coire, et a partu ſale fruentes, ubera magis diſtenta lacte demittere. Albertus etiam ſcribit, in quibusdam terris marinis, in quibus ſicca et ſalſa habentur paſcua, oves per XX. annos vivere, atque etiam parere. In Scotia veſcuntur per inculta loca cytiſo. In India et maxime Praſſiorum regione herbis liquida pluvia rorantibus. In Ponto amariſſimo abſynthio pingueſcunt, quod Alexander Myndius Aeliano auctore prodidit. De Laſerpitio ita Plinius: Laſerpitio veſci ſolita pecora, primoque purgari, mox pingueſcere, carne mirabilem in modum iucunda et alibi. Si quando incidit pecus in ſpem naſcentis, hoc deprehenditur ſigno, ove, cum comederit dormiente protinus, capram ſternutante. Apud Iudaeos nuclei palmarum illis apponebantur, qui etiam fabris ferrariis apud Babylonios pro carbonibus erant. Delectantur etiam, coluthea, aphace, herba lanaria, gemmis vitium, adiantho, galli criſta, thymo, erica, apud Brabantos inprimis, hedera, apiaſtro, ut Theocritus prodidit, Eryngio denique. Apud Ichtyophagos, et circa Calamos vicum Indiae, ſi Philoſtratato fides, in provincia Aden, ſi Paulo Veneto, piſcibus aluntur. In Lydia et Macedonia ex iisdem pingueſcunt. Quantum ad *Potum*, Albertus turbulenta et multa aqua pingueſcere ait. Plutarchus aquam imbris ubi ſtatim a vento immittitur, laudat. Vitalis de Furno, aeſtate ſeptentrionalem frigidam, hieme meridionalem tepidam depraedicat. Varro aquae mutationem huic pecori nocere, ſaltem eo tempore, quo fit admiſſura, ſcribit. Oves aniculae coeunt et uterum ferunt, teſte Ariſtotele, praeſtantior tamen proles, quam ſeneſcentes mares et foeminae procrearunt. At Columella vult foeminam bimam ſubmitti, et uſque ad quinquennium foeturae neceſſariam eſſe, ſeptimo deficere. Florentinus in tertio anno matrices probat, Ariſtoteles autem ad octavum uſque parere ait, imo, ſi bene curentur, vel in undecimum, quod et apud Palladium invenies. Notandum vero etiam, arieti naturale eſſe agnas faſtidire, ſenectam ovium conſectari, ut ait Plinius, additque, et ipſum ſenecta meliorem eſſe, illisque utiliorem. Coitus vero omnibus ab Arcturi occaſu, quod eſt a tertio Idus Maias, ad Aquilae occaſum, id eſt, ad decimum tertium Calendarum Auguſti, ut Plinius prodidit; idque ideo, quod, quae poſtea concipiunt, fiunt vaegrandes et imbecillae. Columellae tamen primum admiſſurae tempus vernum Parilibus, ſi ſit ovis matura, ſi vero foeta, circa Iulium menſem. Ferunt quinque menſibus, et pariunt, maxima ex parte ſingulos, ſed aliquando etiam binos, ternos, et quaternos. Alicubi pariunt geminos, tum pabuli beneficio,

Cibus.

Columella R. R. l. 7. c. 2. 3.

Gomeſ. l. 3. de Sale.

Plin. H. N. l. 19. c. 3.

Strabo Geogr. l. 15.

Plutarch. qu. 2.

Varro R. R. l. 2. c. 2

Coitus et Partus.

Ariſt. H. A. l. 5. c. 14.

Plin. H. N. l. 8. c. 48.

Ariſtot. H. A. l. 5. c. 14.

Columell. R. R. l. 7. c. 3.

ficio, tum ſi pater aut mater vim eam geminandi per naturam obtineant. Sunt et loca, ubi bis terve pariunt, ut in Differentiis dicemus. Terno ſaepius aut quaterno coitu implentur, et aliquando toti gregi unus aries ſufficit. Pariunt nonnunquam et monſtra. Albertus Cinirum vocari ſcribit, qui ex ove et hirco naſcitur. Apud Helvetios, teſte Geſnero, naſcuntur caprae poſteriore parte, anteriore oves vel arietes, ſed vivere non poſſunt, et paulo poſt moriuntur. Albertus *Muſmonem* ex capra et ariete naſci refert. Apud Columellam vero refertur, ex ovibus et arietum ferorum coitu foetum conceptum paternum colorem retuliſſe, eumque ſimiliter duraſſe per ſobolem et nepotes: lanam vero, in primo quidem foetu hirtam, ſed in nepotibus et deinceps molliorem fuiſſe. Eius autem coloris foetus erit, cuius venae linguae in praegnante ſunt. Mares aut foeminae vi tum aquarum, tum admiſſariorum generantur. Ariſtoteles vero docet, auſtrinos flatus captandos eſſe, ſi foeminae generari debent: ſeptentrionales, ſi mares. Idem efficies, praeeunte Plinio, ſi arieti laevum vel dextrum teſtem ligaveris. Quod de aqua ex Ariſtotele dictum, probat Pauſanias, dum ait: ex charadro fluvio bibentia pecora ut plurimum mares parere. Ut vero coitum arietum ſale, vel genitalium ſale et nitro perfrictione excitant; ſic et conceptio a quibusdam, pinguedine nempe nimia impeditur. Ex congreſſu de anni felicitate praeſagium ſumitur. Nam ſi maiores natu tempeſtive libidine incitantur, annum eſſe felicem gregi paſtores confirmant; ſi minores, infelicem. Poſt ordinarium coeundi tempus concepti, Cordi antiquis vocantur. Inter oves et capras occulta quaedam amicitia viget, ideo ſimul libenter paſcuntur. Ex arietinis cornibus tuſis et defoſſis, aſparagos naſci, quidam ſcripſere, negat Dioſcorides. Si eadem ſepeliantur ad radicem fici arboris, fructus eius citius matureſcere, ſcribit Albertus Magnus. Quae de veſpertilione produntur, inter magicae vanitatis ſpecimina reponit Plinius. Inimicitias creduntur fovere, cum lupo, urſo, tigri, elephanto, lupo in primis, corvo, aquila, ſerpentitibus, apibus, eruca. Stirpes vero iisdem noxiae ſunt, Aconitum, Nerion, Evonymus, Sabina Sanguinaria, Polygonum, Numularia, Calamogroſtis, Anagallis, Ervum, Glans, Duva et Thapſia. Quae de lupi inteſtinis, tympano et aliis dicuntur, alibi examinabimus. Sanguinariam ſi comederint, toto ventre diſtrahuntur, et ſpumam quandam tenuem tetri odoris exſpuunt. Calamogroſtis comeſta ſitim, maciem, et tabem invehit, et ſanguinem in ventriculum elicit. Duvam, herba eſt apud Gallos, ſic iisdem vernacula dicta, ſi guſtaverint, innaſcuntur in iecore parva quaedam animalia nigra, quae ſimiliter Duvae vocantur. Ervum noxium eſt, quod menſe Martio ſeritur. Si glandem copioſius comederint, abortum faciunt. In Attica Thapſiae radicem non tangunt, peregrinae depaſcunt, et aut alvus ſolvitur, aut intereunt. Tonitru conſternatis, ſi aliqua non concurrerit, abortit. In Thracia vero, ut Bellonius prodidit, binas Turcae putant eſſe ſtellas, Iulio et Auguſto noctu apparentes, ſibi plane verticales, quarum ſplendorem ſi oves caput attollentes conſpiciant, intereant. Ideo tum ſub tectis habentur. Vitam ad denos annos, ſed magna ex parte pauciores vivunt. Facit tamen et loci diverſitas ad longaevitatem. Albertus namque in quibusdam locis ſiccis et marinis ad viginti annos vivere ſcribit. Ariſtoteles, duces pecoris ad quindenos. Oves Aethiopicae ad duodecim et tredecim annos vitam agunt. *Vox* ipſis propria balare, Graecis βληχᾶσθαι. Homerus tamen μηκωμένας dixit agnos, et apud Claudianum, agnos grundiſſe leges. Peculiarem in coitu habere, Ariſtoteles auctor eſt. Quantum ad Naturam, Ingenium et Mores ovium, adeo ſunt ſtolidae et amentes, ut homo προβατώδης et ἀμηχάνων, pro ſtolido et fatuo nominetur,

Bellon. obſerv. l. 3. c. 51.

Aetas.

Vox.

Ariſt. H. A. l. 4. c. 4.

Natura, Ingenium, Mores.

Sympathia et Antipathia.

et in proverbium abiverit, nullam ovium utilitatem eſſe, ſi paſtor abſit. Manſuetae ſunt eaedem, et cum caetera animalia in partu vel a partu ſaevire ſoleant, hae, teſte Ariſtotele, non ſaeviunt. Quamvis autem quacunque occaſione perhorreſcere Quintus Calaber innuere videatur: agnos tamen audaces Horatius dixit. Praeter paſtorem et canem itineris ducem arietem habent, quem tamen paſtor primo inſtituit, videreſque e ſtabulo egreſſas militari quaſi ordine incedere, praeſertim ſi a paſtore, cuius vel ſibilum intelligunt, depoſitae fuerint. Arietes pugnaciſſimos eſſe, ſimul ac ipſis cornua increſcere incipiunt, notum. Non modo ſui generis ſimiles, ſed et alias, hominem adeo ipſum, inceſſunt. Saevitia repellitur, ſi, menſurae pedalis aculeis confixam tabulam, adverſam fronti cornibus religaveris, vel cornua ſecundum auriculas, qua curvantur inflexu terebra perforaveris, vel etiam caſtraveris. Eosdem per ſex menſes hibernales ſiniſtro incubare lateri, ab aequinoctio verno ſupra dextrum latus, quomodo ſcilicet ſol ab eodem tempore dextrum hemiſphaerium, reliquo ambit ſiniſtrum quod Macrobius et Aelianus prodidere, experientia falſum eſt. De caetero, amat hoc pecus frigidos fontes: radicitus herbas carpit, et arbores deſtruit: lac per octo menſes habet, antecedente hieme copioſius avidiusque pabulum ventri ingerit, quaſi de viatico pro futura indigentia ſollicitum, frigoris eſt impatiens, quamvis veſtitiſſimum: illae tamen minus perhorreſcunt, quibus cauda amplior. Eum ſequi ſolere, qui vellere aures ipſarum obturaverit, Mizaldus prodidit. Agreſtes cum conſenuerunt, a propriis foetibus aluntur. Agnos odore poſteriorum noſcere, apud Albertum legimus. Cubant difficilius, quam caprae. Foeminae urinam craſſiorem reddunt, quam mares. Menſes ipſis et capris tempore coeundi indicari, idemque poſt coitum etiam fieri ad tempus, mox deſiſtere, donec parturiant: tum denuo indicari, itaque paſtores proximum eſſe partum intelligere: a partu autem purgationem ſequi abunde, primum leviter cruentam, poſtea valde, Ariſtoteles auctor eſt. Agninam veteribus deſpicatui fuiſſe, quidam et inter eos Turnebus, credunt, Plautus tamen coram fuiſſe Romae, tradit: et Horatius in deliciis reponit, ut exta agnina iam memoratus Comicus. Athenis quondam interdictum fuiſſe, ne quis intonſum agnum in cibo ſumeret, Athenaeus auctor eſt. Modice vero eſt calida, cum ſuperflua humiditate, quae, quo agnus iunior, copioſior. Ideo etſi robuſtis utilis, infirmis tamen ventriculo, quod viſcoſo humore adhaereat noxia: quanquam Creſcentienſis anniculos commendat. Columella autumnalem verno praefert. Capita inter delicatiores cuiusdam convivii cibos numerantur. Agnus Syringatus, Terpianus, Paſticus, diverſi apparatus ſunt nomina. *Arietina* caro minus eſt humida, et ſi bene concoquatur, ſanguinem laudabilem generat, maxime caſtratorum. Donatus Antonius Ferrus, vervecinam omni aetati, regioni et tempori, ſi ſit iuvenis, bimula mediocriter pinguis, et in optimo aere ſicca, optimisque herbis educata, convenire ait; talesque eſſe aſſerit verveces, qui in ſublimi Trivicano monte nutriuntur: ſecus autem eſſe, qui humidis aluntur in locis, et propterea in Campania nullo fere pretio haberi. Bellonius longe ſapidiores eſſe iudicat, ſi integri, quod paſtoribus in Thracia ſupra Neſſum fluvium ſuetum, aſſentur. Teſtes apud Athenaeum inter delicatiores cibos cenſentur. Medullam inter venena, cui phaſiani caro obſiſtat, repoſuit Arnoldus: at Homerus, Aſtynacta ea veſci fuiſſe ſolitum, auctor eſt. *Ovilla* ſaporis eſt ingrati, nimis humidi, et mali ſucci. Quia aeſtate minus, quam verno tempore convenit, ideo in quibusdam locis, magiſtratus poſt Divi Iacobi feſtum, id eſt, viceſimum quintum Iulii, mactari prohibet. Pedes non exemto vermiculo, ut ſupra monuimus, nauſeam ſtomacho inferunt. *Armus* elixus et refrigeratus ſaepe editur.

Iſus in Cibo.

Bellon. obſerv. l. 1 c. 60.

Athen. l.

Homer. Iliade 10.

Ex

Ex *pulmone* minutal fit. Ex *iecore* apud Helvetios Tigurinos, Geſnero referente, tomi quadrati, qui omento circumvoluti, et herbis odoratis aliquando, verubus ligneis transfixi, in craticula aſſantur. Sunt, qui integrum diligenter cum medulla panis contundunt, et per linteum vel cilicium transmittunt, deinde aromatibus ad ſaporem coloremque commendandum, modice inſperſis, fervefaciunt, et turdos in iure carnium elixos, ac modice butyro frixos imponunt. *Lac* eſt tanto melius, quanto recentius idem de caſeo ſentiendum. Improbatur etiam nimis ſulſus. *Medicinam* quod ſpectat, agni morſui venenato calentes, poſt cucurbitulas impoſiti, venenum extrahere Aetius prodidit: ius in quartanis utiliſſimum eſſe Brunus: *Cerebrum* maniae conferre, ex quodam manuſcripto Geſnerus. Decoctum *pedum* doloribus veſicae. Plinius *Teſticulos* arietis tritos et cum aqua potos, comitialibus. *Pulmones* arietum excreſcentes in ulceribus carnes ad aequalitatem reducunt: aſſus praeſumtus ebrietatem arcet: Livores et ſugillationes minutatim conciſus et impoſitus ſtatim ſanat, et nigras cicatrices ad candorem perducit. Eſt eiusdem et in purgatione uterorum uſus. *Iecur*, oculis cruore ſuffuſis, eximie prodeſt, ſi pariens infletur, idem meracius praebendum in cibo, ſuadet Hippocrates. *Lien* toſtus et in vino tritus potusque ileo reſiſtit, ſi Plinio credimus, qui alibi hoc ſuperſtitioſum recenſet. Pecudis lien recens, magicis praeceptis ſuper dolentem lienem extenditur, dicente eo quoque medeatur, lieni ſe remedium facere. Poſtea iubent eum in parte dormitorii eius tectove includi, et obſignari annulo, terque novies carmen dici. *Veſicam* ovillam uſtam bibendam iubet praebere Galenus his, qui ſe in ſomno permingunt, idemque remedium Mizaldus repetit. *Fel* pecudis cum melle aures purgare prodidit Plinius. Eodem tolluntur porrigines cum terra Cimolia illito capite, ut inareſcat. Cum ſuo ſevo lenit podagras. *Lac* laudatur contra omnia venena, praeterquam bupreſtin et aconitum. Contra quartanas quidam, referente Plinio, tres cyathos ante acceſſionem, cum fimi hirundinum drachma una ſumi iubent. Sextario ſi quis adiiciat Cnici purgati denarios quatuor, et decoctum ita bibat, molliet ventrem. Alvi exulcerati fluores et teneſmi eodem ignitis calculis decocto ſiſti, Dioſcorides tradit. *Serum* ventrem movet et bilem expurgat. De *Butyro* haec apud Plinium reperiuntur. Reduvias et quae in digitis naſcuntur pterygia, tollunt canini capitis cinis, aut vulva decocta in oleo, ſuperillito butyro ovillo, cum melle. *Caſeus* vetus dyſentericos recreat, et in cibo ſumtus, vel raſus et cum vino potus, caeliaco medetur. *Cornu* arietis uſtum et cum oleo contritum, atque inde deraſum a quibusdam ad criſpandum capillum adhibetur. *Vngulae* cinis cum melle muris aranei morſum ſanat. *Coagulum* contra paſtinacam et omnium marinorum ictus vel morſus, drachmae pondere ex vino ſumi, ſcripſit Plinius. Infantibus etiam, qui lacte concreto vexantur, praeſidio eſt, ex aqua potum, aut ſi vitium coagulato lacte acciderit, diſcutitur coagulo ex aceto dato. Siſtit itidem ſanguinem ex naribus ſubditum vel infuſum, ſi alia non profint. De *ſevo* notandum eſt, aliquando ſimpliciter, aliquando ex renibus, vel omento privatim nominari. Quidam innominatus eo ad ignem liquato linteum intingi, et parti aduſtae imponi iubet, atque ita curari aſſerit. Pernionibus cum alumine, teſte Plinio, imponitur. Vetus cum cinere e mulierum capillis, furunculis medetur. Ex omento, praecipue a renibus, admixto cinere pumicis, et ſale caeteris verendorum vitiis medetur. *Medulla* agni ad ignem liquefacta. cum oleo nucum et ſaccharo albo et epota, calculum veſicae diſſolvere dicitur, ſi Alberto credimus. *Vrinam* ovis rubrae aut nigrae, idem, hydropi perutilem eſſe ſcribit, ſed praecipue, ſi cum melle fuerit mixta. Quantum ad *ſtercus* et *ſimum*,

Plin. H. N. l. 29. c. 2.

Medicus quidam in Myſia, teſte Galeno, ovium utebatur ſtercore ad acrochordanas, et myrmecias, et thymos, et furunculos duros, quos clavos nominant, aceto videlicet diluens; qui et ulcerum ambuſta ad cicatricem illo ducebat, nempe, ſtercus hoc cerato roſaceo commiſcens. Fimus ex aceto illitus apud Dioſcoridem, epinyctidas, clavos, penſiles verrucas, thymos, et ambuſta igni, roſaceo cerato exceptus. Galenus ex oleo tritum, inſtar cataplaſmatis imponi iubet, ad vulnera recentia gladio aut ligno illata. Magna vis et in cinere fimi, inquit Plinius, ad carcinomata, addito nitro, aut cinere ex oſſibus feminum agninorum, praecipue in his ulceribus, quae cicatricem non trahunt. Fimo quoque, ipſo ovium, ſub teſta calefacto et ſubacto, tumor vulnerum ſedatur. Ad dolorem colicum hoc eſt Marcelli. Stercus ovis montanae menſe Septembri, deficiente luna pridie incluſae mane, excipies, et ſole durabis atque in pulverem rediges, et habebis in vaſe vitreo ſive ſtanneo, cum uſus exegerit. Cochleare plenum, colico ex aqua calida, ſi febricitaverit, ſin minus, cum vino per triduum dabis. *Vellera* pura aut per ſe impoſita, coecis doloribus, aut accepto ſulphure mederi, teſtatur Plinius, tantumque pollere, ut medicamentis quoque ſuperponantur. Pugnacis arietis e medio cornuum lanas ſuffitas, Nicolaus Mirepſus imponi iubet, loco dolenti in hemicrania, doloremque ſedari promittit. Cinis crematarum ex Dioſcoridis ſententia, cruſtas obducit, excreſcentias in carne cohibet et ulcera ad cicatricem perducit. Mundae autem et carptae, in fictili crudo, caeterorum more uruntur. Quidam detonſam eam, alii evulſam deciſis ſummis partibus ſiccant, carpuntque, et in fictili crudo componunt, ac melle perfundunt utrumque. Alii haſtulis taedae ſubiectis et ſubinde interſtratis, oleo aſperſam accendunt, cineremque in labellis aqua addita, confricant manibus et conſidere patiuntur, idque ſaepius mutantes aquam, donec linguam adſtringat leviter, nec mordeat, tum cinerem reponunt. Vis eius ſeptica eſt, efficaciſſimeque genas purgat. Lana ſuccida, quae colligitut ex ovibus tonſis inter aequinoctium vernum et ſolſtitium, quo tempore ſudare coeperunt, laudatiſſima, quae de collo demitur. Subveniunt tales lanae, teſte Dioſcoride, inter initia vulneribus percuſſis, deſquamatis, lividis, oſſibus fractis, aceto, oleo, aut vino imbutae: ſiquidem facile ſuccos combibunt, quibus immerguntur, et ob pecudum ſordem, ſic Oeſypum vocant, emolliunt. Canis rabioſi morſibus inculcata poſt diem ſeptimum ſolvitur, teſte Plinio, reduviasque ſanat ex aqua frigida, ex oleo calido humidis appoſita medetur, ut ait Marcellus. Refert Herodotus, Poenos paſtorales in filiis quadrimis, venas verticis lana ſuccida inurere, nonnullas venas temporum, ne unquam ſcilicet pituita e capite defluens, officiat. Quod ſi pueris inurendis ſpaſmus contingat, urina hirci aſperſa eos liberari. Si talum aut ungulam bovis vomer laeſerit, picem duram et axungiam cum ſulphure et lana ſuccida involutam, candente ferro ſuper vulnus inuri iubet Columella. Plinius ſanguinem e naribus lana ſuccida, ait ſiſti, cum oleo roſaceo et alio modo auribus ſaepius obturatis indita: ſed et alibi ſiſtit, ſi articulos, extremitatum praeligaveris. *Oeſypo* ſeu ſordibus lanis inhaerentibus, Galenus concoquendi vim tribuit, cum aliqua digerente facultate. Dioſcorides cum Aetio, excalefacere, ulcera explere, et emollire ait. Apud Plinium, vulvae inflammationibus et ſedis rhagadiis, et condylomatis, cum butyro, et meliloto, medetur. Secundum eundem vulneribus medetur cum hordei cinere et aerugine aequis partibus, ad carcinomata quoque ac ſerpentia valet. Erodit et ulcerum margines carnesque excreſcentes, ad aequalitatem redigit. Igni ſacro medetur cum pompholyge et roſaceo. Somnos allicit cum myrrhae momento, in vini cyathis duobus dilutum. Maculas in facie cum melle Corſico, quod

quod aſperrimum habetur, extenuat. Quomodo et colligatur et paretur, vide apud Aldrovandum. Silvius denique, neſcio quo auctore, cutim pedum et roſtrorum bovis et ovis lento igne diu coqui tradit, donec veluti coagulum remittat, idque exemtum, ſiccatumque, in aere perflatili ad hernias commendari. Et tantum quidem de uſu in Medicina. Dantur et in externis quidam. Lana enim veſtitus eſt materia: ſed et pelles humani corporis ſunt operimentum. Bedevini ex Arabum genere Vitriaco teſte, plerumque iis veſtiuntur. Zeno etiam Citicus apud Laertium, Cratem Thebanum ovis pellem pallio ſuo inſuiſſe ſcribit. Vulſtanus quoque Vigarnienſis in Anglia Epiſcopus veſtitu ex pellibus ovinis uſus eſt, quod non lynces Dei, ſed agnus in templis cantaretur. In tragoediis etiam earum uſus, unde, qui geſtabant διφθέρας, dicebantur. Cavendum tamen eſt, ne ovium, quae peſte periere, pelles adhibeantur. Pauci enim ex talibus, non phthiriaſin modo, ſed et ſacrum ignem gignunt. Mirum vero, quod ſcribit Aelianus. Ex ovis a lupo demorſae lana veſtis, pruritum in corpore eius excitat, qui ea veſtietur. Ex eadem lana cingula fiebant, quibus novae nuptae apud Romanos praecingebantur. Peſcia, in Saliari carmine capucia ex pellibus agninis fuere. Molloſtans vocat Feſtus pelles ovillas, quibus galeae regebantur. Earundem pellium uſus loco chartae fuit. Ventre Diophanes ad necanda animalcula noxia utitur. Ex teſticulis arietinis crumenas olim factas, Cicero ad Herennium innuere videtur. Suffiſcus etiam folliculus eſt teſtium arietinorum Feſto, quo pro marſupio utebantur. Inteſtina minora ad fides et arcuum nervos adhibentur. Menſe Maio caſeum coagulabimus ſincero lacte, coagulis agni vel haedi. Urina nitri factitii materia eſt. Oſſa manubriis cultellorum inſerviunt. Stercus agris utile. Candelam ex ſincero arietis ſevo, ſcriniis tenui linteolo inſertam, veſtiariam ſupellectilem a tineis in offenſam cuſtodire, Mizaldus tradit. *Differentias* a pilo ſeu lana, et loco ſumemus, easque promiſcue trademus. Ariſtoteles Scythicas pilo molli eſſe ait, Sauromaticas duro. Horatius Tarentinas pellitas cognominat, quod mollioris ſint velleris. Colonicae dicebantur, hirſutae, quod, quae agris colebantur. Cuius iconem hic damus. Eaedem et Montanae dicuntur, unde ἐριῶν ἱμάτιον, ex ſqualida et non pectinata lana. Sunt et *ferae oves*, non quidem multo noſtris domeſticis, ut Gillius ex Oppiano tradit, maiores, ſed certe ad currendum velociores, et ad pugnandum fortiores, tum retortis cornibus, tum infeſtis, et robuſtis frontibus armatae. Saepe in ſilvis apros impetuoſos ad terram abiiciunt, interdum impetu facto inter ſe pugnant. Iulius Capitolinus teſtatur, ſuo tempore extitiſſe Gordiani ſilvam memorabilem, in qua picta tum continerentur, tum alia diverſa animalia, tum oves ferae centum. In Adimain Lybiae ſolitudinibus, animal eſt forma arietina, aſelli magnitudine, aurium oblongarum et pendularum, lanam curtam gerens, et ſeſſoris patiens, tametſi non ad eum uſum, ſed ad lac habeatur. Contra quam noſtratibus foeminis cornua, maribus nulla. In deſertis Lybiae frequenter reperiuntur, alioquin rari, licet plerumque in agris Numidiae videantur, quod prodigii loco habent. In Aegypto lana ovium, pilo propior, quam lanae teſte Plinio, ex qua veſtis detrita uſu tingitur, rurſusque aevo durat. Ibidem oves maiores, quam in Graecia. Circa Damiatem, verveces rotundis et tam amplis caudis ſpectantur, ut vix eas ſuſtineant. Leo Africanus ſe, quae pondere libras quinquaginta, aliquando centum viginti aequarent, vidiſſe ſcribit. In Aethiopia non habent lanam, ſed camelorum pilis hirſutae ſunt, quod Diodorus Siculus, Aelianus et Strabo prodidere. Iohannes Bohemus vero parvas eſſe addit, et incolas cauda huius pecudis pudenda ſua obtegere.

Ius in externis.

Sort. l. 6.

Aelian. H. A. l. 1. c. 8.

Differentiae.

Scalig. Ex. 217. n. 8. Iohan. Leo Africae l. 7.

Diodor. Sicul. Bibliothec. l. 4.

Aelian. H. A. l. 17. c. 10.

Strabo l. 7.

tegere. In Nubia arietes cornuti naſcuntur, nec modo mares, ſed et foeminae cornua gerunt, cui miraculo aequandum eſt, quod ibidem oves, teſte Plinio, quarto nonniſi die bibant. Tuneti etiam prout in Aegypto reperiuntur, adeo craſſas caudas habentes, ut ſe loco dimovere non poſſent: verum, qui eorum curam gerunt, caudam exiguis vehiculis alligantes, gradum promovere faciunt. In Anglia praeter rorem coeleſtem nullum bibunt potum, et de induſtria a fontibus arcentur, quod experientia docuerit, bibere ipſis exitiale. In Arabia quaedam tricubitales trahunt caudas, prodente Herodoto, quaedam cubitum latas, ut apud Aelianum legimus. Tales vel his ſimiles in Arabia Petraea et Felice inveniuntur. Cauda aliquando viginti ſex, aliquando quadraginta quatuor libras pendit. Ibidem arietes ſunt usque in terram criniti. Hic, qui ſub nomine Indici datur, ſed revera Arabs, cornibus omnino icaret, lanam habet promiſſam, cauda terram contingit. Arietis ſpecies eſt aries Moromorus, ut eum Nierembergius vocat. Raſus eſt, et ſtupiditatis quodam geſtu ſolet conſiſtere, et ſerene attendere obvios aliquando territus aufugit cum ſarcina. Aries vero Guineenſis ſeu Angolenſis ita a Marcgravio deſcribitur. Magnitudine arietis noſtratis. Caput habet craſſum arietinum, occipitio tamen magis prominente, quam in noſtratibus, aures pendulas, caudam usque ad ſuffragines pendulam, ſcrotum magnum, et penem in medio ventre, cornua parva deorſum usque ad oculos incurvata et quaſi torta, ad collum inferius, iubam habet pendulam longis pilis conſtantem, in reliquo corpore breves pilos hircinos, nullam lanam. Caput et aures ſunt nigrae, caudae quoque dimidia pars ab exortu, reliqua pars alba, ad occipitium pili ſunt albi, crura anteriora usque ad genua alba, inferior medietas nigra, poſteriora crura tota nigra et circa anum corpus et dorſum album, in lateribus autem nigras habet maculas. Crura et pedes habet altos hircinos, duabus ungulis nigris. Variant tamen hae oves colore, uti noſtrates, et quaedam ſpecies caudam habet tibiam humanam craſſam ad ſuffraginem usque pendulam et pinguem, caret illa ſpecies iuba illa ad inferius collum. Lanam quoque non habet, ſed pilos caprinos. Grandiores ſunt noſtratibus et ingluvie pendula inſtar bovis. In Aſia rubram quaedam habent lanam. Regio Camandu, ſi M. Paulo Veneto credimus, non minores aſinis alit, illasque pulcerrimas et pingues, quarum cauda octoginta libras aliquando pendat. Canuſinis lana eſt rufa, ſeu fulva. In Chio ſunt parvae ſtaturae inopia pabuli, ſed caſeum ex iis laudatiſſimum fieri, Aelianus auctor eſt. In Clazomeniorum agris, teſte Hermolao, pecora procreari aiunt, aliis locis leucophaea, aliis pulla, aliis coracino colore. Coraxinorum lanitium omnium pulcerrimum, teſte Strabone: Ideo admiſſarii arietes talento emuntur. Apud Cretenſes in Ida monte ſunt oves paſtoribus Striphoceri dictae, cornibus erectis, ut unicornu, in ambitu canaliculatis, et cochleae in modum contortis. Arietem noſtratem magnitudine non ſuperant. In Erythraea inſula, quae forte Gades, ovium lac, ſerum propter pinguedinem non habet, quin et intra triginta dies ſuffocantur, niſi aliquid ſanguinis detractum fuerit. In quadam Scotiae regione, ſi Hectori Boetio fides, flavae habentur oves, dentium aurei plane coloris, carnes habentes croceas et lanas. In Gortynide Oppianus referente Aeliano tradit oves eſſe rufas et quadricornes. In Gothlandia, ſi nos Olaus M. non fallit, arietes ſunt, quibus quaterna vel octona cornua creſcunt, a quibus tantum ferociae mutuantur, ut ſibi et aliis animalibus, niſi ſerra demantur, incommodent. Lanam habent mollem et longam. Hirta ex Hebridibus una fert oves vel maximos hircos altitudine ſuperantes, cornua bubulis craſſitudine aequa, ſed

Bellon. obſ. l. 2. c. 60.
Herodot. l. 2.
Aelian. H. A. l. 10. c. 4.
Nieremb. H. E. l. 9. c. 52.
Marcgr. Hiſt. Braſi. l. 4. c. 19.
Strabo l. 3
Oppian. de venat. l. 2.
Olaus l. 17. c. 1.
Boet. in deſcript. Scotiae.

ſed longitudine aliquantum etiam ſuperantia, praeter caudas in terram usque prominentes. In Hiſpania, tempore Marinei, tanta erat ovium copia, ut multos ſe ibi noſſe ſcribat paſtores, quorum unusquisque ovium XXX. M. poſſediſſet. In eadem agnos melius, quam alibi nutrire Iulius Alexandrinus auctor eſt.
riſtot. in Mirabium. Apud Illyrios ferunt pecora bis anno parere, et quidem plerumque geminos, multa vero etiam ternos, et quaternos, quandoque quinos. Lactis quoque ſesquicongium ab eis emulgeri. Indorum oves, apud Aelianum, ad maximorum aſinorum magnitudinem accedunt, quatuor foetus cum plerumque pariunt, tres cum minimum. Caudae longitudo ad pedes usque pertingit, quae etiam matricibus, tum, ut facilius ineantur, tum, ut ex adipe earum oleum exprimatur, abſcinduntur. Arietum quoque diſſecantur, et adipe exemto, iterum conſuuntur, et quidem tam exacte, ut ne veſtigium quidem cicatricis appareat. Quorum icones arietum hic damus, unus erat ſine cornibus et cauda, loco eius neſcio quid habens extuberans, et ſub mento veluti palearia, totus candicabat, praeter caput et extremas ungulas, quae erant nigra. Alter erat inſigniter mutonatus, reflexis et convolutis cornibus, quae, ut et totum caput, coloris erat cornei: roſtrum autem, pedes, et teſtes caudaeque pars inferior candicabant, caetera rufus. Iſtriae ſeu potius Liburniae ovium lana, pilo propior, quam lanae, ut ait Plinius. In Italia genus quoddam ovium eſſe, Geſnerus ex amici relatione ſcribit, quod natura, quaterna aut ſena cornua aliquando gerat, ſed imbecilles easdem, et lana inutili. Laodiceae in Aſia breves oves, villo ſummam nobilitatem habent, teſte Plinio. Inter Luſitaniae fertilitatem, quam Athenaeus ex Polybio deſcribit, agnis trium vel quatuor obulorum pretium eſſe conſueviſſe ait: ſuem, quae ad centum librarum pondus accedat, quinque drachmis in coenam
then. l. 8. emi, ovem duabus. In Lybia cito apparent cornua in capitibus arietum. In Macedonia, qui candida ſibi naſci pecora volunt, ad Aliacmonem ducere: qui nigra aut fuſca ad Axium, Theophraſtus tradit. In Madagaſcar reperiuntur oves caudis maximi ponderis. In Magneſia et Meſopotamia bis pariunt. Mileſiae tertium bonitatis locum obinent. Apud Moſcos, in deſertis campis circa Boryſthenem Tanain et Rha, ovis eſt ſilveſtris, quam ipſi Seigios vocant, narrante Barone Herberſteinio magnitudine capreolae, brevioribus tamen pedibus, cornibus in altum porrectis, et quibusdam circulis notatis (ex quibus Moſci manubria cultellorum transparentia faciunt) velociſſimi curſus, et altiſſimorum ſaltuum. Nabathaei, referente Strabone, oves habent albas. In Naxo duplici ſunt felle. Apud Panchaeam plurimum ab aliis mollitie differunt. In Peru oves ad aſellorum magnitudinem creſcunt, longis cruribus, craſſo corpore, capite longo, collo et effigie quaſi cameli, carne optima, agnorum maxime. Caſtratos aratum duci, et dorſo ferre ligna: non clamare, colore eſſe, albo, nigro, et cinereo. Quinquaginta onerum pondo ſuſtinent, et tergo ſublatum, ad aliquot paſſuum millia vehunt: veſci tamen, ſi urgeantur, ſedentes, ore converſo ringentes, foedo odore conſpurcant, ſi onuſtae ſint; tum humi ſe acclinant, nec inde ulla verberum vehementia, niſi penitus clitellis exonerentur, propelli poſſunt. Lanae tenuitate, longitudine et copia noſtras ſuperant. Frumento veſcuntur, ſed adeo pauci ſunt et cibi et potus, ut triduo imo quatriduo abſtineant. Mathiolus nobis eius exactam deſcriptionem dedit, dum ait: Refert hoc animal partim camelum, partim cervum, adeo, ut recte quidem Graeco idiomate ἐλαφοκάμηλον appellari poſſe crediderim. Longitudo totius corporis a cervice ad caudam ſex pedum eſt: altitudo vero a dorſo ad pedis plantam, quatuor tantum, et colli longitudo a ſcapulis ad cervicem, duum. *Capite, collo, ore*, ſuperioris praeſertim

labii

labii ſciſſura, ac genitali Camelum fere refert. At *caput* oblongius eſt, aures habet cervinas, oculos bubulos. Anterioribus *dentibus* in ſuperiori mandibula caret, ſed molares utrimque habet, ut biſulca fere omnia, et ut illa etiam ruminat. *Dorſo* eſt ſenſim prominente, quod per iniuriam a pictore neglectum eſt. *Scapulis* prope collum depreſſis, *lateribus* tumidis, *ventre* lato, *clunibus* altioribus, et *cauda* brevi ſpithamae fere longitudine: quibus omnibus cervum fere refert, quemadmodum etiam *cruribus*, praeſertim poſterioribus. *Pedes* illi biſulci ſunt, diducta anteriori parte diviſura. *Ungues* habet acuminatos, qui circa pedis ambitum in cutem craſſam abeunt. Nam pedis planta non ungue, ſed cute, ut in multifidis et in ipſo Camelo contegitur. *Retromingit*, ut Camelus et *teſtes* ſubſtrictos habet. *Pectore* eſt amplo, ſub quo, ubi thorax ventri connectitur, extuberat globus, ut in Camelo, vomicae ſimilis, e quo neſcio quid excrementi ſenſim manare videtur. *Color* colli, cervicis, pectoris et anteriorum crurum eſt illi albus, reliqui vero corporis ſubruber, vel ex nigro rufeſcens. Roſtro tamen eſt nigro et anterioribus cruribus a genu albicantibus Cicur ac manſuetum eſt animal, ſed frigoris impatiens, ut alia, quae ad nos e calidis regionibus afferuntur. Neminem offendit: ſed miro admodum ingenio ab illata ſe vindicat iniuria. Nam ubi aliquis illud vexet, vel circa clunes opprimat, non calcibus aut morſibus ſe defendit, ſed vomitu vel cibi vel humoris in vexantem retrorſum cum impetu eiaculato, ad protenſam colli longitudinem. Salaciſſimum hoc eſſe animal, id mihi coniecturam facit, quod, cum ſui generis foemellis ſit deſtitutum, magna cum prurigine capris ſe commiſceat, non tamen erectis, ut alias caprae hirco aſcendente ſolent, ſed humi ventre accubantibus, ita cogente animali anterioribus cruribus. Itaque ſuperaſcendens coit, non autem, ut falſo de retromingentibus animalibus affirmat Ariſtoteles, averſis clunibus. Adeo venere vernali autumnalique tempore ſtimulatur hoc animal, ut illud viderim humile quoddam praeſepium avena refertum conſcendiſſe, genitaleque illi magno cum murmure tamdiu confricaſſe, quousque ſemen redderet, plurimis una hora replicatis vicibus. Non tamen concepere caprae huiuſce animalis ſemine refertae, tum, quod, ut puto, vi coactae illi proſtiterint continuo balantes; tum quod cum hoc animali earum non conveniat ſpecies. Indicam ovem appellabat hoc animal, qui illud ad nos advexit, atqui a noſtris ovibus, quantum dittet, tu ipſe iudicare poteris. Hactenus Mathiolus. Ab his plurimum differunt oves illae Chilenſes, quarum iconem iſtam Belgae attulerunt. Satis omnia quadrant, inquit *de Laetius*, quoad corporis compoſitionem; praeterquam quod poſtici pedes ungulas biſulcas habeant, priores autem in quatuor diviſos ungues, et quod prolixis admodum villis lanae veſtiatur, quam inprimis commendant. Caeterum natura bene convenit cum praecedentibus, ita, ut haud dubium ſit unius generis animal eſſe, tantum ratione coeli, ſub quo degit variare: niſi forte inter utrumque ſit diſtinctio illa, quam obſervavimus in deſcriptione Indiae Occidentalis, ut omnino exiſtimo. Sputum eiaculatur in vexantes, et ſcribit P. Alonſo d' Ovaglie in Hiſtorica Relatione Regni Chili, vulgo credi in parte corporis humani, quam ſputum illud contigerit, ſcabiem generari. Pollentia iuxta Alpes, oves habet cani velleris, ut apud Martialem extat. Apud Rhaetos, arietes ſex vel ſeptem annorum ad priora cornua alia veluti adnata, parva, bina, vel terna producunt, illaque non ante quintum aut ſextum annum adnaſcuntur, primis robore et craſſitie proficientibus. Sauromaticae duro ſunt pilo. Syriae cubitales ovium caudae, plurimumque in ea parte lanitii. Circa Tarnaſari urbem Indiae, oves conſpici, cornua damis haud abſimilia habentes, noſtris

Martial. l. 14. Epigr. 157.

longe

Capra Strephiceros

Eale.

Alicorn.

Ibex .

Steinbock .

Capra Lijbica .

Flirus .

Capra . Geiſs .

Capra Canis .

Caper Hiſpanicꝙ .

Caper Mambrinꝙ

Capra Mambrina

Hircus . Bock .
Rupicapra .

Dama Veterum .
Caper Mumon
dictus Bubalo
Cerus Aldr .

Hircus Cotilardicus .
Culor .

Ibex Syluester Sardus .

Tab: XXVIII

Musimona .

Trais uel Ibex .

Gazella .

Cervo-Camelo



Capreolus Moschi .
Bisem thier .

Taurus

Peonius .

Alces .

Alce . Elend geſchlecht .

longe maiores, Ariſtoteles auctor eſt. Viſi et monſtroſi agni, quorum etiam hic Icones damus. Unus erat capite ſuillo; alter duobus capitibus et quinque pedibus. Tertius pedibus equinis et capite ſimiae. Quartus triceps. Quintus, dorſo duplici coniuncto, pedibus octo.

ARTICULUS IV.

De Capra et Hirco domeſticis.

Aldrov. de Biſulcis c. 9.

In hiſtoria hac, de Caprae primo, mox Hirci, tandem Haedi nomine in principio agendum eſt. Capras a carpendis virgultis dictas eſſe ſcribit Varro, Cicero et Nonnius. Feſtus tanquam crepas vult dici, quod cruribus crepent. Martinius a καπ]ω voro, quod ſit animal ποικιλόφαγον deducit. Pro aetate et ſexu variant nomina. Graecis dicitur αἴξ, ab αἴσσειν ruere, et cum impetu ferri. Dicuntut vero αἶγες tam ἔριφοι recens natae caprae, quam χιμάρροι, quae ſunt anniculae, vel mediae aetatis, et adultae, quae τράγοι, licet hoc nomen maribus duntaxat competere videatur. Synonima occurrunt plurima. Modernis Graecis vocatur γίδα, Tyrrheniis κάπρα, Cretenſibus καρανὸ. Heſychius μήκλας, et αἰγίνας vertit capras; κηλάδες ſunt caprae foemellae, quae cornua ut plurimum habent. Κηλάδες, caprae in fronte ſignum habentes inſtar calli. Μναάδες, quae mulgentur: ὀνὰς agreſtis: χιμάρα hieme nata. Grammatici tamen χίμαρον, pro omni caprario genere, omni aetate et utroque ſexu interpretantur. Sed et μυῖρα et μηκάδες caprae ſunt. *Hircus*, qui Sabinis fircus, vel ab hirſuto, quod ab Ebraeo הרך adurere, quod animal ſit libidinoſum, dicitur. Graecis eſt τράγος, vel a τρώγειν et τραγεῖν edere, quod vorax ſit: vel παρὰ τὸ τραχὺ δέρμα ἔχειν, a pellis aſperitate: vel ἀπὸ τοῦ τρέχειν, currendo. *Capri* nomen obtinuit, qui caſtratus eſt: Aegyptiis Mendes. *Haedus* eſt id, quod ex capra et hirco naſcitur. Ab Ebraico potius גדי quam quaſi foedus dicitur. Martialis foetum quaerulae rudem capellae appellat. Heſychio et Ethymologo dicitur ἔριφος, Varino ad tres vel quatuor menſes, poſtea χίμαρον dici, donec pariat et mulgeatur. Rhodiis audit κάραννος, alias etiam κεκρύφαλος, aut κρήδεμνος. Διακαλαμάσαρκες in quadam lege dicuntur, quod frugum calamos depaſcerent. Biſulcas eſſe capras, et cornigeras, haud uno loco Ariſtoteli proditum. Colorem mutant, et interdum varie generantur. *Pilus* differt ſexu. Craſſus eſt hircis, mollis et tenuior capris. Et quia hoc genus apprime hirſutum eſt, ideo Feſtus, denſorum pilorum homines hircipilos vocavit. *Cornua* omnibus eſſe negat Plinius; verum in his, quibus ſunt, indicia annorum per incrementa eſſe affirmat. Sunt autem ea longa et acuta. In Delo inſula, prodente Varino, viſum eſt hirci bicubitale cum dodrante, ponderis librarum viginti ſex. *Oculos*, quos in angulorum anguſtias contrudit, habet aliquando diſſimiles. In tenebris ſplendere lucemque iaculari Plinius prodidit. *Naſo* ſunt ſimae. *Dentes* caprae ſuperiores non ſunt praeter primores geminos, ut idem ait, et pauciores alii, quam hircis, quod prodidit Ariſtoteles. Dependet mento omnium *villus*, qui aruncus, ſpirillus, Graecis θρίγγος, ſecundum quosdam κρύγκος dicitur. Noneolas vocari tradit Feſtus papillas, quae ex faucibus caprarum dependent, Varro mammillas nuncupat, lacinias Plinius, verruculas alii. Binas in feminibus mammas habent, pedes macilentos. Per aures et nares ſpirare, praeter Alcmaeonem vel potius Archealum, Aegypti ſapientes quoque credidere. Philes ſignum addit, quod naſo obſtructo nihil offendantur. Oppianus id de ſilveſtribus credidiſſe videtur, dum eis meatum quendam a medio inter cornua loco ad pulmones pervenire, cui cera infuſa ſuffocentur, ſcribit. Bartholomaeus quoque Euſtathius, huic ſententiae accedere videtur, dum ſe aliquid ſimile in homine in-

Diſcretio.

Plin. H.N. l. 28. c. 11.

Aristot. H. A. l. 1. c. 11. veniſſe prodit. Ariſtoteles tamen in contrarium nitiur. *Iecur* extractum diu moveri aiunt. *Ventres* ſunt plures. *Lien* rotundus. *Aſpera arteria* talis, qualis in homine. Quantum ad *Locum*, in aquilonaribus terris abundant. In Creta magna ipſarum copia, quod lupis careat. Ithacem Temachus apud Homerum αἰγίβοτον vocat. In Rhetia Helvetica praeſtantes caſeoli caprini fiunt, praecipue iis in locis, qui circa thermas Fabarianas montani ſunt. Reperiuntur quoque in Achaia, Africa, Nubia, Sardinia, Cephalonia, Mileto, Damaſco, India, novo orbe, Hiſpania, Corſica et caeteris locis, de quibus in Differentiis agemus. Terram paſcendis aptam, Graeci αἰγίβοτον, αἰγινόμον et αἰγοβοσκὸν vocant. *Cibum* et *potum* ſi attendas, ποικιλοφάγοι ſunt. Inprimis vero frutetis, arbuto, alaterno, cytiſo agreſti, iligneis et quernis frondibus, maxime gaudent. Ex glande, ſi circa ſatietatem data eſt, abortum facere, Columella auctor eſt. In deliciis quoque habent oleam, ideo Minervae inimicae; vitis tenellos palmites, ideo Libero patri immolabantur; ficus et farinam, teſte Aeliano, fraxinum, tamariſcum, barbam hircinam, et roſam caninam. Fabae largius datae, copiam lactis efficiunt, ut et pentaphyllon, ſi prius, quam bibant, quinque dierum ſpatio ipſis vorandum detur. Eiusdem rei gratia, et dictamnum ventribus alligatur. Vorant alicubi ſcammoneam, veratrum, clematidem, et teſte Lucretio, cicutam. De Ladano libet Plinii verbis uti. Arabia, inquit, Ladano gloriatur, forte caſuque hoc, et iniuria fieri odoris, plures tradidere. Capras maleficum alias frondibus animal, odoratorum verò fruticum appetentius, tanquam intelligant pretia, carpere germinum caules praedulci liquore turgentes, deſtillantemque ab his, caſus miſtura, ſuccum, improbo barbarum villo abſtergere. Hunc glomerari pulvere, incoqui ſole. Et ideo in ladano caprarum pilos eſſe. Recentiores tradunt, ſilvas Arabum paſtu caprarum refringi, atque ita ſuccum villis inhaereſcere. Verum autem ladanum Cypri inſulae eſſe, ſimiliterque et ibi fieri tradunt, et oeſypum hircorum barbis genibusque inhaerens, ſed ederae flore deroſo, paſtibus matutinis, cum eſt rorulenta Cyprus. Deinde nebula ſole diſcuſſa, pulverum madentibus villis adhaereſcere, atque ita ladanum depecti, etc. Vulgatiſſimum porro pabulum gramen eſt, aculeatis inprimis foliis, capriola Ruellio, quod prae caeteris grata ſit. Salſedine delectari, nec tortoribus ignotum. Dracula Tranſalpinae Hungariae praefectus, ſaepenumero captivis Turcis pedes excoriatos contuſo ſale perfricuit, mox capras adhibuit, quae linctu cruciatum augerent. In *potu*, aquae ſtagnantes et mortuae, quaeque diu in vaſis ſtetere, improbantur. Albertus, cum moventur, poſt meridiem, plus aquae potaturas dicit. Prodigioſum, quod in Zacintho Antigonus notat, nempe, quo tempore ſpirant Eteſiae, capras hiantes ſtare verſus boream, eoque contentas, aquam non requirere, neque bibere. *Caprae* ſunt admodum venereae, teſte Plinio. Ideo menſe ſeptimo et adhuc lactantes incipiunt coire, idemque tradit, animam ipſis, quam ovibus ardentiorem, calidioresque concubitus. Annicu- lae etiam coeunt, et terno aut quaterno concubitu implentur: quod ſi a coitu imber acceſſerit, abortum infert. Quinque menſibus uterum ferunt. Pariunt maxima ex parte ſingulos, ſed aliquando et binos, et ternos, et quaternos. Si clementia aeris et pabuli acceſſerit, bis pariunt. Fertilitas ad octo annos durat. Ariſtoteles tamen tota vita coire aſſerit, et gemellos parere, ſi pater aut mater vim eam geminandi a natura obtineat. In trimatu ſunt inutiles. Pinguedine ſterileſcunt. Commodiſſimum tempus coeundi hibernum ſolſtitium. Unde Plinius. Concipiunt Novembri menſe, ut Martio pariant turgeſcentibus virgultis. Quidam ad denas capras ſingulos

Lacus.

Iſidor. l. 14. c. 6.

Cibus et potus.

Plin. H. N. l. 12. c. 17.

Generatio.

Plin. H. N. l. 8. c. 5.

Varro R. R. l. 2. c. 3.

Ariſt. H. A. l. 5. c. 14. et l. 6. c. 19.

ſingulos adhibent hircos, alii ad quindecim, nonnulli ad viginti. Quomodo educari debeant, ad Oeconomicam pertinet. Vehementiorem coitum ſi excitare volueris, genitalia, delibutis multo ſale et nitro manibus perfrica, vel eadem pipere, aut urticae fructu perunge. Seminalem humorem capris ante coitum et partum deſtillare, Ariſtoteles auctor eſt. Idem ubera illarum, quae coitum non patiuntur, a paſtoribus montis Oetae urtica vehementer perfricari, ut dolorem infligant, prodidit. Inde primo cruentus humor elicitur, mox purulentus, poſtremo lac non minus, quam ex iis, quae Venerem paſſae ſunt. Idem de mulieribus tam viduis, quam virginibus Albertus ſcripſit.

Ariſtot. H. A. l. 6 c. 18.
Ariſtot. H. A. l. 3 c. 20

Amicitiam colunt cum ovibus, tigri, ſargo, pulegio, et eryngio. De ovibus non eſt, quod quicquam dicatur. Tigri ſi haedus porrigatur, abſtinet cibo per biduum, tertio die eſuriens aliud poſcit, niſi porrigatur, caveam convellit, haedo vero, tanquam contubernali ſuo parcit, quod Plutarchus prodidit. Sargus piſcis umbra quoque ipſarum delectatur, et ſtantes in littore, attingere geſtit, ad ſaliendum per naturam inhabilis. Pulegium a capris guſtatum, ſi Plinio fides, balatum concitat, indeque Graeci quidam literas mutantes blechon vocavere. Si vero Eryngii caulem capella morſu deſectum ore ſuſtulerit, totus ſtatim ſubſiſtit grex, relictoque paſcendi ſtudio, novo veluti ſpectaculo attonitus, non prius mirari rem deſinit, quam paſtor caulem illum abſtulerit. *Inimicitia* ipſis cum lupo, pardali, elephanto, caprimulgo ave, ſaliva humana, melle, evonymo, vite, et conyza. Lupus capras devorat. Pardalis easdem invadit. Elephas exhorret. Caprimulgus avis ubera fugit. Unde uber emoritur, caprisque caecitas, quas ita mulſere, oboritur. Humanam ſalivam vitare, Aelianus reliquit. Hauſto melle debilitantur, ſi Alberto fides. Evonymi folium et fructus capras interimit guſtatus, niſi purgentur, purgantur autem anocho, quod quid ſit, vide Aldrovandum. Aquam ſi biberint, in qua folia rhododendri maduere, pereunt. Iisdem et Sabina venenum. Oleam ſi lambendo lingua contigerit, primo germinata ſterileſcit. Pulmo aſſus ebrietatem prohibet. Conyzam edentes moriuntur ſiti enectae. Aegolethrum herba in Lycia, eisdem exitium. Inde nomen ſortita. *Vox* ipſis eſt apud Graecos μηκάσθαι, id eſt mutire, ut Hoſpinianus vertit. Unde Homero μηκάδες vocantur. Apud Latinos, et balare, quod commune cum ovibus, et fremere. Inde φρυμάσσειν de hirco. Varinus ἴυγα hircinae vocis imitationem eſſe aſſerit. Mobiles ſunt et celeres. Unde Varro in Soracti Fiſcelio capras feras, e ſaxo, pedes plus, quam ſexagenos ſalire ſcribit. Frigoris potius, quam aeſtus ſunt impatientes: foetae inprimis, quae gelicidio hiemis conceptum fecere. Amant potius dumeta, quam prata, et campeſtrem ſitum, aſperisque etiam montoſis ac ſilveſtribus optime paſcuntur. Ita autem inhaerent rupibus, ut infra eas intuentibus videantur pendere. Unde caprarum et hircorum grex, αἰπόλιον, quaſi ἀιπεπόλιον, ſublimium converſatio dicitur: ipſae vero *petrae* αἰγίλιπες. Proxime etiam ripas vago paſſu laſciviunt, comam fluvii tondentes. De *Carnium* caprinarum qualitate non convenit inter auctores. Hippocrati ſunt cruditatis, flatulentiae et ructuum generatrices. Minus tamen aeſtivo tempore, quo melius pabulum habent noxiae. Autumno deterrimas Galenus fecit, hieme meliorem ſanguinis conſequi habitum, et naturalem intemperiem a temperatura temporis contractam corrigere. At Athenaeus, ſi conficiatur, etſi olida ſit, plurimum alere, plurimumque corpori robur addere, reliquit, Clitomachumque Carthaginenſem novae Academiae ſectatorem ſolitum ferri dicere, quendam athletam Thebanum, omnes ſuae aetatis viros ſuperaſſe, quod caprinis carnibus veſceretur, tenacibus illis, et con-

Aldrovan. de Biſulcis p. 270.

Natura, mores, ingenium.

Varro R. R. l. 2. c. 3.

Columella R. R. l. 7. c. 6.

Uſus in Cibis.

Galen. de alim. facult. l. 3. c. 1.

Athen. Dipnoſ. l. 9.

Sympathia et Antipathia.

Plin. H. N. l. 20. c. 14.

Plin. H. N. l. 9. c. 3. Theophr. de animalib. quae invident.

Plin. H. N. l. 10. c. 40. Aelian. H. A. l. 7. c. 26.

coctu difficillimis, quarum eſu olidus e corpore ſudor manaret. Militarem cibum eſſe, Homerus in Achille legatos Agamemnonis excipiente, oſtendit. *Lac*, inter caetera lactis genera moderate ſe habet; etſi minus, quam humanum temperatum. Eſt tamen et in eo, ſi aetatem, paſtiones, anni tempus, et ſpatium, quo a partu edito diſtant, diſcrimen. Sine melle periculoſe ſumi, auctor Galenus, quod in ventriculo coaguletur. Minus idem alvum tentat, niſi ſcammonio et aliis veſcantur. In quibusdam Orientis locis, tertio menſe ablactari infenſis, eodem ali ſolent. Lactis naturam *Caſeus* ſequitur. At *hircorum* caro, tum ad coquendum, tum ad bonum ſuccum generandum, deterrima eſt, libidinisque inprimis tempore vitiatur et foetet. Apud Antiphanem tamen τράγος ὑλιβάτης in convivio apponitur. Teſtes quoque et iecora damnantur. De *Haedina* non eſt una auctorum ſententia. Sanctis in V. T. olim in deliciis: Aſcraeus Poeta ἰυχνὸν καὶ ἰυπετῆ vocat. Platina poſt Galenum, domeſticorum animalium laudabiliſſimam eſſe, quod parum recrementi haberet, facile concoqueretur, bene aleret, ſanguinem calido et frigido temperatum generaret, ſcripſit. At Bruierinus eas vituperat, quod caprae febre nunquam careant: nec poſſit ſanum temperamentum a matre morbida foetus ſortiri. Iulius Alexandrinus vero calidas quidem eſſe aſſerit; ſed naturalem, quae in adultis eſt ſiccitatem, teneritudinem aetatis emendare, et ad temperamentum quoddam ducere: ſimul lactentes, minime quidem aetatis ratione, verum alimenti beneficio, de nativa caliditate aliquid remittere, et humectiores tenerioresque fieri. Olim etiam apud Ethnicos, in conviviis circumferebantur, laſere et aliis conditae. Sanguis in cibum formatus, ſanguiculus, teſte Plinio, dicitur. Formabatur et in cibum: Unde μίλας ζωμὸς apud Lacones: et Pollux αἱματίαν, obſonii genus exponit. Iecinora et pulmones quomodo coqui debeant, vide apud Apicium. Magni et in Medicina uſus. Ideo Plinius millia remediorum ex capra demonſtrari dixit. Democritus etiam effectus eius auget, qui ſingularis natus ſit. Carnes caprinae comitialibus in rogo hominis toſtae exhibentur, ut volunt apud Plinium Magi. Hircorum in aqua decoctis panos et apoſtemata diſcutiunt. Iure caprino cantharides expugnantur. Druſus Tribunus plebis *caprinum ſanguinem* bibiſſe dicitur, cum pallore et invidia veneni ſibi dati inſimulare Q. Cepionem inimicum vellet. Eodem maculas contractas ablui Marcellus ſcribit. Tormina inteſtinorum et alvi fluores ſiſtere in ſartagine frixum, apud Galenum et Dioſcoridem habemus. *Hircinus* abſceſſus calidos cito maturat: in cerato quodam podagrico apud Aetium admiſcetur: luſcioſos ſanat: herbis diureticis nutriti, aridus et tritus inque vino cum petroſelino ſumtus, calculoſis vehementer prodeſt. Quomodo et quando colligi debeat, apud Aldrovandum vide. Medicamentum hoc manus Dei vocatur. Paria ibidem ex Marcello, Fuchſio, et aliis invenies. Adamantem eo ſolvi et emolliri magni auctores, inter quos Scaliger et Iubertus prodidere. Si in ſanguine eodem et ſucco ſenecionis vitrum efferbuerit, aut maceratum fuerit, reddetur tam molle, quam eſt cera vel argilla, ut quidvis ex eo fingi poſſit: priſtinae naturae reſtitues, ſi aquae immerſeris. Hoc eſt Geberi, Alberti, et ingenioſi cuiusdam Bituricenſis vitrarii ſecretum, quod ille moriturus Antonio Mizaldo, ut ipſe memorat, ultro donavit. Idem cum aceto miſtus ſanguinis vomitui et exſcreationi prodeſt. *Serum* commode illis, qui mordicatione patiuntur, aut in recto inteſtino, aut in colo, iniicitur, quod ob craſſitiem citius concreſcat, ut Galenus docuit. Secundum Avicennam, magis reſolvit, quam caetera, cum melanthio, ſulphure, et iride, lentiginesque et maculas tollit. Cum adipe anſerino, Plinio

Galen de boni et mali ſucci cibis. c. 6.

Ludovic. Roman. l. 5. c. 10.

Bruier. de re cibaria l. 14. c. 17.

Iul. Alex. Salubr. l. 11. c. 7.

Vſus in Medicina.

Plin. H. N. l. 28. c. 10.

Plin. H. N. l. 28. c. 9.

Mizald. Memorab. cent 8. aphoriſ. 18.

nio teſte, ac medulla cervina, reſinaque et calce, labiorum fiſſuris efficax eſt. Cervix boum ſi intumuit, comperimus, inquit Columella, aureum eſſe medicamentum, ex pice liquida, et bubula medulla, et hircino ſevo, et vetere oleo, aequis ponderibus compoſitum atque incoctum. Cum calce ſtrumas diſcutit, teſte Plinio et Marcello, cum cera ulcera ſerpentia ſiſtit, addita pice et ſulphure percurat, manantia item verendorum cum melle rubique ſucco. Per ſe datus adeps, teſte Dioſcoride, cantharidum venenum obtundit. Magi, ut citat Plinius, commendant comitialibus cum felle taurino pari pondere decoctum, et in folliculos fellis reconditum, ita ne terram attingat, bibendum ſub limine ex aqua. Marcellus ptiſanam cum eodem coctam torminoſis in declinatione convenire vult, et apud Dioſcoridem habemus, caprinum adipem decoctum cum polenta, rhoe, et caſeo, dyſentericis dari, et cum ſucco ptiſanae infundi. Plinius denique in ſorbitione aliqua inteſtinorum vitiis magnopere prodeſſe aſſerit, ita uti protinus frigida aqua hauriatur. Idem remedium hydropicis Sextus Empiricus commendat. Canarii, ut refert Cadamuſtus, ſevo hircino coniuncto quarundam herbarum ſucco carnem inungunt, ut cutis facta inde denſior algorem ferat facilius. Nudi enim incedunt. Adhibetur et podagricis cum ſimo caprae et croco, ſinapive, cum caulibus hederae tritis, vel flore cucumeris ſilveſtris. Idem, pomatum ingreditur, ad fiſſuras labiorum commodiſſimum. *Medulla* poſt cervinam et vitulinam laudatur. *Iecur* aſſum caeliacis convenit, magisque, quam hirci, cum vino auſtero decoctum potumque, vel ex oleo myrrheo umbilico impoſitum. Idem ad nyctalopias facit, et illos, qui comitiali morbo ſunt obnoxii deprehendit, convulſionemque iisdem infert. Quin et ad canis rabidi morſum laudatur, quo impoſito, ne tentari quidem aquae metu affirmant. Hippocrates, ſi pariens inflata fuerit, hepar ovillum aut caprinum calido cinere obrutum, edendum, praecipit meracius ad dies quatuor, et vinum bibi vetus. Ex *felle* multa quoque apud Plinium inprimis ſunt remedia. Veneficiis ex muſtela ruſtica factis, contrarium eſt, cum cinere aluminis, ſcabiem abolet, ad porriginem cum creta cimolia et aceto facit, ita uti capilli paululum inareſcant. Idem lentigines tollit admixto caſeo et vivo ſulphure, ſpongiaeque cinere, ut mellis ſit craſſitudo: Strumas etiam diſcurit, ſi ſaepius incipientes ea tangantur. Superciliis impoſitum pilos abolet, nihil de angina et aurium vitiis dicam. Invenitur denique apud Dydidium, non fore in lecto cimices, ſi fel hirci aut tauri, aceto acri diluatur, indeque lectus aut parietes illinantur. De *Liene* hoc habemus. Calidum, id eſt, ut e pecude exemtus eſt, et ſuper lienem hominis impoſitum, mire intra paucos dies dolorem auferre, ſi poſtea ad fumum ſuſpendatur, ut illic areſcat. *Caput* cum pilis ſuis decoctum, et contritum inciſa inteſtina ſolidat. *Cerebrum* Magi per annulum traiectum aureum, priusquam lac detur infantibus, inſtillant contra comitiales, caeterosque infantium morbos. Aeſculapius cum melle carbunculos ſanare vult. Sextui vero aquam, quae e caprae palato effunditur, et quicquid comedit, ſi miſceatur cum melle et ſale, ex eo caput et corpus ſi fero fricetur, pediculos extinguere promittit, aitque idem remedium eſſe ad ventris dolorem. *Corii* cinis ex oleo illitus perniones mire abolet: ramenta cum pumice trita, acetoque permiſta, exanthematis proſunt. Siſtitur nimia in foemina ex naribus haemorrhagia, ſi mammillae eius corrigio caprino vinciantur. *Pili* uſti fluxus omnes ſanant: combuſti adiecta pice et aceto, naribusque inſerti, ſanguinem ſubito reprimunt. Accenſi ſerpentes fugant. *Cornu* combuſtum et mixta farina impoſitum,

Columella R. R. l. 6. c. 14.

Dioſcorid. M. M. l. 2. c. 94.

Cadamuſtus Navig c. 8.

Hippocrat. de natura muliebri.

tum, furfures ſcabiemque in capite emendat. In flamma uſtulati, cruſtae cum aceto ſcillitico tritae, commode igni ſacro adhibentur. Capiti infirmi ſuppoſitum, vigilias in ſomnum convertit. Alarum foetorem, raſum vel exuſtum, et cum felle hirci, myrrhaque miſtum, tollit, ſi eo perfricentur. Comitialem morbum deprehendit. Nidore ſuo lethargicos excitat, et uſtum ad albedinem dentes detergit. *Vngulas* ad ſerpentes prohibendos Palladius uri iubet, ſi cinis earundem ex aceto illinatur, alopecias ſanat. Eſt et *Lac Caprinum* in multis contra morbos remediis. Scio, inquit Plinius, Damocratem in valetudine Conſidiae M. Servilii conſularis filiae, omnem curationem auſteram recuſantis, diu efficaciter uſum lacte caprarum, quae lentiſco paſcebat. Vis ei inprimis alexiteria. Hauſtus cum uva taminia, contra ictus ſerpentum iuvat. Quod primum mulgetur, leviores facere in quartanis acceſſiones, ſive eſum ſive potum, Sextus Empiricus auctor eſt. Magorum vero quidam fimi hirundinum drachmam unam e lactis caprini vel ovilli vel paſſi, cyathis tribos adverſus quartanas ante acceſſiones dare ſolent. Eodem perunctae gingivae faciles dentitiones faciunt. Potum cum ſale et melle alvum ſolvit. Schiſtum, datur comitialibus, paralyticis, melancholicis, leproſis, elephantiacis, etc. Fervens adiecto polentae, quantum ſatis, ut pulticulae inſtar fiat, dyſenterico bibendum datur. Sanantur eodem et *Lienes*, poſt bidui inediam, tertia die hedera paſtis capris, per triduum poto ſine alio cibo. *Caſeus* recens morſibus animalium imponitur, ſiccus ex aceto et melle purgat ulcera, mollis cum melle ſubactus et impoſitus, pannoque aut linteo deſuper tectus, ſugillationes livoresque celeriter abſtergit. Recens coagulatus ſuper oculos poſitus, dolores cito lenit, ſi mulier cibos adverſans utero doleat, et febris ipſam ac rigor corripiat, Hippocrates pepli albi quintam, dimidiae choenicis partem, et ſeminis urticae tantundem, et caſei caprini raſi dimidiam choenicem, ſimul cum vino vetere miſcet, et ſorbenda propinat. Et alibi, ſi quid in utero cumputruerit, vel ſi ſanguis aut pus exeant, caſeum caprinum aſſatum vel raſum, vel ſimpliciter, cum aequali parte polentae miſcet, et in vino ieiuno propinat. Quantum ad *Coagulum*, Haedi contra paſtinacam et marinorum morſus, drachmae pondere ex vino ſumebatur. In profluvio ſanguinis bibebatur, et contra concretum lac aſſumebatur. Idem tertia parte ex aceto potum, ſanguinis excretiones reficit, magnitudine fabae, in vino myrtheo remiſſum, et ieiuno coeliaco datum, efficaciter prodeſt. Hippocrates quoque haedi coagulum adverſus alvi profluvium laudat. *Vrinam* quod concernit, ea cum aceto ſcillitico hauſta, contra ictus ſerpentum valet, apoſtemata, in quacunque parte diſcutit, opiſthotonon, auribus infuſa levat. Poeni paſtorales in filiis quadrimis, ut refert Herodotus, venas verticis lana ſuccida inurunt; nonnulli venas temporum, ne, ſcilicet, unquam pituita defluens ex capite officiat. Quod ſi pueris inurendis ſpaſmus contingat, urina hirci aſperſa eos liberant. Dioſcorides, eandem ad aquam, quae cutim ſubiit, cum nardi ſpica, quotidie binis cyathis, cum aqua bibi ſcribit, urinamque per alvum extrahi. Sextus, mulieri menſtrua provocare, ſi bibatur, credit. Omnium creberrimus uſus *Fimi*, Graeci σπυρά θυς proprie nominant, digerentis et acris facultatis adeo, ut induratis ſcirrhorum in modum tumoribus, congruat, non tantum lienis, ſed et aliarum partium. Uſtusque tenuioris quidem ſubſtantiae, verum haud manifeſte redditur acrior. Datus aliquando ex aceto ad viperarum morſus, ex vino ad auruginem, cum thure ad profluvium muliebre. Inquietos infantes, fimo iſto alligato panno, cohiberi tradit Plinius, maxime puellas. Luxatis cum melle illini-

Plin. H.N. l. 24. c. 7.

Hippocra. de Morbis muliebr.

Herodot. l. 4.

Galen. ſimpl. l. 10. c. 22.

illinitur. Ex aceto decoctus, ſtrumas diſcutit. Ex eodem ſubfervefactus, et illitus, ulcera quae ſerpunt, ſanat. Cum melle paratus et appoſitus cancroſos, et carbunculo ventris laborantes ſanat, et eosdem diſcutit. Ambuſta ſine cicatrice ſanat. Tritus et cum aceto ſcillitico miſtus, frontique applicitus, hemicraniam tollit. Cum eodem ſubactus ad craſſitudinem mellis articulorum contractiones relaxat, et tremulis prodeſt. Cum farina hordei et aceto impoſitus, maxime in duris et ruſticorum corporibus, remedium eſt iſchiadicis. Pillulae inter remedia menſium et ſecundinarum pellendarum apud Hippocratem. Hiſce adiicere libet, quod ipſemet hircus peſtilentiae tempore domi alatur, quaſi aedium vaſtitas, viroſo vapore, quem hircus exſpirat repleta, aditu auram venenatam repellat. Praeter haec, fiunt ex caprillis villis cilicia: ex pellibus indumenta, calcei, ſtragulae, utres, lagenae, rates, folles, vela, charta denique et ſcuticae: cornua hircina Pyrrhus criſtae loco capiti impoſuit. Locrenſes, quos Ozolos vocant, τραγίας καὶ χώδια, id eſt, ovium et hircorum pelles geſtabant, et plerumque inter caprarum greges verſabantur. Sardos quoque et Getulos caprarum pellibus amiciri conſueviſſe, auctor eſt Varro. In Cypro etiam Zambellotum e pilis caprarum conficitur, et Ioſephus Barbarus teſtatur, in Armenia minore prope Betolin et Iſſan fluvios, vel ideo magnam caprarum copiam ali, et quotannis tonderi. Aſſerit et Bellonius, ſelectiores Turcarum pannos, undulatos, ex pilis caprarum Ancyrae Cappadociae metropoli confici: ſed et tapetes, ex iisdem conſtare. De chartis quod dixi, illae, Pergami Troadis primum inventae fuere, et exinde nomen ſortitae ſunt. De *Differentiis* pauca occurrunt. Aegyptiae foetus quinos pariunt, quod foecundiſſimas Nili aquas bibant. In Phrygia hirci ſunt quadricornes, referente Scaligero, pilo admodum prolixo, aequante candorem nivis, quem vellunt ad textrinam, non autem tondent. Aegyptii apud Plutarchum, affirmant, capras ſuas, quoties cum ſole, eodem plane loco Syrius oritur, in ortum omnes converſas, eo reſpicere, atque hoc ſideris huius revolutionum argumentum certiſſimum eſſe. In *Aquilonaribus* terris, ſi Olao Magno credimus, hirci ſunt magno corpore, craſſis cruribus, plena et brevi cervice, auribus flexis, et depreſſis, capite parvo, ſpiſſo, longo, ac nitido collo, cornibus altis et latis. Fere omnes colore ſunt albo. Hyeme paſcuntur pinorum corticibus, muſco, et populeis virgis. Pelles maximis navigiis, quaeſtus et lucri cauſa, in Germaniam exportantur. *Caſpiae* caprae, ut Aelianus exponit, et albiſſimae ſunt et cornibus mutilae, et ad maximorum equorum magnitudinem accedunt. Eorum villi adeo molles, ut cum Mileſiis lanis comparentur, ex iisque Caſpiorum ſacerdotes, et ditiſſimi, veſtes confectas gerant. In *Cephalenia* caprae non bibunt quotidie, ſed adverſum ſibi ventum ore hiantes excipiunt. Ideo Theophraſtus ſex menſibus non bibere dixit. In Cilicia, referente Plinio, circaque Syrtes, villo tonſili reperiuntur. *Damaſceno*, ſupra palmum longas habent auriculas, ubera multiplicia, ſuntque admodum foecunda: Circumducuntur quadraginta vel quinquaginta ab eis quibus, lac eſt venale, et ubi lac emere volueris, in ſuperius devehuntur coenaculum, etiamſi triplex foret contignatio, ubi coram in vaſa ſtannea, lac emulgent. *Narbonenſes* auriculas latiores ſuis habere, Geſnerus audivit, ut quae ad dodrantem longitudinis accedant. *Illyricae*, ſi Alexandro Myndio credimus, ungulas quidem habent, ſed non bifidas. Aliquando ternos, quaternos aut quinos foetos edunt, et lactis ſesquicongium. Idem *Indicis* prope urbem Tarnaſuri, et Africanis ad promontorium capitis viridis contingit. Hircum ad Amboniam lacte

Ius varii.

Aelian. H. A. l. 17. c. 34.

Ariſtot. in Mirabilib.

Aelian. H. A. l. 3. c. 32.

Varro R. R. l. 2. c. 3.

Bellon. obſerv. l. 3. c. 13.

Differentiae.

ɛte ſuo parvos alentem haedos, ſe vidiſſe, Franciſcus Xaverius Ieſuita, corruptae illius de Chriſto et Petro hiſtoriae, quam Perſice conſcripſit auctor, teſtatur. Ubere enim, quod prope genitalia unicum habebat, tantum lactis reddebat quotidie, quantum ſcutella capere poteſt. *Mambrina* capra in regione Damiata fert equitantem, ſellam, fraenum, et caetera, quibus equi inſtrui ſolent: auriculas usque ad terram demiſſas habet, cornua deorſum revoluta ſub ore. Pharos inſula Aegaei maris, gignit capras cervis colore ſimiles, magnitudine maiores. Eſt autem eis cornu longum ad duodecim palmos, rectum et quod unum ſolum habet porrectum ſtipitem, ſi Surio credimus. In Sardinia ſcribit Nymphodorus, pelles caprarum tam mirifica vi eſſe, ut hiberno tempore calefaciant, aeſtivo refrigerent. Eaedem forte ſunt, quae Muſmones. In eadem hirci quidam celeritate omnes beſtias ſuperant. Ex monſtris, tricornis caprae imaginem hic exhibemus.

Xaverius Epiſt. 23.

ARTICULUS V.

De Capris ſilveſtribus in genere.

Aldrovan. Hiſt. biſule, c. 10.

De Capris ſilveſtribus in genere et in ſpecie agendum eſt. Illarum plurima apud Graecos occurrunt nomina. Αἴξ ἄγριος, nempe, αἰγόκερως, δορξ, δερκὰς, δορκαλὶς, δορκάδιον, πρέξ, πῆξ, βούβαλος, ἴξαλος, πύξὸς, κέμας, κόλος, τραγέλαφος. Αἴξ ἄγριος, capra fera Latinis eſt. Solinus tamen ſagittas dictamno herba extrahendi morem, qui ab Ariſtotele, Theophraſto, Cicerone, Virgilio, αἴξι ἀγρίοις ſimpliciter ita dictis tribuitur, ad illas adſtringere videtur, quae Cretam et Idam montem potiſſimum incolunt. Et, ſi Virgilio eſſet, fera capra, quae Ariſtoteli αἴξ ἄγριος, manifeſtiſſima inter utrumque contradictio eſſet. Cum hic feras capras in Africa eſſe neget, illi haberi oſtendat. Ideo per capras feras Virgilii, capreas exponit Servius, et Aldrovando videtur, ubi pro ſpecie ſumenda eſt, illam intelligi debere, quae domeſticae eſt ſimilior. Sane Varro, capras, quas alimus, a capris feris ortas dicit, ipſoque caprae ferae nomine, privatim uti videtur. Varino αἴξ ἄγριος, ἀγιάγρος, et Heſychiodicitur, quam tamen vocem Oppianus peculiari ſpeciei, illi ſcilicet, quae Tridentinis et circumvicinis populis Camozza vocatur, tribuit. Αἰγόκερως, capricornus eſt Latinis, quam vocem barbari, teſte Scaligero, caprae ſilveſtri impoſuere, et ſoli Suidae, genus eſt animalis. Δὸρξ et δορκὰς ſolo nomine differunt, etſi quidam apud Hermolaum animal diverſum eſſe opinentur. Alibi pro eo ζορξ legitur, interpres Strabonis Damam, Nicandri, Capream vertit. Damas etiam traducunt apud Oppianum Gillius et Bodinus ἰορκας, qui ἰορκες Heſychio. Dioſcorides tamen a Dorcade manifeſte diſtinguit. Cornarius rupicapram intelligit, quae cornua in dorſum aduncа habet. *Dorcadis* nomine Plinius ita utitur, tanquam ei nullum apud Latinos vocabulum reſpondeat, ſentitque capream capreolum et dorcadem, tria animalia, unum duntaxat animal denotare. Aldrovando ea vox nomine generis uſurpari poſſe videtur. Aliis, ut Ethymologo et Varino, cervinus pullus eſſe creditur, ſed male. Cordus a dorco ſexu differre exiſtimat. Scaliger per dorcadem capreolum, per dorcum capream intelligit. Ut ut ſit, παρὰ τὸ ὀξέως δέρκειν venit, quod acutius videat. Aſſerunt namque hi, Origenis apud Aldrovandum verba ſunt, quibus medicinae peritia eſt, ineſſe huic animali intra viſcera humorem quendam, qui caliginem oculorum depellat, et obtuſiores quoque viſus exacuat. Ideo Ethymologo ζῶον ὀξυδερκὲς καὶ ἰνόμματον dicitur. Invenitur et δόρκον in Canticis Canticorum, quae tamen

Oppian. Cyneg. l. 2, v. 343.

vox,

vox, auctore Myrtilo apud Athaeneum, parum usitata est. Videtur omnem capram silvestrem significare. Δορκαλίδες apud Oppianum brevem habent caudam. Gillius cervos transtulit, sed perperam. Ab istis namque apud eundem distinguitur. πρόκες Varino sunt ἴκγοια, ἐλάφων, ἢ δορκάδων εἶδος. At Aristoteles, dum dicit, fel nec cervum, nec πρίκας habere, et sanguinem ubi effluxerit concrescere omnium, praeterquam ἐλάφου καὶ προκὸς, ab invicem distinguit. Gaza Damam vertit. Nomen a celeritate, ἀπὸ τοῦ πρίξεσθαι Grammatici sumunt. πῆλὼξ a quibusdam et lepus et dorcas exponitur, cervus item et νεβρὸς, quae omnia animalia sunt timidissima. Sed et πῆλὼξ idem est, quod πῆλαξ timidus, seu pavidus, quo sensu Homerus πῆλῶκα λαγωὸν, dixit. κεμὰς apud Hesychium exponitur, vel hinnulus, vel cervus, vel dorcas. Ex caprearum genere esse, negat Scaliger. Sunt, inquit, in cervis, ut in bobus iunix et iuvencus. Aeliano specie a cervo differunt. *Turbinis*, inquit, *instar celerrimi fertur, flavis pilis spectatur. Cauda est albissima, tum ex albenti eius oculi cyaneo colore tincti videntur, aures peraltis pilis refertae, neque modo in terra pedum celeritatem ostendit, sed etiam cum in fluvii confluentem inciderit, Vngulis pedum remigans, fluctus perrumpit, et vero in lacubus natare gaudet, unde sibi pastum comparat. Virides iuncos et Cyperum depascitur.* Νεβρὸν hinnulum interpretantur, Cordus, Marcellus et alii. Aldrovandus peculiarem quandam caprae speciem hoc nomine indigitari, apud Dioscoridem, scribit. Nam Varinus et Ethymologus πρόκα νεβρὸν quoque dici produnt. Marius Grapaldus damam reddidit: Solinus etiam Damam esse ostendit, dum scribit: *Nebrodi damarum copia nomen dedit, quem damae et hinnuli gregatim pervagantur, inde Nebrodes dicti.* Κέλος ex Scythicae et Sarmaticae gentis capris silvestribus censetur. Magnitudine est inter cervum et arietem, albicante corpore, eximiae super hos levitatis ad cursum, naribus potans trahit ad caput. Hinc postmodum complures dies servans adeo, ut per carentes aquis agros facile pabulum carpat. *Capreae* vox apud Latinos, saepe pro omni capra sumi videtur. *Rupicapra*, etsi in silvestribus species est Plinio, ratio tamen nominis postulat, ut generis etiam vicem subeat, quando quidem per summas versari rupes, non illi tantum, cui cornua in dorsum adunca, convenit. Delectantur in universum excelsis montibus, et tam in sublimi habitant, ut vix humanis obtutibus pateant. Quod si aliquando ferarum vel hominum adversitatem persensere, de altissimis saxorum cacuminibus sese praecipitantes, in suis se cornibus illaesas suscipiunt. Plurima inter mares discordia propter foeminas, tempore libidinis. Domesticis, omnium consensu, saporis alimentique bonitate, constitutionis tenuitate, concoctionis facilitate, excrementorumque paucitate praeferuntur. Sicciores tamen paulo carnes habent Ideo inventum Arabum oleo eas incoquere, ut inde humescant. Diocles tamen, Archidamus, et Galenus, quod in oleo coquitur siccum evadere, et glutinis vinculo amisso, solutile fieri censent, ψάθυρον nempe et καῦρον. *Vsum in Medicina* quod spectat, Capreae in cibo sumtae dysentericis prosunt. *Iecur* seu inassatum, seu tritum coeliacis opitulatur: Vapor in aqua calida salsa cocti, oculis exceptus, nyctalopas iuvat. Combustum et aspersum sanguinem sistit, maxime si contritum naribus indatur. Sanguis cum palma marina teste Plinio pilos detrahit, secundum Marcellum, abscessus maturat. *Fel* theriaca est morsibus venenosis. Idem contra suffusiones incipientes, oculorum caligines, genarum et palpebrarum scabricias, facit. Cum rosaceo aut succo porri, tritum, et tepidum naribus instillatum, tinnitum tollit. Cum melle Attico faucium dolores levat, et veretri exulcerationem sanat. *Fimus* aridus, tritus et cribratus, ex vino odorifero cyathi mensura sumtus, auruginem tollit, si Galeno credimus.

Aelian. H. A. l. 14. c. 14.

Strabo Geogr. l. 7.

ARTICULUS VI.

De Capris ſilveſtribus in ſpecie.

PUNCTUM I.

De Rupicapra et Dama.

Caprarum ſilveſtrium ſpecies ſunt, *Rupicapra*, *Dama*, *Ibex*, *Bubalis*, *Pygargus*, *Capra ſtrepſiceros*, *Dama vulgaris*, *Capra Moſchi*, *Capra Bezoardica*, *Subak Scytharum*, *Oryx*, *et Capra auribus demiſſis*. *Rupicapra* Dioſcoridi Dorcos, Oppiano αἰγαγρος ſeu αἰγαγρος, Varroni Caprea, niſi fallor, dicitur. Magnitudo ei, quae caprae villaticae, paulo tantum altior, et corporis forma feris altis ſimilior. Bellonius minorem dama facit. *Colore* eſt inter fuſcum et rufum, qui aeſtate magis ad rufum, hieme magis ad fuſcum vergit. Ac Scaliger aeſtate pilo fulvo, hieme cinereo eſſe dixit. Geſnerus partim albam partim nigram, diſtinctis coloribus vidit, ſed et albae totae interdum, quamvis rariſſime, conſpiciuntur. *Oculos* habet rubros, *aures* arietinis longiores, colore gilvo, atramque lineam utrinque recta a cornuum radice ſupra oculos ad extremum os ductam, et in labra ſuperiora deſinentem. *Frontem* veluti ſtella inſignit. *Caudae* ſuperior pars piloſa, nigra, et rotunda, ut dorcadis longa. *Cornua* ei nigricant, novem aut decem digitos longa, multis nodoſis circulis exaſperata, minoribus paulatim, in unco nullis, quin levis et acutus eſt hami inſtar. Paralella fere, id eſt, aequis undique intervallis ſurgunt, ſolida, ab initio tantum pollicis circiter menſura cava, et teretia magis, quam domeſticis. Aiunt, inquit loco citato Scaliger, mucronibus cornuum, id quod capras quoque facere videmus, tergum ſcabere. Ex ea ſcalpturitione, quae pernicies evenerit, operae pretium eſt cognoſcere. Creditum eſt tanta illas illo in pruritu perfundi voluptate, ut extremum cornu faſtigium in corium eo usque adigatur, unde retrahi nequeat. Quo circa ex altiſſimis ruere locis, atque affligi, aut a venatoribus forte deprehenſas, proculve obſervatas capi, aut fame interire. Rupes montium colunt, non ſummas tamen, ut ibex, neque tam alte et longe ſaliunt, deſcendunt aliquando ad inferiora Alpium iuga. Conveniunt ſaepe circa petras quasdam arenoſas, et inde arenam, ut caprae ſal lingunt, quo linguae inertem pituitam defricent, et appetitum excitent. Cum in venatione urgentur, altius ſemper aſcendunt, donec nullus ad eas canibus pateat acceſſus, deinde cum venatores per ſaxa manibus pedibusque ſequi vident, de ſaxo in ſaxum tranſiliunt, ac montium cacumina petunt, donec nulla ſcandendi reliqua ſit facultas. Illic ſe cornibus retinent, et quaſi ſuſpendunt. Sic vel bombardis feriuntur, vel in praeceps pelluntur, vel fame pereunt. Mox a Divi Iacobi die frigidiores montium clivos petunt, ut paulatim frigori aſſueſcant. Caprae, aliquando cicurantur. Ex pellibus fiunt chirotecae equitantibus. Ubi errabundae quaerunt novas ſedes, aut paſcua perſpecta proxima rupe, proiecto pede, ſaepe periclitantur eius fidem, nempe, mobilis ne ſit, an lubrica. Illud feſtivum, addit Scaliger, in aula patrui Bonifacii, vidimus cicures aſſilire ad aulae pendentia, in quibus ſimiles eſſent intextae ferae. Quantum ad *Vſum*, caro eſt ſiccior, et melancholici humoris parens, odoris ſilvatici. Venatores ex recenti ſanguine ſcaturientem, tanquam inſigne vertiginis remedium ſorbent. Apud Plinium legi-

Aldrov. Hiſt. Biſulc. c. 11.

Scalig Exercit. 207.

Bellon. obſ. l. 1. c. 54.

legimus ſevi cyatho, et lactis pari menſura deploratum phthiſicum convaluiſſe. Iconem duplicem hic exhibemus, Rupicaprae nempe, et Capri montani. *Dama* duplex eſt, Una veterum, de qua hic, altera vulgaris ſive recentiorum, Graecis πλατύκερος dicta, quam Gaza forte intelligit, cum πρόκα apud Ariſtotelem damam vertit. Plinius caprarum ſilveſtrium generibus, quae transmarini ſitus mittunt, annumerat. Forte Dioſcoridi et Nicandro, de coagulo agentibus πρὸς appellatur: Grapaldus etiam πρόκον damam reddidit. Animal eſt caprae magnitudine et colore dorcadis. Ovidius fulvo tergore damas vertit. Famoſa eſt inprimis earum timiditas. Ideo raro manſueſcere Plinius tradit. Cornibus tanquam unco prominentes rupes apprehendunt, neque aliter inacceſſas montium verrucas ſuperant.

PUNCTUM II.

De Ibice.

Aldrov. Hiſt. biſula c. 13.

Dioſcorides in capite de coagulo huius caprae non meminit, et vix forte aliquis eſt ex veteribus, qui meminerit, Homero excepto, qui ἰξάλιον αἶγα vocat. Eſſe vero eam, quam Germani Steinbock vocant, omnes docti uno ore teſtantur. Plinius totam hiſtoriam breviſſime complexus eſt, dum inquit: Ex caprarum ſilveſtrium genere ſunt etiam ibices in Alpibus pernicitatis mirandae, quanquam onerato capite vaſtis cornibus, gladiorumque vaginis, in haec ſe librant, ut tormento aliquo rotati in petras, potiſſimumque e monte aliquo in alium tranſilire quaerentes, atque receſſu pernicius, quo libuerint, exultant. Egregium eſt animal et corpulentum, ſpecie fere cervina, minus tamen, cruribus quidem gracilibus, et capite parvo cervum exprimit. Color *pellis* fuſcus eſt. Senectute caneſcunt, et ſecundum dorſi longitudinem nigram lineam excurrentem habent. *Oculi* ſplendidi et pulcri. *Vngulae* biſulcae et acutae. Foemina in hoc genere mare minor eſt minusque fuſca, maior capra villatica, rupicaprae non adeo diſſimilis. Mares prolixam nigricantem barbam geſtant, quod nulli, ut Bellonius tradit, alteri animali cervinis pilis praedito accidit, praeterquam forte hippelapho. Magni ponderis cornua ei reclinantur ad dorſum, aſpera et nodoſa, eoque magis, quo grandior aetas proceſſerit. Augentur enim quotannis, donec iam vetulis tandem nodi circiter viginti increverint. Bina cornua ultimi incrementi ad pondus ſedecim aut octodecim librarum accedunt. Bellonius quaternos cubitos longa vidit. Tot autem transverſos nodos ſeu radios habent, quot annis animal natum eſt. De pernicitate aliquid ex Plinio diximus. Nulla certe montium rupes tam alta edita aut praeceps eſt, quam non ſaltibus aliquot ſuperet, ſi modo aſpera ſit, et ſpatia tanta promineant, quanta ſalientis ungulas excipere poſſit. Bellonius ex ſcopulo uno in alium ſex etiam paſſuum intervallo diſtantem, deſilire ſolere ſcripſit. Dum cadit ex alto, totum corpus inter cornua a colliſione protegit, et ictus lapidum magnorum cornibus excipit. De Venatione Aldrovandum conſule. Duo earum genera Bellonius dari prodit in Creta, id ſe ex earum cornibus inde et Cypro delatis didiciſſe, addens. Deprehenſae libero capacique curſus loco in venatorem irruunt, eosque de rupe deiiciunt. Cum impetendi locus non eſt, deſpondent animum et facile cedunt.

Plin. H.N. l. 8. c. 53.

Bellon. obſ. l. 1. c. 13.

Eiusdem generis eſt illa fera Lybica, quam Aelianus ita deſcribit: Caprae ferae ad ſummos Lybicorum montium vertices commorantur, ad boum magnitudinem accedunt, ipſarum armi et crura luxurioſis pilis fluunt, tibiis parvis, frontibus rotundis, oculis raris et concavis, non valde proiectis ſunt, cornibus poſt primum exortum utriusque ab alteris longe diverſis, et aberrantibus et incurvis. Non enim ſimpliciter ac aliarum caprarum recta exiſtunt, ſed eatenus retorquentur, ut ad armos pertingant. Ex capris longe maxime ad ſaliendum habilitate ſunt. Nam ex cacumine, in aliud longe diſtans cacumen tranſiliunt: et tametſi ſaepe earum quaepiam, dum ex uno vertice in alterum ſaltare contendit, ob nimiam intervallorum diſtantiam, per praerupta ſaxa praeceps agitur, nihil tamen laeditur. Sic eſt adverſus ſaxorum duritiem, membrorum reſiſtente firmitate, ut nec cornua frangat, nec caput diminuat. In ſummis montibus plurimas ſolertia quadam captandi caprarii generis, nimirum, vel iaculis, vel retibus, vel laqueis, a doctrina artis venaticae inſtructi comprehendunt. Iam in patentium camporum aequoribus, quilibet vel tardus pedibus eas, quod ibidem non valeant capere poſſit. Earum pellis et cornua aliquot commoditates habent. Nam in frigidis tempeſtatibus ad frigorum vim, atque hiemem excipiendam, paſtoribus et fabris materiariis pelles mirifice proſunt. Cornua ad haurien-

Aelian. H. A. l. 41. c. 16.

dum de praeterfluentium rivorum confluentibus, aut e fontibus potionem, ad depellendam ſitim, non minori uſui habentur, quam vel calices ipſi. Tanta enim capacitate ſunt, ut in bibendo reſpirare ſit neceſſe. Ab homine expoliendi bene perito cornu politum, tres menſuras capere poteſt. Habet *in Medicina uſum.* Coagulum easdem cum leporino vires habet, ut tradit Serapio. Sanguis ad calculum in vino apiato apud Geſnerum commendatur. Iſchiadicis et arthriticis unicum remedium, ſic Marcellus Empiricus componit. Fimum ibi cum luna decima ſeptima colliges; quanquam et alia vetere luna collectum, ſi res urgebit, ſimili efficacia proſit, dummodo medicamentum decima ſeptima luna componatur. Ex eo ergo fimo, quantum unius manus pugno pleno potueris comprehendere, dummodo impar ſit numerus pillularum, in mortarium mittes, atque adiicies piperis grana viginti quinque diligentiſſime trita, tunc addes mellis optimi heminam, et vini veterrimi optimi ſextarios duos, et contritis prius pillulis univerſa miſcebis, et repones in vaſculo vitreo. Sed ut maior ſit medicaminis efficacia, luna decima ſeptima id facere debebis, et cum daturus fueris remedium, a die Iovis incipe, et per dies ſeptem continuos dato, ita, ut qui remediandus eſt, ſtans, in ſcabello contra Orientem bibat. Haec Marcellus, quae mere ſunt nugacia.

PUNCTUM III.

De Bubalo ſive Bubalide, et Pygargo.

De Bubidale haec Aldrovandus habet. Arbitrabar, inquit, alias, bubalum ſpecie differre a Bubalide, deceptus nimirum etc. Vide Aldrov. pag. 303. uſque ad finem, quam bobus eſſe ibi etiam iudicabam. Quantum ad *Naturam*, domeſticam ſedem mirifice amplectitur. In alienum deductus locum, et ad paſcua demiſſus veterem repetit. In metu, occulto capite, latere ſe putat

Aldrov. Hiſt. Biſulc. c. 14.

putat, ut ſtruthiocamelus. Belluas feroces pugnaceſque fugit. Sanguis aliquantulo magis ſpiſſatur, quam leporis et cervi, quippe qui proxime ovillo, aut paulo minus conſiſtat. Placet et de *Pygargo* Aldrovandi verbis agere. Pygargon, verba eius ſunt, Plinius, in praecitatis verbis etc. p. 304. a. uſque ad finem frequenter ſilvoſa et deſerta. Aldrov. Hiſt. Biſulc. c. 15.

PUNCTUM IV.

De Caprea Plinii, Capra Strepſicerote et Dama vulgari.

Aldrovan. H. Biſulcis c. 16. *Caprea* Plinii, Capreolus noſter eſt, quem Germani Reh vocant. Cervis eſt colore non diſſimilis, ſed mole corporis longe inferior, qui vix capram aequat. Mas cornua in capite gerit ſenis plerumque ramis diſtincta. Fuit, qui decem et ſeptem haberet cornua, cuius icon Aldrovando a Duce Bavariae miſſus erat. Plinius de iis ita: Dedit ramoſa capreis, ſed parva, et fecit decidua. Viſu eſt acuto, voce exili, dentes non mutat. Virgilius maculis diſtinctum oſtendit. Servius ſparſos albo exponit, qui habent adhuc maculas a prima aetate venientes. Acceſſu enim temporis, inquit, mutant colorem, et eorum maculae gratiae minoris eſſe incipiunt. Multae in regionibus Helvetiorum Alpinis capiuntur. Humiliora tamen loca amant, quam Ibex vel rupicapra. Foemina ſi maritus capiatur, alium quaerit, eumque ſecum ad priſtinae habitationis locum adducit. Foemina vero capta, maritus alio diſcedit, et aliam ſequitur coniugem. Cornibus vel uti neſciunt, vel non audent. Cum perdicibus amicitiam colunt, et in iisdem locis paſcuntur. Flantem ventum petere currendo Belliſarius ait, ut refrigerari ſpiritus curſu laborantes poſſint. Parem illis et apris alimenti bonitatem Iulius Alexandrinus poſuit, niſi quod illius caro ſit concoqui facilior, et citius fugiens. Huc pertinent Capreae Braſilienſes, quae duplices *Cagua-cuete* nempe, et *Cagua cuapara*. Illae ſunt noſtris capreis fere ſimiles. *Caput* ſeptem digitos circiter longum, *oculis* magnis, et nigris, *naribus* longis et patentibus, *ore* nigro, *cute* ſplendente, *auribus* quatuor digitos longis, duos et ſemis latis, *venis* conſpicuis, *collo* rotundo et magis glabro pilis, quam in reliquo corpore, eſtque longitudo colli circiter quinque digitorum et ſemis. Corporis longitudo a colli exortu ad initium caudae duorum pedum. *Cauda* brevis, ut capreis eſſe ſolet. *Crura* quatuor, priora pedem, poſteriora ſeſquipedem longa, *pes* quilibet duas habet ungulas nigras, et ſupra has duas minores ſupra ſe invicem poſitas. Pilis veſtitur glabris, qui in toto corpore, cruribus et pedibus rufeſcunt, in collo et capite fuſci, ſub gutture et inferiori collo albi. *Cauda* quoque inferius eſt alba. *Aures* interius albeſcunt, exterius ſunt fuſci et fere carent pilis. *Os* inferius, longius paulo, quam ſuperius. Ruminat cibum. Manſueſcit facile. Quando unius aut duorum menſium aetatem habet, totum corpus maculis albis eleganter eſt variegatum, quae ſucceſſu temporis evaneſcunt. *Cuguacu-apara* Braſilienſibus, caprea eſt cum cornibus, paulo maior ſuperiore, at eiusdem coloris. Cornua tria brachia ſeu digitos habent, nimirum infernum brachium, quod longum, et apicem bifidum. Thyrſus ſeu ſcapus pollicem humanum eſt craſſus et octo vel novem digitos Rhynlandicos longus. De *Capra Strepſicerote* ita Aldrovandus. Plinius inter ſilveſtres capreas, quas transmarini ſitus mittunt, Strepſicerotes etc. pag. 305. uſque ad finem. Cretenſis imaginem ex Bellonio. *Dama vulgaris*, deſcribente Bellonio, corpore quidem cervum refert, et capreolo maior eſt, ſed colore differt.

Virgil. Eclog. 2.

Marcgr. Hiſt. Braſ. l. 6. c. 10.

Aldrov. H. Biſ. c. 17.

fert. Dama minus caput habet cervo. Cornua etiam illi omni anno decidua, ut cervo, quae antrorſum protenſa habet praeter aliorum conſuetudinem. Gilvam habet dorſi ſpinam, atramque lineam, ſecundum dorſi longitudinem excurrentem. Cauda longa eſt ad poplites uſque dependens, uti vitulo. Saepe accidit, ut eius latera candidis maculis aſperſa ſint, quae vetuſtate pereunt. Accidit etiam ſaepe numero, ut foeminae omnino albae ſint, ſic, ut caprae exiſtimari poſſint, niſi pilum admodum brevem haberent. Oſtenduntur eius cornua ingentis magnitudinis variis in locis, qualia ſunt, ea, quae in gradibus et aſcenſu Amboſianae arcis conſpiciuntur. Caro cum capreolis fere in qualitatibus convenit, ſanguinem tamen ad atram bilem tendentem aliquo modo efficit. Aliquando vervecis in morem pinguis eſt. Fimus cum oleo myrtino praeparatus, capillos augere dicitur. Belloni obſ. l. 1 c. 54.

PUNCTUM V.

De Capra Moſchi.

Aldrovan. Hiſt. biſulc. c. 19.

De Capra Moſchi ex veteribus ſoli Arabes ſcripſere. Recentiores Graeci, ut Aetius et Paulus Aegineta, ſi quid habent, ex iisdem ſumſere. Sive autem hanc feram, dorcadem capreamve, aut gazellam Indicam peregrinam aut orientalem appelles, aut dorcadem moſchi, vel ſimpliciter, animam moſchi, parum, inquit Geſnerus, intereſt. Aldrovandus Capram moſchi vocat. Iſidorus et Albertus forte a moſcho, qui vulgo muſcus, mus quilibet. Volaterrano eſt mus muſcus, quem ex Arabia et Aethiopia venire tradit. A Divo Hieronymo ad Demetriadem, peregrini muris pellicula inter odoramenta, quibus delicatiores diffluunt, numeratur. Alii moſchum ſignificari arbitrantur: Hermolaus animal, ex quo Zibethum: Geſnerus folliculum animalis moſchi, in quo hoc odoramentum colligitur. In deſcriptione variant auctores, etſi non deſint, qui ex autopſia delineent. Conveniunt tamen, quod ex caprarum ſive gazellarum genere eſſe ſtatuant etc. Vide p. 307. a. uſque, alioqui recta ſunt. Ferunt odoratis paſci, ac potiſſimum nardo, unde etiam moſcho, id eſt, ſanguini circa umbilicum collecto, odor concilietur. Propter inſignium velocitatem raro vivae capiuntur. Morſu in perſequentes ſaevire, Alexander Benedictus prodidit, qui etiam manſueſcere exemtis dentibus longioribus, addit. In provincia Thebet eas canibus venantur. In China, etiam Perſia, Africa, et Aegypto reperiri, quidam prodidere. Caeterum odoramentum illud, quod haec gazella fert, barbaris *muſcus*, Latinis *moſchus* dicitur. Appellationis inde forte ſumta ratio, quod plantarum muſci, quarundam praecipue arborum, ut cedri et populi albae, ad varia odoramenta et conſpiſſanda unguenta, apud antiquos uſus eſſet. Alciatus muſcum Arabem vocavit. Graecis dicitur μόσχος, vel quod illi, μόσχους, μοσχίδια et μοσχίνματα, novos tenerioreſque in plantis ſtolones vocent, quorum ſimilitudine in animalibus, quae moſchum ferunt, novi, odoramento illo pleni naſcuntur folliculi, vel quod animalia illa, media inter capream et vitulam natura et magnitudine, fulvoque vitularum colore videntur, quas Graeci etiam μόσχους et μοσχάρια appellent, vel quod moſchi folliculus, a vaſculis ceparum ſemen in ſummo caule ſervantibus, quae Graecis μόσχια figura non longe abſit, vel denique, ut Ethymologo placet, quod e medio umbilico ſcilicet animalis fundatur, quod Graecis eſt, ἐκ μέσου χεῖσθαι. Taceo poſſe derivari, vel a verbo μῶ, quod ab omnibus requiratur, vel ab ὄζω oleo, praepoſita μ litera, vel a privatione foetoris, κατὰ στέρησιν τῆς δυσοδίας. ὄζω enim et bene

et

et male olere ſignificat. De *ortu* ipſius non omnes eodem modo referunt. Simeon Sethi, utor Aldrovandi verbis, moſchum omnem fundi aſſerit, etc. Vide pag. 307. b. uſque, ſic Fuchſius. In *Electione* haud etiam conſona ſcribunt auctores. Plateario omnino niger non probatur, laudatur, qui ad ſpicae nardi colorem accedit. Braſavolo odoratiſſimus eſt ſubniger, ex Cathaia allatus. Sunt, qui Tumbaſcinum propter pabuli copiam anteponunt, qui in folliculo matureſcit, praeſtantioreo, qui in aere ſuſpenditur. Teſtis enim Braſavolus, immaturum, etſi animali adhaerentem, grave olere. Abenſinnae, moſchus melior Antebius vel Aſciltios, deinde lurgius, poſtea Indus marinus. Ellu-chaſim in Tacuinis folliculos continentes moſchum Cubit eſſe ſcribit, ſubtili ex veſicula et moſcho: Gergeri eſſe folliculos his contrarios, qui moſchus minus eſt ſubtilis, et minus aromaticus: Moſchus Charum medio inter hos loco: Salmindi vero deterior. De probatione ita Aldrovandus. An moſchus legitimus etc. Vide p. 308. b. uſque, adulterati notam eſſe. Adulteratur multis modis, praecipue niger, et ad ſubrufum colorem tendens, admixto pauco ſanguine hircino modice aſſo, ita, ut tres vel quatuor partes ex iſtis contritis, ad unam moſchi admiſceantur. Sed panis aſſus friabilem reddit; ſanguis hircinus cum frangitur, lucidus eſt et clarus interius. Saraceni ſaepe cum folliculis vendunt, quos adulterato inferſere. Alexander Benedictus iecore haedino arefacto, et avis cuiusdam fimo vitiari ſcribit. Radice Angelicae a quibusdam, prodente Geſnero augetur, qui etiam factitium deſcribit. Odorem, ſi aliquid aromaticum addideris, amittet. At ſi in vaſe vitreo denſo et cera oblito aſſerves, retinebit. Recuperabit amiſſum, ſi in olla aperta in cloaca ſuſpenderis. Quantum *ad Vſum*, in aſſignatione temperamenti, auctores variant. Averroes calefacere et ſiccare in fine ſecundi ſcribit, Sethi in tertio. Tenuiſſimarum eſſe partium apud omnes in confeſſo. Mercurialis naribus appoſitum ſanguinem prolicere tradit, et ne idem aſſumtus faciat, metuit, quod vaſa aperire videatur. De caetero, in reſtauratione virium, tremore, ſyncope, flatibus, caput-purgiis, pilis odoriteris, ſuffumigiis, ſmegmate, tragematis oris, et unguentis moſcatis, vehementer adhibetur. Quibusdam tamen mulieribus uteri ſuffocationem adfert, quod Venetis et Septentrionalioribus, ſi Olao Magno credimus, contingere ſolet.

Aldrov. H. Biſ. c. 20.

Vſus.

Olaus Magnus l. 16. c. 13. 14.

PUNCTUM VI.

De Capra ſive Hirco Bezoartico, vel potius Pazahartico, et aliis.

Aldrovan. H. Biſulcis c. 21.

Diverſi diverſa circa deſcriptionem Caprae Bezoarticae proferunt. Bellunenſis negare illam videtur, dum lapidem Bezoar nuncupatum, in ſuis erui venis, ex Thiphaſi Arabe prodit. Arabes in cervis eum naſci credidere. Monardus teſtimonio eorum, qui ex illa regione, ubi Bezoarticum animal reperitur, rediere, conſtare ait, cervi eſſe magnitudine, eiusdemque quodammodo forma etc. Vide Aldrovand. pag. 311. b. uſque, in Arabia ex capris quibusdam hunc lapidem extraxiſſe. At *Bontio*, caprae iſtae non valde abſimiles ſunt capris Europaeis, niſi quod habeant erecta ac longiora cornua, ac quaedam ex iis verſicolore ſint pelle, ut tvgrides, pulcro aſpectu, quales duas, inquit, hic in arce Batavia quotidie videmus. Prout magnum aut parvum lapidem gerunt, eo moleſtius vel citius incedunt, quod aſtutiſſimis Armeniis et Perſis bene notum eſt. Idem addit, herba quadam croco ac hermodactylis perſimili veſci, ex eiusque eſu lapides in ventriculis

Bontius Med. Indor p. 46.

culis concreſcere. Inde factum, Teixera prodente, ut cum inſula quaedam, inter continentem Chormandel et Ceylon inſulam, a Luſitanis Isle de vaccas vocata, horribili inundatione ſubmerſa eſſet, ut caprae ſervatae neceſſario alio transferri debuerint; herba illa deſtitutae, nullos protulerint lapides, inſula vero ſalſugine liberata, reductae, eosdem produxerint iterum. Tam vero capris his moleſti ſunt, quam hominibus calculi veſicae et renum. Unde colligere licet, vana illa eſſe, quae ſeu Monardes, qui in inteſtinis, ſeu Fragoſus, qui in renibus, ſeu Moſes Aegyptius, qui in veſicula fellea naſci produnt, ſcripſere, de quibus Aldrovandum ſi placet, conſule. Nam iſtius lapidis quidam Paſan eſſe volunt, alii Balſaar: at Bontius Pazaher, id eſt, contra venena, quaſi Antidotum, vocari tradit. Naſcitur praecipue in Perſia, in loco quodam Stabanon dicto, trium dierum itinere ſupra Laram, ubi Reges Perſarum vigiles locare ſolent, ut omnes lapides, qui certum pondus excedunt, ſibi vindicent. De *formarum diverſitate*, ita Aldrovandus. Obſervandum itidem magnam eſſe horum nativorum lapidum diverſitatem, etc. Vide Aldrovand. pag. 312. b. usque. alii tamen pretioſiores atque efficaciores habentur. Confici ex maſſa quadam adulterinos, Monardes ex relatione Guidonis de Lavaretis prodit: genuinos, qui ex laminis ſeu corticibus ſe invicem amplectentibus conſtant, illisque adeo ſplendentibus, ut politae videantur, intus pulverem habere. Garcias paleam vocat. At Bontius genuinum eſſe credit, qui, ſi pauca calce fricetur, colorem puniceum oſtendit, ſi in pelvim aqua repletam coniectus, et ibidem per duas aut tres horas relictus, idem prout antehac pondus retinet; adulterinum, qui calce fricatus rimam ducit, aut aqua exemtus, pondus vel remittit, vel auget. De *Viribus*, plurima a Serapione, Monarde, et Garzia ab Horto ſcribuntur, nempe, nudae parti corporis applicatum, facere, ne a veneno offendaris: pulverem morſibus animantium inſperſum, eosdem ſanare, ipſis feris iniectum, torpidas reddere, viperas, iniectum cum aliquo liquore, enecare. Omnem denique in venenis ſopiendis et febribus malignis expugnandis, inanem curam, niſi et hunc adhibueris, recitatque Monardes aliquot eorum exempla, qui ipſius beneficio ex faucibus Orci erepti ſunt. Iuvat et melancholicos, quartanarios, ſyncopticos, epilepticos, vertiginoſos, calculoſos, lumbricis laborantes, et alios. Sed magis mulieribus, quam viris prodeſſe obſervatum. Sunt in India, qui ſe eius uſu reiuveneſcere poſſe, ſomniant. De quibus Monardem in peculiari tractatu conſule. At Bontius, non tantas in eo vires, ſe mille experimentis inveniſſe ſcribit. Corollarii loco ex eodem addo, lapides Pa-zahar in ventriculis ſimiores natos, qui teretes ſunt, et longitudinem digiti aliquando excedunt, inter praeſtantiſſimos haberi. Ad Hircum Pazaarticum referri poteſt *Vicuna*, et *Taruga*, de quibus ita Nierembergius. Sunt apud Peruanos quaedam perniciſſima animalia, quae *Vicunas* vocant. Quidam putavere, ab Ariſtotele et Plinio capras dici, ſed ignotas priſcis Vicunas cenſeo cum Acoſta. Cornutum illi animal ſic vocarunt, vicuna cornu exermis, caetera licet ſimilis ſilveſtri caprae, cuius et fortaſſe genus eſt. Nec obeſt inopia cornuum, namque et canes cornuti alicubi feruntur, cum communes exornes ſint. Gaudet montanis et rupibus, frigus et deſerta amat, gelu et nive videtur recreari, ſocietate et grege delectatur. Ad obvios quoque fugax. In fuga praemittit ſobolem, cuius parca eſt. Capitur celebri venatione. Coeunt uſque ad tria millia barbarorum, circumdant montem, ſic paulatim cogunt in unam ſedem feras, aliquando plus quam trecentas, remittunt ad prolem feminas. Aliter capiuntur, cum ad conveniens intervallum accedunt, coniectis ad pedem funibus plumbo innexo

Monard. de lapide Bezoar.

Nieremb. H.E.l. 9. c. 59.

innexo extremitati, quibus impeditur curſus. Tondent illas ad ſtragula. Lana earum ſubtilis et delicata inſtar ſericorum. Pertinacis coloris eſt, quippe nativi, nulla tinctura opus habet. In aeſtu recreat, uvat renum inflammationes, quamobrem culcitras ex ea inferciunt. Dicitur mitigare etiam podagram. Caro haud iucunda, nihilominus Indis edulis. De ſalubritate Ioſephus Acoſta narrat, acerrimum dolorem oculorum pene ſubito placaſſe ſibi impoſito fruſtulo carnis recenter occiſae Vicunae. Generant in viſcere bezoar, ſecundum poſt Orientalem. Proximum Vicunae genus *Taruga*, pernicior, grandior, toridior colore, mollibus et decidentibus auribus, non gaudet ſocietate et grege, rupes ſola peragrat. Repertus in his Bezaar maior virtute et mole. Nieremb. H. E. l. 19. c. 64.

PUNCTUM VII.

De Suhak Scytharum, et Capra auribus demiſſis.

De *Subak Scytharum* ita Aldrovandus. In Scythia latiſſimis etc. Vide pag. 313. usque ad finem. *Capras auribus demiſſis* Ariſtoteli debemus. Menſura hae palmari, et dodrantali, et nonnullae ita demiſſae, ut ſpectent ad terram. Forte ex his iſta, cuius Icon hic ponitur, et quam *Capram Indicam*, et *Mambrinam Syriacam* vocant. Lana ſeu pilis facieque et cornibus ovem potius, quam capram referre videtur. Color albus eſt. Aldrovan. l. bi- . c. 23, Ariſtot. H. A. l. 8. c. 28

PUNCTUM VIII.

De Oryge.

Tria animantium genera Orygis nomine apud Graecos celebrantur. Unum aquaticum, duo terreſtria. Illius apud Strabonem mentio, ubi de Turdetania agit, quod, teſte Hermolao, quidam Orcas marinas eſſe opinantur. Horum duo eſſe genera, ex Plinio et Oppiano colligere licet. De Oppiani Oryge in ſequentibus agemus. Hic Graecis παρὰ τὸ ὀρύσσειν ſeu ὀρύσσειν, fodere dicitur, quod ad ortum, ut poſthac dicemus, accedente luna, prioribus pedibus terram effodere dicatur. Plinius, ſi *Formam* ſpectes, unicornem et biſulcum facit, et quidem ex Ariſtotele. Ex caprarum ſilveſtrium eosdem genere. Contrario pilo veſtiri, et ad caput verſo, quod et tauro Aethiopico competit. Eundem perpetuo ſitientia Africae generare, et natura loci potu carentem, et mirabili modo ad remedia ſitientium, apud eundem legimus. Namque Getuli latrones eo durant auxilio, repertis in corpore ipſorum ſaluberrimi liquoris hauſtu veſicis. Albertus, magnitudine hirci eſſe, barbatum ſub mento, in eremo verſari, et facile laqueo decipi ſcribit. Herodotus magnitudine bovi comparat. Nec nos quicquam certi de ipſius forma habemus. Cornua in omnium fere muſeis oſtenduntur atra, in extremo mucronata, pro aetate animantium, longitudine, craſſitie, et numero nodorum variantia. Icones duorum hic damus. An eius ſint, an Aſini Indici, ne Aldrovandus quidem definire audet. At, quia Aethiopes, qui Sili vocantur, iis tanquam armis contra Struthiophagos utuntur, et haec duriſſima ſint, mucronata, longa, et cava, videntur eiusdem eſſe. Aegyptii multa de eo commenti ſunt. Syrii nempe ortum ſentire, atque etiam clamore edito ſignificare, contueri ſtellam, ac veluti numen adeſſe ſentiat, procumbere adorabundum, ſeu

abo, ogr. l. 3. drov. ſt. Bi- c. c. 24. rma. in. H. N. l. c. 46. riſtot. H. l. 2. c. 1. lin. H. N. 10. c. 73.

ſingulari quadam ſympathia, ſeu, quod apud Albertum legitur, imbrem et frigus praeteriiſſe, frigoris nimium impatiens, percipiat. Quomodo ſe erga Lunam et Solem gerat, Aldrovandi verbis exponam. Idem, inquit, Aegyptii impurum, ut inquit Orus etc. Aldrov p. 315. b. D. *usque*. ingratus et impius in eam Oryx videri debeat. Addunt, ad ortum ſolis converſum alvum deiicere, et perpetuam ſitim perferre. Meminit Orygis Columella et Martialis, ſed vix eiusdem credo. Hic eum ſaevum vocat: Ille inter ea, quae ad cultrum in leporariis reponuntur, enumerat. *Oppiani Orygem* ita Aldrovandus, interprete Gyllio, deſcribit. Oryx, inquit, in ſilvis verſatur feris infeſtiſſimus, colore eſt lacteo etc. Aldr. p. 316. a. D. uſque. Hactenus Oppianus. Diverſum a ſuperiori eſſe, vel exinde non male colligas, quod ille inter capras, quae timidae referatur, hic vero ferox ſit. De cornu quidem nihil adiecit, at adieciſſet, ſi unum habuiſſe ſciviſſet. Aelianus quadricornes in India reperiri ſcribit. Ambroſius Paraeus, cuiusdam ferae, in quadam maris rubri inſula Cademotha Arabibus dicta, incolis Pyrraſoupi dictae, ex Coſmographia Theveti meminit. Magnitudine eſt mulo par, capite non abſimili, urſinis veluti pilis veſtita, ſed haud adeo obſcuris, verum ad flavum inclinantibus, biſulcis, ut cervus, pedibus. Duo procera, ſed minime arborea capite geſtat cornua, unicornium cornibus affinia. Indigenae beſtiae aut piſcis venenati morſu laeſi, aqua, in qua aliquot dies eiusmodi cornua infuſa fuere, hauſta, ſtatim convaleſcunt.

Aldrov. Hiſt. Biſulc. c. 25.

Aelian H. A. l. 14. c. 14.

Paraeus Tomo 1. l. 5. c. 5.

ARTICULUS VII.

De Cervo.

Aldrovan. H. Biſulc. c. 27.

Nomen.

Cervi nomen a cornibus, quae gerit, ea Graecis κέρατα, apud Latinos ſumtum eſt. Apud Graecos plurima obtinuit hoc animal nomina. Dicitur namque ἔλαφος, vel quaſi ἐλαφρός, id eſt, levis, vel quaſi ἕλκοφος, διὰ τὸ ἕλκειν καὶ ἀναίρειν διὰ τῶν μυκτήρων τὰς ὄφεις, ἢ ἀπὸ τὸ ἐκκλίνειν τὰς ὄφεις, ἢ ἀπὸ τὸ ἕλος, nimirum quod circa lacus et aquas libenter verſetur, aut quod cornu eius ſuffitum ſerpentes fuget, aut quod ipſe cervus cornu ad ſaxum attrito nidorem excitet, quo ſerpentes e cavernis pellit. Dicitur et λάφος, ἀείφακος, βιίριξ, βίρκιος, βρέδος, Laconibus inprimis, κυῆκις, Nicandro, νεβροτόκος, πέχαρις, σίργος, ταχίνης. Varinus τὰς ἐλάφους τὰς πρῶτον τίκτουσας, cervas primum parientes, *Procas* vocat, φυμάκας, πτώκας. Hinnulus cervi, dicitur, ἔλλος, λάδας, ναιθρὸς, νεβρὸς, κιμὰς, quaſi κοῖμας, quod in ſpelunca adhuc iacent, κιμμὰς, et κιλμὰς. Animal eſt biſulcum, forcipem pro ungue habens, pilo molli, et ſi Iunio credendum, intus cavo, ideo commode natat. *Colorem* ipſi Pollux tribuit, ἐπίξανθον, qui ſit ἐπίσικτος λευκαῖς γράμμασι, foemina praecipue, et hinnulus. Euripides βαλίαν vocat, ſeu ſpadicei coloris, Euripidi σπαθίναι, a colore τῆς σπαθῆς, ſeu phoeniceo dicuntur. Dantur tamen et albi, qualis erat Sertorii cerva, quam eſſe fatidicam Hiſpaniae gentibus perſuaſit. Cornua ipſi inter reliqua animalia maxima: Cervae nulla, repertae tamen cornigerae, quos Maximilianus Caeſar obſervavit, et Scaliger vidit. Anniculis nondum cornua naſcuntur, niſi quoad indicium, ſit initium quoddam protuberans, quod breve hirtumque eſt. Bimis primum cornua oriuntur ſimplicia, et recta ad ſubulonum ſimilitudinem, quamobrem παττολίας, ſubulones, eos per id temporis vocant. Trimis biſida exeunt, quadrimis trifida, atque deinceps ad hunc modum procedit numerus, usque ad annum ſextum. Conſtat tamen in multo plures

Deſcriptio.

Plin. H. H. l. 8. c. 32.

ramos

Dama-Cervꝰ

Damhirſch .

Caprea . Rehekalb .

Alce Mas .

Cerva . Hinde .
Colopus .
Rupicapra .
Gems .

Capreolus . Rehe .

Capreolus
Marinus .

Capra .

Pÿgargus .
Weiſs Zars .

Tragelaphus -

Pÿgargi ſpecies .

Hippelaphus
Fœmina .

Cervus .

Hippelaphus mas.

Roſs Hirſch .

Cervus Bur-
gundicꝰ .



Alce . Elend .

Ceruus : mirabilis .

Orijx Cervi ſpe: cies aliis Alce .

Rangifer . Reinthier .

Cervus Palmatus .

Tarandus . Tarandthier .

Reinthiers : geschlecht

ramos illud diſtribui. Habuit Guilielmus Bavariae Dux bina, quorum utrumque unum et viginti ramos fundebat. Albertus teſtatur eadem in Germania ad undecimum dividi. Vidit Aemilianus in penu Ferrariae Ducis, cervum interfectum, magnitudine equo paulo inferiorem, cuius cornua adeo erant ramis referta, ut ne illis Germanicis cederent. Sed et Antuerpiae in pharmacopolio viſa, quorum ſingula ramos circiter quindecim oſtentabant, Geſnerus prodidit. Differunt vero haec cervorum cornua ab aliis, quod cum omnibus ſint cava et in mucrone demum concreta, cervis tantum ſolida ſint, et cum caeterorum oſſibus adhaereant, cervorum tantum cutibus enaſcuntur. Nec ullum animal praeter cervum eadem mutat. Fiunt adeo ſolida et dura, ut ſoliditate ad lapidum naturam accedant. Inveteratum perquam leve redolitur, praeſertim, ſi ſub dio fuerit, ita, ut nunc humeat, nunc ſicceſcat. Geſnerus obſervavit in conſummati cornibus mucrones, ſive ramulos ſupremos, qui bini alioqui aut terni ſubinde ſpectantur, ſeptenos, et in eodem loco ſtipitis latitudinem ſex digitorum, inferius autem fuiſſe alios binos ramos, et adminicula. Obſervavit item inter cranium cervi et cornua, oſſicula ſive tubera gemina oſſea protuberantia, laevia, duos circiter digitos longa, eo breviora, quo cervus natu maior eſt. Horum ſingulis ſingula, ait, adnaſci cornua per ſymphyſin quandam et quaſi coarticulationem. Addit denique ſubulonis cervi cornua ſe vidiſſe dodrantis circiter longitudine: *furcarii* vero vulgo dicti, qui trimus eſt, duorum et amplius dodrantum. Quae hic expreſſimus, laevia erant, albicantia, et minime rugoſa. Singulis annis ſtato veris tempore ea amittere, Ariſtoteles prodidit, qui etiam tradit, captum fuiſſe, cuius cornibus viridis hedera innata fuiſſet, quod et apud Plinium habetur. Caſtratis defluere Oppianus auctor eſt. Et haec de Cornibus. Quantum ad alias partes, *facies* ipſis eſt carnoſa, *naſus* ſimus, *collum* ablongum, *nares* apud Oppianum quaternae, totidemque meatus. Muſculi temporales et exiles et debiles, *aures* ſciſſae ac velut diviſae, ſed praecipitanter, quales peculiariter iis Ariſtoteles adſcripſit, qui circa Arginuſam in Elapſo monte verſantur. *Dentes* habent quatuor utrinque, tum infra, ut annotat Albertus, quibus molit cibum, et inſuper duos alios magnos, qui mari, quam foeminae maiores ſunt, vergunt autem omnes deorſum, ut repandi videantur. Vermes continent omnes ſuo in capite vivos, qui naſci ſolent, prodente Ariſtotele ſub lingua, in concavo, circiter vertebram, qua cervici caput innectitur, vermibus, qui in carnibus enaſci ſolent, haud minores, continuos, numero viginti. At fuere, qui plures videre, et quidem diſcretos, fuere et alii, qui nullos. Dicunt itidem intra oculi os veſpas enaſci et provolare. *Sanguis*, aquae ſimilis eſt, et nullas continet fibras, ſi Ariſtoteli et Plutarcho credimus: Baldus Angelus Abbatius, coagulatum ſe obſervaſſe ſcribit, idemque aliorum obſervatione conſtare. *Oculos* habet magnos. *Cor* item proportione magnum, quantum omnibus timidis eſſe ſolet. De *lapide* in oculi cantho varii varia. Agricola lapidem Belzahart: Bellunenſis Bezaar. Scaliger lapidem eſſe negat. Ante centeſimum, inquit, annum in cervo nulla eſt. Poſt eam aetatem accreſcit ad oculi canthum, ipſis oſſibus atque in os protuberans concreſcit, ea duritie, qua cornu ſuperet. Qua parte prominet, rotunda eſt, inſigni nitore, coloris fulvi, non ſine veſtigiis atriorum venularum. Tanta levitate, ut pene tactum effugiat. Ita enim ſeſe ſubtrahit, ut ſeipſam propemodum movere videatur, etc. Scribonius, oculi ſordes vocat. *Oſſa* in corde omnibus prope cervis reperiuntur; annoſioribus tamen maiora, minora iunioribus, crucis interdum forma, decuſſatim mutuo interſecta, inquit Iordanus. Vidi,

Aemilian. de Rumi-nantibus.

Ariſtot. H. A. l. 2. c. 1. et l. 3. c. 9. Plin. H. N. l. 11. c. 37.

Ariſt. H. A. l. 4. c. 5.

Oppian. Cyneg.

Ariſt. H. A. l. 6. c. 10.

Ariſtot. H. A. l. 2. c. 15 Plin. H. N. l. 13. c. 37.

Ariſtot. H. A. l. 3. c. 6.

Plin. l. c.

Scalig. Exercit. 112.

Iordan. de phaenomenis peciſtr. 3.

di, inquit idem, exectos prope columbini ovi magnitudine, laminis conflatos, et quod iucundum fuit aſpectu, poſtquam comminutus fuit, repertum eſt os in meditullio, ſimile caeteris oſſibus corde prognatis, circa quod putamina haec ſeſe aggregando amplificaverant, et in hanc molem atque duritiem calore cordis extorrente lapillum produxerant. Geſnerus a medio Auguſti duntaxat ad Idus usque Septembris inveniri ſcribit. Renodaeus in iunioribus, non os, ſed cartilaginem eſſe. Nervum ſeu cartilaginem nerveam Braſavolus vocat. Andernacus, ſiniſtro detecto ſinu, maximeque arteriae tota baſi aperta, ſi radices illius et membranarum ſequaris, inveniri tradit. Nam arteriae aortae, venaeque arterioſae et membranarum earundem radix, ex oſſea illa cartilagine cordis procedit. *Cauda* ipſi exigua eſt, vituli marini modo. *Crura* perquam gracilia. *Ventres* plures. *Genitale* nervoſum more Cameli. *Inteſtinum* tam tenue imbecilleque, ut etiam leviter percuſſeris, poſſit rumpi cute adhuc integra. *Felle* vacare aiunt, ſed inteſtinum adeo amarum, ut ne a canibus quidam attingatur, niſi cervus praepinguis ſit. Achaini in cauda id gerere creduntur, eſſeque quod ibi contineri aiunt, colore quidem ſimile felli, ſed non ita, ut fel humidum, ſed lieni parte anteriore ſimile. *Cerva* cervo minor eſt: animal alias aſpectu egregium, mutilum cornibus, viſu acuto, mirae velocitatis. Quaterna habet ubera, ut vacca. Galenus de foetus tunicis agens, ac de venis et arteriis, quae ex utero in ipſum inſeruntur, aſſerit, quod in omnibus animalibus, quae ſuapte natura ad ſaliendum ſunt proclivia, ut cervis et capris, vaſorum productiones matricibus ſunt connexae, non per tenues modo membranas, ſed cum eis etiam per carnes viſcoſas, velut pinguedinem quandam, ſpecimen eſſe mirabilis providentiae. *Dorſum* dum pingue eſſe Oppianus dicit, de utroque ſine dubio ſexu intelligit. In Africa non reperiri

Ariſtot. H. A. l. 2. c. 1.

Plin. H. N. l. 11. c. 37.

Ariſtot. H. A. l. 6. c. 29

Locus.

Ariſtoteles et Plinius prodidit, con tradicente Virgilio et recentioribus. In Apulia ſaepe exercitus ſpeciem praebent, et Ferdinandum Regem Neapolitanum eo deceptum, nec non Iacobum Caldoram ſolertiſſimum ſuae aetatis Imperatorem, prodidere ſcriptores. In Cathaiae provincia Bargu et copioſi ſunt, et ſaepe tam cicures, ut eis inſideant. In Batavia, referente Hadriano Iunio, toto illo collium arenariorum tractu, cum interiectis convallibus, qui Egimondam usque ab Hagienſi nemore in longum porrigitur, magna eorundem copia. In Britannia palmatorum Capitolinus meminit: albos et nigros dari quidam affirmant. In regione Chicorariorum in orbe novo, teſte Petro Hiſpalenſi, adeo cicures ſunt, ut perinde ac apud nos caprae, alantur. Cretenſem agrum cervo egere Solinus ſcribit, Cydoniatarum regionem ſi exceperis. At Var nus Achaeinarum cervarum meminit, quae et σπαδίναι dicuntur, ab Achaea inſulae illius civitate. Bellonius quoque non paucos ibi reperiri reliquit, quod inſula noxiis animalibus careat. In Cyprum e Syria ideo transnare, quod paſtionum, quae illic ampliſſimae dicuntur, deſiderio teneantur, apud Aelianum habemus. In monte Aſiae Elapho apud Arginuſſum ſciſſis ſunt auribus, quod et Helleſponti cervis, modo citatus auctor adſcribit. M. Aurelius Imperator, cicures ibi naſci, addidit. Apud Scotos grandes ſunt, et tam frequentes, ut ſolemni plerumque venatione, nunc quingenti, nunc octingenti, nunc mille proſternantur. Sunt ex his nonnunquam, qui adipem decem pollices latam habent. Dantur et numeroſi, in Hebridum inſularum monte, cui, a Cervo nomen eſt. Xapita novi orbis regio, referente Petro Martyre, cervorum armenta habet, ut nos boum. Domi pariunt, domi nutriuntur, ſoluti per nemora paſtum quaerendo, luce durante vagantur, ad veſperam pullos domi relictos reviſunt, et intra cortes claudi ſe, ac natis ſuis depaſtis mulgeri ſinunt. In

Plin. H. N. l. 8. c. 33.

Pontan. l. 2. de bell. Neapolitano.

Iunius Batav. l. 1. c. 61.

Aelian. H. A. l. 5. c. 56

Ariſtot. H. A. l. 6. c. 29

Martyr. Decad. Ocean. 7. c. 2

Gallia

Gallia quoque circa Fontem bellaqueum ſunt numeroſi: In Florida ſunt partim domeſtici, quales forte in Xapato, partim ſilveſtres, quorum quidam bovem adaequant, quidam minores ſunt. In multis Germaniae locis cicures in foſſis circa moenia aluntur. In Helvetia minus hodie abundant, quod ſilvae propter frequentiam incolarum, in dies minuantur. In Hercynia, colore nigricantes reperiri, a quibusdam accepit Geſnerus. In Dikilapporum denique regione, ſunt eorundem greges, et Norvegis Rhen dicuntur, noſtratibus cervis aliquanto maiores. Lappi vice iumentorum utuntur. Vehiculo, inquit Sigismundus Herberſteinius, in ſcaphae piſcatoriae formam facto, cervos iungunt, in quo homo, ne cervorum citato curſu excidat, pedibus alligatur, lorum, quo cervorum curſum moderatur ſiniſtra, dextera vero manu baculum tenet, quo vehiculi, ſi forte in aliquam partem plus aequo vergeret, caſum ſuſtineat. Atque eo vehendi genere viginti milliaria ſe una die confeciſſe, cervumque tandem dimiſiſſe, eumque ad Dominum ſuum ſtabulaque conſueta rediiſſe, dicebat.

Generatio. Tanta amoris libidine flagrant, ut tota die ad venerem ferantur. Ad menſem ita agitari, mox deſaevientes alterum paulo minus menſem abſumere, Budaeus prodidit. Certant tum pro foeminis, et victori, ut domino, obedit victus, ſequiturque ut herum, ſi Alberto fides. Impletis foeminis, ſeparari per ſeipſos mares, et propter libidinis graveolentiam, quemque ſolitarium ſcrobes fodere, more hircorum foetere, facies quoque nigreſcere aſpergine, et ita degere, quo uſque imber accedat, tum paſcua repetere,

Ariſtot.H. A.l.6 c.29 Ariſtoteles auctor eſt. Coire incipit menſe Auguſto et Septembri ab Arcturo, implenturque paucis diebus et multae. Cerva plerumque ſubſidens coit, quod marem ob contentiſſimum impetum ſuſtinere nequeat, aliquando tamen more ovium ſuſtinet, et ſocias declinat, cum turgente iam venere, coitum appetit. Oppianus magna celeritate currentes foeminas iniri reliquit, mares vero duobus pedibus quantum poſſunt, curſimque ſequentes coitum abſolvere. Tranſeunt in coitu ad alias iidem, redeuntque ad priores. Plinius, cicures non concipere, niſi ab infantia fuerint educatae, ait. Ferunt uterum octo menſes, pariunt magna ex parte unum. Incrementum hinnulorum velox. Cerva cum parit, pituitoſo humore purgatur, alias nunquam. Dum lactat, ſeſe dimittere Pollux prodidit, Geſnerus refellit. De longaevitate cervorum quaedam apud auctores occurrunt. Heſiodus in verſibus, qui tamen in operibus non extant, cornici novem noſtras aetates tribuit, quadruplum eius cervis. Sic fere 3600. annos viveret. Plinius, poſt centum annos aliquos captos cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis iam cute, in magna obeſitate. Tempore Caroli Gallorum Regis, qui tempore ſchiſmatis inter Clementen et Urbanum VI. vixit, captus eſt ad Silvanectum cervus, in cuius torque latinis literis ſcriptum erat, Hoc me Caeſar donavit. De Caio Iulio Caeſare etſi id capi vix poſſit, poteſt tamen ad Carolovingorum aliquem referri. Theophraſtus, etſi octogenario maior obiverit, conqueſtus nihilominus eſt de natura, quod cervis longiorem, quam homini vitam dederit. Taceo ſacram Dominae cervam apud Pauſaniam, quae tempore Agapenonis hinnulus erat, nec non Diomedis cervum, qui tempore Agathoclis, poſt aliquot nempe ſaecula, captus eſt. Caeſaris Auguſti cerva, cum inſcriptione torquis, *Noli me tangere, quia Caeſaris ſum*, innumeris propemodum luſtris ab ipſius imperio, deprehenſa fuiſſe dicitur. Quidam aetatem ex ramorum multitudine colligunt, quod Ariſtoteli non placet. Auctor Philomelae eos glocitare ſcripſit, Virgilius graviter rudere. Mutant vocem pro ſexu. Brevis foeminis,

Plin. H.N. l.10. c.63.

Ariſt. l.c.

Auct.

Vox.

Sympathia et Antipathia.

maribus productior. *Amicitia* ipsis cum attagene, at cum aquila, vulture, serpente, canibus, tigride, belluis, ariete, vulpium gannitu, cacto, aspalatho, rubris pennis, hostilitatem gerunt. Attagenes saepissime dorso ipsorum insident, et pilos vellicant. Aquila insidens cornibus multum pulverem volutatu collectum excutit in cervi oculos, pennis ora verberans, donec praecipitet in rupes. Cum serpente ipsis pugna. Investigant cavernas, nariumque spititu extrahunt renitentes. Ideo singulare abigendis serpentibus, odor adusto cornu cervino. In Libycis finibus ab iisdem iacentes impeti, apud Oppianum legimus. Cactum si cervus calcet et saucietur, ossa eius nullum sonum edere possunt. Aspalatho tactus emoritur. Ingenium sequentia ostendunt. Gaudent τοῖς ὀργάσι, seu locis incultis, silvosis, et nemorosis, ubi solum bonum et pingue est. Silvas quoque, vineas et loca aprica amant. Mas relictis pascuis ad silvam se celeriter recipit, sed eandem non ingreditur, foemina densiora eius loca sequitur. Meliora quandoque pascua nacti, semper tamen ad pristina, ubi educati sunt, redire solent. Eminens, uno minore cervo comitatus incedit, quem *armigerum* venatores vocant. Pascuntur tota pene die, et sub meridiem, ubi sol maxime fervet, in umbra delitescunt. Adeo sunt timidi, ut in proverbium abiverint, et Cantharion Arcos ab oracculo cervus sit dictus. Saltu valere, vel locus non procul Francofurto, a cervino saltu nomen mutuatus ostendit. Duo ibi lapides erecti, prodente Gesnero cernuntur interstitio pedum hominis mediocris quasi sexaginta. Tanto enim spatio saliisse illic cervum, idque etiam supra plaustrum oneratum, cum venatores instarent. Requiescunt in fuga, dum, qui insequitur, appropinquet, et tum iterum fugiunt. Ubi animum despondere, relictis silvarum opacis in campestria se conjiciunt et interdum ad vicos et villas propius accedunt. Secundo vento plerumque feruntur. De *solertia* in eludendis canibus, ita Budaeus: Solere cervos aiunt, simul ut senserint, rem sibi esse cum aseclis infestis, simul et sagacibus, primum alios aliosque fugae lapsos, et gyros conclomerare, deinde si porro urgeantur, stabula cervarum popularium, cervorumque diversoria petere, ibique inter turbam promiscuam, quasi intra nebulas erroris canini sese condere, interdum gregarios aliquiot inde abigere, atque ad aliquantum spati permixtim vestigia facere, ad negotium canibus exhibendum. Cum autem aliquantisper hac ratione contechnati sunt, ab illorum comitatu subito se subducentes, per tramitem devium longiuscule abscedunt, deinde intersistunt, ut interim canes vestigia cervulorum aut cervarum excipientes, diversi ab eis auferantur. Cumque haec stropharum commenta canum experientissimorum adorandi vis vicerit, ad alia denuo se vertunt subsidia, cuiusmodi sunt, per sua quadantenus vestigia recurrere, deinde spiras fugae intorquere multipliciter et varie, et quam fieri potest perplexissime, tum raptim longius procurrere etc. Visus quidam in armentum bubulum irrumpere, in bovemque primoribus cruribus insiliens armisque complexus ad longiusculum spatium velut equo vectus, postremis pedibus terram stringere, ut odorem sui, quoad fieri posset incertum, canibus relinqueret. Visus, referente eodem Budaeo, qui in arborem in denso et opaco sitam insiliverit, in eademque sublimis, ramis fruticis ipso saltu divaricatis steterit, sic interceptus, ut inde desilire non posset. Contra noxia gramina cinaram edunt, contra phalangiorum morsum cancros. Sollicite etiam cavent, ne quando in vulnera recentia solis radius incumbens, carnem priusquam citatrice obducatur, putrefaciat. Dictamnum herbam extrahendis sagittis monstravere percussi eo telo, pastuque eius herbae

Plin. H. N. l. 10. c. 3.

Plin. H. N. l. 8. c. 32.

Ingenium,

Ael. H. A. l. 1. c. 8.

ejecto,

ciecto, quod Dioſcorides et Tullius
H.N. capris adſcribunt. Maria tranant,
.32. gregatim nantes, porrecto ordine, et capita imponentes praecedentium clunibus, vicibusque ad terga redeuntes. Hoc maxime notatur a Cilicia Cyprum traiicientibus, nec vident terras, ſed in odore earum natant. Infirmos ponunt in ultimo, nec citius ſolvunt, quam ſecundos
lian. H. ventos ſenſerint. Pingueſcunt
l.5.c.56 aeſtate, et ideo latent, quod ſe ſuae corpulentiae pondere facilius capi poſſe ſentiant. Sed et cum cornua depoſuere, occultantur interdiu, idque in opacis locis, ut muſcarum taedio vacent, paſcunturque per id tempus noctu, donec
H.A. recipiant cornua, quae, ubi concreverint, ſoli exponunt, ut excoquantur et ſicceſcant. Ubi vero attritu arborum, cum ea ſcalpunt, nihil indolere ſentiunt, in patentia prorumpunt. Defodere, poſtquam depoſuere eadem, fama eſt. Verum alii, alterutrum duntaxat defodere, ſcribunt. Dextrum cornu negant inveniri, inquit Plinius, ceu medicamento aliquo praeditum, idque mirabilius fatendum eſt, cum et in vivariis mutent omnibus annis,
riſtot. l. defodique ab iis putant. Ariſtote-
et l. 10. les id de ſiniſtro prodidit, quamvis in Epiro dextrum obrui ſcribat. Abiecta in vivariis negligi, nec humo obrui, obſervatum eſt, quin et in ſilvis in aperto iacentia ſaepe reperiuntur. Serpentibus abunde ſaturati, ne veneni virus noceat, ad flumen contendunt, et ore ſumme tenus corpora demergunt, nec citius bibunt, quam vi frigoris cogente hauſtum venenum per oculos deſudando elacrymaverint. Vincentius Belluacenſis eſu ſerpentum caligini oculorum mederi ſcribit. Capti, non ſolum cicurantur, ſed etiam vocati ad hominem accedunt. Fraena et iuga ferre, apud Calpurnium legimus. Certe ſeptem cervorum bigas in pompa Ptolomaei fuiſſe, auctor eſt Athenaeus, Heliogabalus vero iunctis quaternis,
Aelian. H. in publicum proceſſit. Taceo Mi-
A.l.7.c.46 thridati Regi Ponti pro corporis cuſtode fuiſſe, et Sertorio Romano Hiſpanorum Duci cervam albam in comitatu, quam ille Dianae numen fingebat. Aſſuefactum a Ptolomaeo quendam, ut ſermonem Graecum intelligeret, Aelianus refert. In pa Ael.H.A. l.11.c.25.
riendo ſemitas minus cavent, humanis veſtigiis tritas, quam quae ſecretae et feris opportunae. Seſeli ante partum purgantur, ut faciliori utantur utero, poſtquam peperere, involucrum primum exedunt, mox herbam quandam deguſtant, ſic ad prolem redeunt. Non qualibet autem partus ſuos educare, Solinus auctor eſt, teneros ſtudioſe occultare, et abſconditos inter profunda fruticum, vel herbarum, pedum verbere caſtigare ad latendum, cum maturuerit ad fugam Aelian. H.
robur, exercitio docere curſus, et A.l.12.c. 46.
aſſuefacere ſalire per abrupta. Mulcentur fiſtula paſtorali et cantu, interdum ita, ut interim paſcua negligant. Quantum ad ſenſum, ſi erectas auriculas teneant, acerrime ſentiunt, ſin demiſſas, facile opprimuntur. Viſu valere vel id argumento eſt, quod μεγαλωπὰς Oppianus vocat. De *Vſu in Cibis* in di- *Vſus in Cibis.*
verſa abeunt auctores. Iſidorus tradit, carnes habere teneras, et faciles concoctu propter motus frequentiam, ſi vero caſtrentur, antequam cornua creſcant, magis temperatas fieri. Galenus duras facit, Galen. de Alim. facult. l. 3. c. 6. et 8.
difficiles concoctu et melancholicas, alibi aſinorum carni ſimiles. Simeon Sethi, bilem atram gignere profitetur, cavendasque aeſtate, quod tum propter ſerpentum eſum venenatae ſint, ſi frequentius ſumantur, corpus tremulum facere, per hiemem tutius ſumi. Iulio Alexan- Iul. Alex. l.11.c.11.
drino praeſtat caro hinnuli, quanquam et vetuſtioribus laus, neque tamen vetulis; aetatis longitudo in cauſa, ut vel in trimatu commendari poſſint. Conſiſtendi aetas, ut longiſſima, ſic deterior eadem, creſcente ſemper ſiccitate et carnis duritia. Tempore libidinis eam vi- Ariſt. H.A.
tiari et hircorum inſtar foetere, l.6.c.29.
apud Ariſtotelem legimus. Avicenna quartanas eius eſu induci putat.

At

At Plinius quasdam se foeminas principes scire testatur, omnibus matutinis carnem eam degustare solitas, et longo aevo caruisse febribus, quod ita demum existimant ratum, si vulnere uno interierint. Alii diuturnitatem cervinae esu sibi pollicebantur, quod vivacissimum animal esset. *Hepar* pravum esse Vincentius Bellunensis scribit. *Cornua* recenter enata in delicatorum etiam cibum venere. Bruierinus elixari et postea in frustula frigi scribit.

Vsus in Medicina.

In *Medicina*, *pili*, *pellis*, *medulla*, *sevum*, *cerebrum*, *pulmo*, *genitale*, *cor*, *ossa*, *coagulum*, *urina*, *lacryma*, *cornu inprimis* locum habent. *Pilis* vulvae suffiuntur, suffitus contra abortum facit. *Pellis* ramenta desecta pumice, et ex aceto trita igni sacro illinuntur. Si eadem cum pedibus dextris portae infigatur, ingressum animalis venenosi prohibet. Eadem ad involuntarium urinae exitum, in stratis remedium. *Medulla* leniendo dolori est praestantissima, serpentes inuncta fugat, perfusis aqua aliove liquore fervido, peculiare est remedium, in aqua potui data, intestinorum tormina sedat, dysentericos dolores per clysterem iniecta sopit, uterorum duritiem in pessis intrusa emollit. De eiusdem in menstruis aperiendis usu ita post Agricolam Mizaldus: Si medullae cervinae drachmas duas vel tres pro corporis et aetatis modulo includantur in linteolo mundo et raro, postea pudendo muliebri inserantur, filo extra pendente, ut retrahi possint, modo tunc se offerat opportunum ac statum purgationis tempus, et praeparatum fuerit corpus, praescriptaque vitae ratio. *Sevum* podagricos dolores lenit, ad lentigines faciei adhibetur, combustum et cum ostrea tosta commixtum, perniones sanat, uteris exulceratis, recens ac viridis subditur. *Cerebrum* in coxarum et laterum dolore, restituendisque fracturis laudat Rhasis. *Pulmo*, clavos, rimas, et calli vitia tollit, si Plinio credimus, impositus et saepe renovatus, ex calceamento laesos pedes, affirmante Marcello, persanat. Sunt, qui pthisico profuisse scripserunt, siccatum in fumo, tritumque in vino. Cinis in olla fictili exusti, multis ad suspirium et dyspnoeam profuit. *Genitale* siccatum et tritum cum vino contra viperarum morsus exhibetur, tauro cum vino illitum, ad coitum eundem excitat, aridum, contra difficultatem mingendi aut colicam valet, si aqua, in qua ablutum fuerit bibatur. Magi, ut auctor est Plinius, partum contineri promittunt, si mulieri candida a pectore hyaenae caro, et pili septem, et genitale cervi, illigentur dorcadis pelli, et collo suspendantur. *Ossa* ad ventris profluvium Galenus inungi iubet. Sextus vero patellam cervinam, si tecum habeas, negat surgere inguina, et quae ante surrexerunt, eadem tacta redire. *Cor* cum pelle et cornu combustum, vulnera, iisdem cum oleo inunctum, sanat. Os de corde inter antidota habetur. Lapis, qui in corde aut vulva reperitur, contra abortum facit. *Coagulum* hinnuli in utero occisi praecipuum est contra serpentium morsus remedium. Utiliter quoque bibendum, morso a cane rabido datur. Quin contra cicutae et fungorum esum facit. *Vrina* splenis dolorem sanat, ventriculoque et intestinis inflatis prodest. *Lacryma* inter sudorifera censetur, tantosque ciet, ut pene totum corpus solvi credas, in vini momento exhibitum. Qua parte prominet, rotunda est, insigni nitore coloris fulvi, non sine vestigiis atriorum venarum, tanta levitate, ut pene tactum effugiat, ita enim sese subtrahit, ut propemodum seipsam movere videatur. *Cornu* maximus usus est. Ex typhis sanguine adhuc madentibus aqua rhizotica contra malignas febres destillatur. Uritur aperto igne et philosophice, et non tantum ad sudores et adversus venena commendatur, sed et contra varios morbos. Floridae insulae incolae infantium labiis perforatis ea imponunt, sic a veneno illaesos

Galen. in Euporistis

Galen. simpl. 11. l. 5.

Mizald. cent. 6. aphor. 96.

Hippocrates de morb. mulier.

Galen. Eupor. l. 2. c. 42.

Hurn. Method. ad praxin. l. 2. p. 245.

illaeſos fore ſibi perſuadent. Andernacus collyrium ex eodem, cum thure, plumbo uſto, opio etc. et aqua pluviali conficit. Idem, aceto incoctum vel tritum, porrigini et impetiginibus inungitur, cum lenticula et ſevo cervino, lentigines de facie tollit, accenſum, nidore ſuo morbum comitialem prodit, adverſus ſcrophulas tritum cum ſpongiis, in quibus lapides reperiuntur: aequali menſura ex vino aut aqua quotidie bibitur, ad polypum cum ſandaracha naribus inflatur, ad dentium albedinem in cinerem in olla nova redactum, cum maſtiche, et ſale ammoniaco miſcetur; crudum inque aceto fervefactum, maxillarum a dentitione dolorem adimit, aduſtum et cum vino tritum, deinde circumlitum, vacillantes dentes confirmat. Haemoptoicis cum tragacantho medetur, dyſenteriam ſeu uſtum, ſeu in galredam redactum, ſanat, ad vomitum, cum ſulphuris vivi puſillo, in ovo ſorbili exhibetur. Sextus combuſtum ex oxymelle ſplenem ſiccare affirmat. Ad colicam ex iisdem teneris remedium Marcellus habet, cuius deſcriptionem apud Aldrovandum vide. Contra lumbricos Galenus cum ebore propinat. Sunt, qui cretam, ſemen ſanctum, vitellum aſſum admiſcent, et cum melle placentam parant. Ad profluvium denique muliebre, et praefocationes uterinas adhibetur. In *Differentiis* nihil fere occurrit, praeter ea, quae apud Nierembergium leguntur. Cervinum, inquit iſte, non ſimplex, Novae Hiſpaniae genus. *Maccama* vocant. Quidam rubei, quidam albi toti. Hos cervorum Reges dicunt Indi, et *yztac maccame* appellant. Alii noſtratibus aut iidem, aut valde ſimiles forma, magnitudine, ingenio, *Aculbuame* nuncupant. His minores *Quaubtlamacame* in magnam generoſitatem degenerant a cervina timiditate, efferociunt vulnerati, adoriuntur venatores, ſaepe occidunt. Eiusdem molis et moris ſunt *Thalbuicamacame*, ſed impares animo. Minimi ſunt *tamamacame*, fortaſſe potius caprarum genus. In Duarhe, Xapida, et aliis novi orbis plagis, cervorum erant armenta, quemadmodum nobis boum, prout ſuperius diximus, domi pariunt, nutriunt. Soluti, per nemora paſtum quaerendo luce durante vagantur, ad veſperam pullos domi retentos reviſunt, intra cortes claudi ſe ac nati depaſtis mulgeri patiuntur, nullum aliud lac, aut ex alio lacte caſeus. In aliquibus Occidentis regionibus vexati caeſique a venatoribus quaerunt herbam Atochielt, ſic vocant Barbari, et ſpecies pulegii eſt, hac recreantur reſtauratione virium, novam pernicitatem acquirunt, maioris illis uſus eſt, quam dictamni virtus. In Virginia cervi longiore cauda ſunt praediti, quam noſtrates, et cornuum extrema in dorſum recurva habent. Cervorum Americanorum quoddam genus Lerius vocat *Seouaſſeu*, qui differunt a noſtris, quod multo ſint humiliores, minora geſtent cornua, et aeque pilos demittant, atque noſtrates caprae. In plagis novi Mexici caudam habent valde piloſam, alii prolixam, non aliter, ac mulae, cuius aequant aut ſuperant molem. Maximi roboris ſunt. Dux quidam Hiſpanus duos iniunxit manſuetos rhedae ſuae vehendae. De *Cervo palmato*, ita *Aldrovandus:* Diximus ex Iulio Capitolino, Gordiani ſilvam memorabilem pictam in domo roſtrata Cn. Pompeii, inter alias picturas, cervos continuiſſe CC. palmatos, hoſque Geſnero primum viſos, eosdem cum dorcadibus platycerotis. Caeterum cum poſtmodum Ioan. Caius medicus Britannus haec illi cornua ex Britannia miſiſſet, mutata ſententia, doctiſſimo illi medico, qui cervum palmatum revera eſſe iudicabat, quod et mihi videtur, aſſenſit. Nam cum cornua haec aut aequent, aut etiam ſuperent, et longitudine et craſſitudine cervinum, conſonum eſt, corpus animalis, cervi potius, quam platycerotis ſimile eſſe. In Perſia circa Schamachiam, Karabach, et Morage, ſpecie Damae, ſubfulvos, cornua retrorſum incurva, abſque nodis habentes, quos Turcae Tzeiran, Perſae Ahu inveniri, Olearius auctor eſt.

Nieremb. H. E. l. 9. c. 59.

Aldrov. Hiſt. Biſulc. c. 28.

Olear. Itiner. Orient. p. 312.

ARTICULUS VIII.

De Tragelapho et Tarando.

Aldr. Hiſt. Biſulc. c. 29.

Tragelaphus inde nomen ſortitus eſſe videtur, quod hirco et cervo ſit ſimilis. Volaterranus et Geſnerus Hippelaphum Ariſtoteli dici volunt, ſeu a ſimilitudine ita dicatur, iubam enim habet, ſeu a magnitudine, ut hippoſelinum, maior enim et craſſior cervo eſt. Germani Brandhirſch vocant, ſeu, quod ſit nigrioris coloris, quam cervus, ut Agricolae placet, ſeu, quod loca, in quibus carbones fiant, frequentet et herbis ibidem naſcentibus paſcatur, ut Fabricio viſum. Maior eſt et robuſtior cervo. Villos nigros in gutture, longos in armis gerit? Ideo a cervo barba tantum et armorum villo diſtare ſcripſit Plinius. Suprema pars dorſi cinerea eſt, ventris ſubnigra, villi circa genitalia nigerrimi. Caeteris a cervo non differt. Non alibi, quam iuxta Phaſin amnem naſci prodidit Plinius, ſed falſo. Nam et apud Arachoſios inveniuntur Tragelaphi, et in Torantinis Koenigſteinianisque Miſniae ſaltibus Boheminae vicinis capiuntur. In Anglia quoque cervi nigricantes reperiuntur, ab his forte non diverſi.

Plin. H.N. l. 8. c. 32.

Tarandus Barbaris Pyrandrus, et Pyradus, Heſychio forte ξάνδαρος, Septentrionalibus *Rebenſchier* dicitur. Magnitudo ei, quae bovi, caput maius cervino nec abſimile, villus albus magnitudine urſorum. Tergori tanta duritia, ut thoraces ex eo faciant. Pectus habet toroſum, ungulas bifidas, concavas et mobiles. In curſu enim eas explicat. Ipſe ad celeritatem expeditiſſimus, ita, ut et ſummas nives calcet non impreſſis alte veſtigiis, et pernicitate inſidiantia in vallibus animalia effugiat. Cornua geſtat praealta, quae ſtatim a fronte ramis duobus latis mucronantur quaſi in digitos. In medio ramulus veluti internodium interiectus, inde rurſus in ramos latos digitorum expanſorum ſpecie mucronatos exeunt. Cornua ſunt alba, venulisque longis diſtincta. Differunt ab alces cornibus altitudine, a cervi latitudine, ab utriſque colore, et ramorum multitudine. Currendo ea in tergum demittit, nam ſtanti frontem pene rami inferiores tegunt. His inferioribus concreta frigoribus flumina ad potum capiendum rumpere fertur. Silvarum fructibus et arborum muſco veſcitur. Latibula ſtruit in montibus Septentrionalibus, et in Moſibergum aliosque Norvegiae montes intenſioribus frigoribus procedit. Capitur ab hominibus ad uſus domeſticos. Nam ad conficienda itinera domatur a curſoribus, ad opera ruſtica ab agricolis. Caro eius e ferinis illorum locorum optima et delicatiſſima. Natura animal eſſe gregale, et mille tarandorum armenta in vaſtis ſeptentrionis ſilvis aliquando conſpici ferunt. Foemellae ramis carent. Reperiuntur in Norvegia, Suecia, Laponia, et Polonia. Auguſtam Vindelicorum bini cum ſellis, phaleris, et frenis erant aliquando adducti. De coloris in ipſo mutatione ita *Solinus*. Hunc tarandum, affirmant, habitum metu vertere, et cum deliteſcat, fieri ſimilem, cuicunque rei proximaverit, ſive illa ſaxo alba ſit, ſeu fruteto virens, ſive quam aliam praeferat qualitatem. Faciunt hoc idem in mari polypi, in terra Chamaeleontes. Sed et Polypus, et Chamaeleon glabra ſunt, et pronius eſt cutis laevitate ſpeculi modo proximantia aemulari. In hoc novum eſt, ac ſingulare, hirſutiam pili colorum vices facere. Caeterum, quis ille Plinii et Solini Tarandus ſit, nec Geſnerus quidem recte noſſe viſus eſt. Nam modo cum Turone, modo cum Rangifero, de quo in ſequentibus eundem facit. Icon, quam hic damus, veriſſima eſſe creditur.

Solin. Polyhiſt. c. 33

Aldrovan. Hiſt. Biſul. c. 30.

ARTI-

ARTICULIS IX.

De Rangifero.

Aldrov. hiſt. Bi- alc. c. 31.

In Deſcriptione Rangiferi, quem *Reen* vocant, non conveniunt auctores. Albertus ſpeciem cervi repraeſentare dicit, ſed maiorem eſſe corpore, colore inſignem, et ad fugam celeberrimum. Tres ſecundum eundem cornuum ordines in capite gerit, ita, ut in ſingulis bina ſint cornua, et caput eius virgulis compoſitum videatur. Ex his duo caeteris maiora, in loco cornuum cervi, quae ad perfectam magnitudinem augentur, adeo, ut quinque cubitorum menſuram aliquando attingant, et ramis viginti quinque conſpiciantur. Duo etiam in medio capitis, ut damarum habentur, mutilis et brevibus ramis mucronata. Denique alia in fronte antrorſum verſa, oſſibus ſimiliora, quibus in pugna potiſſimum utitur. Olaus Magnus tricornem eſſe ſcribit, de genere cervorum, ſed longe proceriorem, velociorem, longiorem. Rangiferum duplici ratione dici, tum quod in capite alta cornua, velut quercinarum arborum ramos ferat, tum quod inſtrumenta cornibus pectorique, quibus hiemalia plauſtra trahit, impoſita, ranga et loga patrio ſermone vocentur. Cornuum vero duo caeteris maiora, eo loco habere, quo cervus, aliud in medio capitis, ramuſculis circumſtantibus caeteris brevioribus ſitum, quo contra infeſtas beſtias pugnat. Iubatum gerere collum, et ungulas rotundas. Iohannes Agricola tridentem duntaxat in faſtigio cornuum habere, et in ſaltibus Poloniae reperiri prodidit. Iulius Caeſar bovem cervi figuram facit, cuius a media fronte inter aures, unum cornu exiſtat excelſius, magisque directum his, quae nobis nota ſunt cornibus. Ab eius ſummo, addit, ſicut palmae ramique late diffunduntur. Deſcriptio Damiani a Goes, alci potius, quam Rangifero competit. Appollonium Menabenum Medicum ſi ſequimur, ſunt ex genere cervorum, altitudine et craſſitudine aſello pares, tibiarum gracilitate ſuperant. Caput habent inſtar vituli, collum iubatum velut equus, cornua frondoſa, laevia, gracilia, oblonga, ad tergum porrecta. Caetera, habita ratione et ſervata magnitudinis proportione, cervos communes imitantur. Taceo Iulium Caeſarem Scaligerum, qui rangifero ab Olao Magno tributa alci adſcribit. Utut vero ſit, diſtinctum ab Alce, vel inde colligere licet, quod Olaus Magnus rerum ſeptentrionalium peritiſſimus diverſis locis de iisdem agat. Inveniuntur in Lapponia, Suecia, Norvegia, et vicinis Arctico locis. *Cibus* ei muſcus montanus, candidus, praeſertim hieme nivibus in ſuperficie ſoli coopertus, quas licet denſas naturae inſtinctu perforat, cibum quaeſiturus. Aeſtate vero foliis ac frondibus arborum, ſtando eundoque melius, quam ſe inclinando floribus ac herbis, propter cornua nimis antrorſum incurvata veſcitur, idque laterali et obliqua capitis inclinatione. Educti in tranſmarinas terras non diu ſuperſunt, ut in Holſatia et Pruſſia compertum. Huc a Guſtavo Rege Anno 1533. miſſi, et ſilveſtri libertate donati, an ſobolem reliquerint, nunquam comperiri potuit. Quia vero et ſilveſtres ſunt et domeſtici, horum lac, pelles, nervi, oſſa, caro, ungulae, pili, uſibus humanis inſerviunt. *Lac* nutrimentum eſt domeſticum, ſerum, potus. *Pellis* tegendis et corporibus et lectis, et equorum ſellis inſervit. Quia valida et tenax, ad culeos et diverſorum opificum folles adhibetur. *Nervi* loco lini conſuendis veſtibus deputantur. *Oſſa* et cornua ad arcus parandos ſumuntur. *Carnes* vento et fumo ſiccatae ad plures annos durant. Ungulae ſpaſmaticis proſunt. *Pilis* pro farciendis ſellis et pulvinaribus utuntur.

Caeſar. l. 6. de bello Gallico.

ARTICULUS X.

De Alce.

Aldr. Hiſt. Biſulc. c. 32

Sed et de fera *Alce* mire Auctores diſcrepant. Pauſanias ſpeciem inter cervum et camelum facit, naſci

Pauſan. in Eliacis, et Boeoticis.

apud Celtas, explorari inveſtigarique ab hominibus non poſſe, hominum odore a longe percepto, in foveas et profundiſſimos ſpecus ſeſe abdere. Secundum Caeſarem, ſunt in Hyrcinia ſilva, earumque conſimilis capris figura et varietas pellium, ſed magnitudine paullo antecedunt, mutilaeque ſunt corni-

Caeſar. l. 6 de bello Gallico.

bus, et crura ſine nodis articulisque habent, neque quietis cauſa procumbunt, neque ſi quo afflictae caſu conciderunt, erigere ſeſe aut

Plin. H. N. l. 8. c. 15.

ſublevare poſſunt, etc. Plinius jumento ſimilem facit, ni proceritas aurium et cervicis diſtinguat. Haud illi diſſimilem, notam in Scandinavia inſula, nec unquam viſam in hoc orbe, multis tamen narratam Machlin, ſed nullo ſuffraginum flexu, ideoque non cubantem, ſed acclivem arbori in ſomno, eaque inciſa ad inſidias capi, alias velocitatis memoratae. Labrum ei ſuperius praegrande, ob id retrogredi in paſcendo, ne in priora tendens

Solin Polyhiſt. 32. et 33.

involveretur. Idem apud Solinum legimus. Dodoneus huc Strabonis verba trahit, qui dicit: Alpes peculiaris formae belluam, ut memoriae prodidit Polybius gignere,

Strabo Geogr. l. 4.

habitu quidem ad cervi ſtaturam, collo duntaxat excepto et villis, in quibus capro per quam ſimilis eſt, gereregue ſub mento carnis globum ad palmae magnitudinem, capilloſum, craſſitudinem pro equini pulli cauda habentem. Cardanus alcem a Iulio Caeſare deſcriptam putat, aliis creditam, magnum animal appellat. Scaliger licet duas alces eſſe dicat, hoc tamen animal biſontem nuncupat. Olaus hanc feram alcem ubique vocat, et onagrum. Eraſmus Stella medium, quaſi genus inter equos et cervos alcem ponit, easdemque cornua quotannis amittere. Levinus Lemnius caprarum eſſe generis credit. Miechovius crura abſque articulis praelonga habere, ut biſontes, ait. Germanis dicitur **Elend**, ſeu miſeria, tum quod ſingulis diebus morbo comitiali laboret, nec citius ab eo levetur, quam dextri poſterioris pedis ungulam auriculae ſiniſtrae immiſerit, tum quod leviſſimo etiam vulnere accepto, exſpiret. Caeterum magnum animal ita deſcribit Cardanus. *Sub boreali polo animal naſcitur cervo ſimile, cruribus anterioribus longioribus, carneam babens promuſcidem, brevem tamen. Habet cornua peculari quadam forma praedita, et nulli ferme animali ſimilia. Nam craſſa ab imo, ubi aſcendunt, latiora palmo ſunt.* Menabenus vero hanc partium exteriorum deſcriptionem dedit. *Habet boc animal craſſitiem, altitudinem* et proceritatem mediocris et pinguis equi. *Humeri* depreſſiores et humiliores ſunt partibus poſterioribus. *Capite* aliquantulum pronum incedit. A ſummo capite uſque ad humeros, et maxime in cervice eſt huic magna *pilorum* prolixitas et ſilva, ita, ut collum et barbam hirci repraeſentet. In aliis corporis partibus pilorum longitudine non differt ab equo, ſed denſitate ſuperatur, craſſitie vero ſuperat. *Color* plerumque vergit ad cinericiam albedinem, pro viciſſitudine tamen anni temporum, pili varias habent in colore mutationes. *Caput* eſt oblongum et gracile, ſi conferatur cum toto corpore. *Labra* magna, prominentia et craſſa, et maxime ſuperius, quod *promuſcidem* Cardanus vocavit. *Os* longum. *Dentes* non admodum magni, nec longi. *Aures* longae lataeque. Foemineus ſexus cornibus caret, ac maſculinum genus multifida et ramoſa cornua producit, ſed non tam longa et frondoſa, ut cervi vulgaris. Latiuſcula ſunt craſſitie fere duorum digitorum tranſverſorum. Si unius cornu figuram ſpectas, triangularem fere formam deprehendes, et magnae

Cardan. l. 10. de ſubtilitate.

Lemnius in Mirac. Nat.

avis

avis alam extenſam dices, ſi pondus, duodecim fere librarum maiorum erit. Cornua, addit idem, mutat hoc animal ſtatutis quibusdam temporibus, ut cervi ſolent. Unum aliquamdiu fuit apud me, quod, ut matura poma ſolent, ſponte deciderat. Id ſtirpe manifeſte dignoſcitur, duo alia parva habeo, duorum aut trium forte ab ortu menſium, paullo ante animalis mortem abſciſſa, quae molli quadam lanugine, ſanguine etiam imbuta erant. Eſt praeterea obeſo et grandi ventre ut vaccae ſunt. Cauda mirum in modum brevis, ungulae bifidae, ut bobus. Et haec omnia *Dodoneus* ad alcem refert, quae alibi, DEO volente, examinabimus. De *Pelle* ſcribit Geſnerus, denſam et ſolidam eſſe, ut validos etiam ictus punctim caeſimque factos avertat, et ferrei thoracis inſtar hodie expetatur. Ad thoraces ab alutariis piſcium adipe praeparatur, ut imbrem arceat. A cervina, cui ſimilis eſt, inſpirata diſcernitur. Transmittit enim ſpiritum, ut ab oppoſita manu percipiatur, quod ſit meatibus plena, et concavos pilos habeat. Geſnerus tamen in ungula integra, quam cum ima parte tibiae piloſa ſe vidiſſe affirmat, nullam in pilis cavitatem reperit. Poſſunt tamen meatus, qui in vivis erant, in mortuis collabi, praeſertim longo poſt tempore. *Cornua*, idem libras circiter duodecim appendere tradit, eſſeque longitudine fere duorum pedum, non ramoſa, ut cervorum, mucronibus tamen aliquot diviſa, dodrantem lata, armi potius, quam cornu figura, et advehi ex Lithuania. Cornu vero magnae ferae nomine ad Aldrovandum miſſum, ſeptem tantum libras duodecim unciarum appendit, ea iuxta caput craſſitudine, ut vix manu comprehendi poſſit, quinque ornatum mucronibus hinc inde binis, mox ab uno latere, alio, et ab altero, etiam alterius oſtendens rudimentum, latitudo inter primos ramos trium fere dodrantum. Tota fere tibia ſimul cum unguibus libras pendebat tres cum dimidia. Icon, quae hic exhibetur Aldrovandi eſt. Ad *Naturam* ipſius ſpectat, quod animal hoc a venatoribus agitatum ad aquas confugiat, et aquam ore hauſtam, fervidam in canes evomat, quod raro ſolum conſpiciatur, ſed terra nivibus obtecta multa progrediantur ſimul: Unum procedit properando, ut occaſio poſtulat, alia ſingula ſequuntur eundem tenorem et modum ſervando, et primi veſtigia calcando, ita, ut ſi quis rei inſcius ipſa inſequatur, unius tantum veſtigia ſe cernere exiſtimet: quod ſitis laborisque adeo ſit patientiſſimum, ut diem noctemque immenſa ſpatia privatum cibo, conficere poſſit, quod pulli captu adeo ſucceſſive manſueſcant, ut naturali urgente ſiti maxima cereviſiae vaſa a diſcumbentibus propinata ebibant, quod tantam vim in ungula gerant, ut tactum ictu lupum illico interimat, et elabente cane, oppoſita arbor elidatur, quaſi fungus adeſſet. De *Vſu* in cibis, hoc dixiſſe ſufficiat, *Vſus* carnibus ubique veſci regionis incolas, et recentibus, et ſale conditis: craſſi tamen et melancholici ſucci apparere. In *Medico uſu*, *cornua*, *nervi*, et *ungulae*, laudantur. *Cornua* olim inter adſtringentia duntaxat habebantur, poſt inter antipileptica relata ſunt, modo inter feſtum aſſumtionis B. Mariae virginis et nativitatis eiusdem abſcinderentur. Alii, die Aegidii feſto demi debere opinantur. *Nervi* ad ſpaſmum in Suecia adhibentur. Modus adhibendi, zonam ex eo facere, et membro laeſo circumligare. *Unguis* ſeu ungula, Epilepſiae et hyſtericae affectioni convenit. Conditiones ad efficaciam requiſitae, ab Olao Magno ponuntur. Ungula exterior, inquit ille, dextri lateris poſterioris pedis onagri, ſic alcem vocat, maſculi, qui non genuit, abſciſſa a vivo pede ſecuri, vel alio inſtrumento avulſa, poſt medium menſis Auguſti, ſpaſmum aut morbum caducum patienti adhibita, continuo ſanat. Applicatur recte, ſi vel ſiniſtrae manus annulari adponatur, vel annulus ex eodem factus,

Geſnerus in Alce.

Natura.

eidem indatur, vel pars unguis ſiniſtrae palmae imponatur, manusque in pugnum complicetur, vel eiusdem portiuncula in aurem ſiniſtram miſſa, et aliquandiu veluti ſcalpendo moveatur. Suffocatae mulieri, raſura cum zedoaria, anaticis partibus feliciſſime exhibetur. Formulas ex ea antepilepticas in auctoribus vide.

ARTICULUS XI.

De Rhinocerote.

Rhinoceroti nomen a cornu, quod in nare pullulat, nomen datum eſt. Quidam apud Diaconum, *bovem Aegyptium* appellant: alii ex Pauſania, *Aethiopicum quadrupedem* ſeu taurum, ſed falſo. In Aegyptum non potuit, niſi fortuito caſu inferri. Pauſanias vero in Aethiopia taurum eſſe dicit, qui ob ſimilitudinem cornu ab ignaris Rhinoceros appelletur. Nullum animal eſt, cuius *deſcriptio*, inquit Aldrovandi continuator, magis ſit in lubrico. Et certe Plinius breviter ſe expedit. *Vnum ei in nare cornu, longitudinem cum elephanteparem, crura multo breviora, colorem buxeum.* Tantundem et Agatharchides apud Photium protulit. Nicolaus de Comitibus Venetus Rhinocerotem ſuillo capite, bovina cauda, elephantino colore, cornu bipedalis longitudinis gerentem nobis fingit in provincia Mangi. Aelianus, qui Graecorum permultis et Romanorum viſum et bene notum deſcribere frigidum eſſe putat, in ſumma nare cornu gerere ait, mucronis acuti, robore nec ferro quidem concedens, pellem tantae firmitatis, ut aegre iaculo penetrari queat. De *Cornu* maxima eſt diſcrepantia. Tertullianus unum tantum adſignat: Martialis vero duobus depraeliari ſcribit. Utrumque hoc, ſecundum eundem in capite, ſecundum alios in humero dextro alterum et brevius eſſe. Nummus Domitiani utrumque in naribus ponit. Alii maius cornu in naſo, minus in fronte, aliquo ſupra ſpatio collocant. Sed nec de *forma* eiusdem conveniunt. Alii rectum inſtar tubae, linea nigra transcurrente ponunt, alii ſine linea. Artemidorus apud Strabonem, qui Rhinocerotes longitudine parum ab elephantis excedere, magnitudine tauri, forma apro proxima eſſe ait, recurvum et omni oſſe durius facit. Diodorus ſimum, Agatharchides et Solinus repandum vocant. Addit Artemidorus, belluam duo cingula tanquam Draconum volumina dorſo usque ad uterum circumeuntia habere, alterum iubam verſum, alterum ad lumbum, haecque de ea a ſe dici, quod ſibi viſa eſſet. At Bontius, quem in Capra Pazaartica citavimus, quique Rhinocerotem vel centies non tantum caveae incluſum, ſed et in ſilvis vagantem vidit, ita nobis eum deſcribit. Cute e nigra eſt cinericia, inſtar Elephantinae, rugoſa admodum, cum profundis plicaturis circa latera ac in dorſo craſſam admodum habet pellem, ut, quae ictui Iaponicae machaerae facile reſiſtat. Neque enim haec beſtia, ut apud nos pingitur, ſcutis munita eſt, ſed hae plicaturae hos clypeos mentiuntur, neque una pars durior eſt altera. Roſtro eſt porcino, ſed ante acutiore, neque tam obtuſo, in cuius extremitate cornu iſtud extat, unde nomen ſortita eſt bellua, aliud altero maius pro aetate Rhinocerotis. Colore etiam cornu variat, modo nigrum, modo cinericium, modo album eſt. Magnitudine autem corporis mediocris ſtaturae, Elephantem proxime accedit mediocrem, niſi quod pedibus ſit longe humilioribus, et propterea etiam tam conſpicuum non eſt animal. *Locum* ſi quaeras, invenitur in Africae deſertis, Abaſia, multis Aſiae locis, regno Bengalae, et lacatru. Nec aevo Ariſtotelis Graecis notus erat, nec Romanis ante annum urbis conditae DCLXVI.

Diacon. l. 16.
Pauſan. in Boeoticis.
Diodor. Sicul Bibliothec. l. 4.
Solin. Polyhiſt. c. 63
Plin. H. N. l. 7. c. 20.
Bontius Medic. Indor. p. 16.
Photius Biblioth. Cod. 250.
Ael. H. A. l. 17. c. 44.
Tertull. l. 3. contra Praxeam.
Rer. Indicar. relat. l. 3. c. 7.
Strabo Geogr. l. 16.
Locus.

Quis

RHINOCEROS. *Hornmaſe Rhinoceer.*

RHINOCEROS. Hermann del. Simon

Tab: XXXIX.

Camelo-pardus seu Girafra.

Camelo -

pardalus.



Camelus Indicus
Indianisch Camel .
Camelus .
Ind: Kamelthier .
Camelus Indicꝰ
Verſicolor .
Alius Camelꝰ



Dromedarij

Casp: Merian fecit

Dromedarij

Camelus

Kamel



Camelus Bactrianus seu Dromedarius.

Camelus.



Camelo.

Dromedarius

Camelus

Casp: Merian fecit



Tab: XLV

Lea Capra



Ouis Cretenſis.

Camelo - Pardalis.



Ovis Peruana.

Tab: XLVI

Aries Guineenſis.

Zaino ſ. Tajacu. Porcus ſyluester.

Porcus Guineenſis.



Quis primus monſtraverit, inter antiquarios non convenit. Dio ab Auguſto primum in triumphali pompa traductum ait: At Plinius Cn. Pompeium ludis primum exhibuiſſe tradidit. Ideo Solinus: Ante ludos Cn. Pompeii Romana ſpectacula Rhinocerotem neſciviſſe reliquit. Herbis et virgultis perquam ſpinoſis veſcitur, nam linguam habet aſperrimam. De *Natura* hoc duntaxat conſtat, cum Elephante inimicitias gerere, nec ſaevire in hominem, niſi laceſſitum. Dimicaturus cornu ad ſaxa limato praeparat ſe pugnae, in dimicatione alvum maxime petens, quam ſcit eſſe molliorem, perruptoque carnium ambitu exanguem facit, quod, ſi alvum contingendi copia non datur, contra ipſe a proboſcide et dentibus ictus deficit, et opprimitur. Irritatus, inquit Bontius, hominem ſimul et equum, tanquam pulicem proſternit, quem deinde lambendo necat, dum aſperitate linguae cute ac carne usque ad oſſa hominem denudat. Sclopeto laeſus, dum per ſilvas fugit, quicquid obvium eſt, cum ſummo fragore ac horrore audientium proſternit, etiam ſatis craſſas arbores. Hiſtoriam inſignis eius ferocitatis vide apud eundem. Huc pertinet ex eodem et illud, quod coeno mirifice gaudeat, nec prius etiam irritatus vindictam exerceat, quam catulo ſuo providerit. *Voce* ſues imitatur. Grunnit enim. *Carnibus* veſcuntur Mauri, quae tam nervoſa, ut dentes ferratos exigat. Cutis in vino macerata a Zacuto in malignis propinatur. Cornu veneno extinguendo quidam propinant, lautioribus apud Romanos pro gutto in balneis erat. In eo oleum aſſervabatur loturis idoneum. In *Genera* quaedam diſtingui, affirmare non auſim. Dicitur tamen in Africa deprehenſus magnitudine aſini ſilveſtris, cornu bicubitali, pedibus cervinis, auribus equinis, cauda bovina.

o Hiſt. 1.
in H. N. .c.20.
lin lyhiſt. o.
ntius

CAPUT III.

De Ruminantibus non Cornigeris.

ARTICULUS I.

De Camelo.

Hactenus de ruminantibus Cornigeris actum eſt, ſequuntur non ruminantia, *Camelus* nempe, et *Camelopardalis*. *Camelus* vel ab Ebraico Gamal, quod Camolum ſignificat, vel a κάμνω laboro, quod ſit animal ad labores doſſuarios aptiſſimum, vel ab χαμαὶ humile et breve, quod, quando onerantur, ut humiliores fiant, accumbant, vel quaſi κάμπτος curvus, quod media femora curvet, utpote iuxta crurum altitudinem conciſum ac decurtatum, ut Artemidorus ex Eveni ſententia derivat, dicitur. Biſulcum eſt animal, ſed ita, ut a poſteriore parte ad ſecundam usque digitorum flexionem *pes* bipertiatur, at anterior leviter bipartitus ſit, ad primos usque eorundem nodos, fiſſurarum vero intervalla expleat quid, quale et anſeribus. Peculiaris ipſis in dorſo *gibber*, quo caetera animalia carent. Habent et inferne alterum ſuperiori ſimile, quo reliquum fulcitur corpus, ubi genua ſubmittit. Papillae ei quaternae, quot et vaccis. *Cauda*, aſininae ſimilis. *Genitale* pone idque tam nervoſum, ut ex eo confici poſſit, quo arcus fidiſſime intenduntur. In unoquoque crure genu unum, neque plures plicaturae, ut Herodotus innuit, verum tot videntur, quod alvo ſubducta ſunt. Similis bubulo *talus*. *Clunes* pro corporis ratione exiguae. *Fel* non diſcretum, ſed venulis quibusdam confuſum. Nulli in ſuperiore maxilla priores *dentes*. Soli ex non cornigeris duo ventriculi, quod ſpino-

drov. iſt. Bi- lic. c. 34.
eſcriptio. riſt. H. A. c. 1. calig. c. 6
Ariſt. H. A. l. 5. c. 2.
Herodot. in Thalia.
Ariſtot. de partib. animal. l. 3. c. 14.

ſpinoſum ligneumque alimentum depaſcatur. Ideo et membrana oris interior ex toto aſpera eſt, et ea, quae ventribus obducitur ſimiliter. Medullae et ſevi apud auctores quoque mentio. *Locus.* Reperiuntur in Africa et Aſia, apud Bactrianos inprimis et Arabes. Anaxagoras etiam in Ionia ad urbem Clazomeniam, agros ſuos gregibus et camelis depaſcendos reliquit, ut ex Suida vertit Hieronymus Wolfius. Plutarch. in Lucullo. Romae ſuperato ad Rhyndacum amnem Mithridate, primum viſos putavit Salluſtius, at poterant bello Achaico et Aſiatico videri. Lucian. in Prometheo. Ptolomaeus Lagi Bactrianam totam nigram inter alia ſpectacula exhibuit. *Cibus.* Delectantur ſpinoſo ligneoque alimento, iunco praeſertim, cuius ſummitatem ſaepenumero abrodunt. Galen. Antid. l. 1. c. 14. Sed nec hordeum purum vel cum foeno, vel gramen tenue et humile negligunt; ſaepe et carduis contenti. Vartom. l. 1. c. 7. Hodie Arabiae deſerta transmittentibus hordeacea liba quinque, quae malum Cydonium magnitudine non ſuperent, quotidie dantur. Solin. Polyhiſt. c. 62. De *Potu* ita Solinus: Sitim etiam in quatriduum tolerant, verum cum occaſio bibendi data eſt, tantum implentur, quantum et ſatiet praeterita deſideria, et in futurum diem profit. Lutulentas aquas captant, puras refugiunt, denique niſi coenoſior liquor fuerit, ipſi aſſidua proculcatione limum excitant, ut turbetur. At recentiores etiam in duodecim immo in quindecim dies totos, ſi fors ferat, abſtinere potu ſolere ſcribunt; immo oculatorum fide conſtat, in hara et Biled Elgerid nunquam bibere, quam diu viride gramen, quod depaſcant, invenire poſſint. *Generatio.* Plin. H. N. l. 10. c. 63. De *Generatione* hoc habemus, a C. Plinio prodi, averſum coire, ab Ariſtotele non item. Huius enim verba: Cameli ſedente foemina coeunt, nec averſi, ſed complectente mare ut caeterae quadrupedes agunt, et Ariſtot. H. A. l. 5. c. 2. coitum toto die exercent. Petunt receſſuum ſolitudines, cum libet coire, nec aliquis eo tuto accedere poteſt, praeterquam paſtor armenti. De geſtatione et partu, non conveniunt auctores. Suidas, decem menſes geſtare, undecimo parere, et anno intermiſſo rurſus prurire ſcribit. Secundum Plinium duodecim menſibus ferunt, a trimatu pariunt vere, iterumque implentur a partu. Ariſtoteles vero, geſtationi duodecim duntaxat menſes aſſignat, et ſemper unum tantum modo parere, et quidem, κατὰ τὸν μαιμακτηριῶνα μῆνα, ſcribit. Alibi tamen decem duntaxat menſium meminit, et vernalis temporis. Tres inprimis hoſtes habent, *Equum*, *Leonem* et *Tabanum*. De equo Cyri hiſtoria teſtatur, qui immiſſis contra Croeſi equitatum camelis, eundem diſſipavit, quod equi ne olfactum quidem camelorum paterentur. A leonibus infeſtari, Aelianus auctor eſt. A Tabanis ne infeſtentur, omnium piſcium adipe Arabes eosdem inungunt. Inter *Morbos*, quibus vexantur, podagra eſt et calvities. Illa facile moriuntur, hanc cum hominibus communem habere, proditum auctoribus. Rabie corripiuntur geniturae cupidi, adeo, ut iniuriae aliquando illatae memores, in obvios et ductores ad internecionem usque deſaeviant. Quadraginta diebus totis id fieri, quidam prodidere. Affectionem deſcribit Hieronymus, in quibus inquit: Camelum Bactrum enormis magnitudinis, qui multos iam obtriverat, triginta et eo amplius viri, diſtentum ſolidiſſimis funibus cum clamore adduxerunt. Sanguinei erant oculi, ſpumabat os, volubilis lingua turgebat, et ſuper omnem terrorem rugitus perſonabat immanis. De *Aetate* non convenit inter ſcriptores. *Aetas.* Ariſtoteles plusquam quinquaginta annis vivere ſcripſit. Solinus in centum durare, niſi forte translati in peregrina, inſolentia mutati aeris morbos trahant. Plinius quinquagenis annis, quosdam et centenis vivere prodidit, quod de Bactrianis ab Aeliano ſumitur. Ad *Ingenium* et *Mores* ſpectant, *vindicta*, *docilitas* et *muſices amor*, *verecundia*, *pietas* et φυλοσοργία. Percuſſus aliquando iram reponit lon-

Ariſtot. A. l. 5 c.

Arist. H. l. 6. c. 26 Innocuit

Aelian. A. l. 17. 36.

Morbi. Ariſtot. A. l. 8. c.

Hieron. in vita Iarionis

Ariſtot. A. l. 6. c. Solin. Polyhiſt. c. 62. Plin. H. l. 8. c. 1 Aelian. A. l. 4. c. *Ingenium*

ſil. He-
n. ho-
l. 8.

go tempore, et ubi occaſionem nactus fuerit, malum retribuit. Ad tympani ſonitum choreas ducere edocetur. Includitur, inquit *Leo Africanus*, iunior camelus, ubi pavimentum praecalidum ſit, ut alternatim pedes attollat, dum calor urget, idque frequentiſſima alternatione facit, dum hunc, dum illum pedem attollit pungente calore, atque interim ſemper ad fores tympanum

o Afri-
nus in
risa.

percutitur. In ſchola huiusmodi ſcholaſticus hic exercetur ad annum integrum, aut circiter. Uſu igitur confirmato hac diuturnitate, quotiescunque tympani ſonitum audierit, eadem pedum alternatione, eodemque loco perſiſtens, dum inſonet tympanum, choreae ductum ſpectatoribus prae ſe fert. Muſica delectari vel exinde colligas, quod feſſus non verberibus, ſed cantu ad

iſtot. in
rabil.

progrediendum invitetur. In matrem tanta eſt reverentia, ut eam nunquam ineat, nec ſe, ut faciat, cogi patiatur. Opertam cum aliquando violaſſet, admiſſorem paulo poſt necavit. *Verecundiam* de generatione expoſuimus. *Pietatem* compaſſio exprimit. Tota nocte manducant, quod ſi aliquis in ſtabulo aegrotet, cibo abſtinent. φιλο-

zetzes
hiliad.
. c. 404.

ξενίαν Indi detexere. Cum celeritate maxima uti cupiunt, foetus cameli per aliquot milliaria cum matre abducunt, illa abacta, pullos relinquunt. Dum redeunt, mater paſſus dupplicat, quo citius pullis reſtituatur. *Vſum* in pluribus praeſtat. In *Medicina caro* provocat urinam. *Adeps* gibbi ſuffumigatus confert haemorrhoidibus. *Cerebrum* exſiccatum cum aceto epilepſiae. *Fel* cum melle potum anginae. *Sanguis* conceptioni et praefocationi matricis, ſi poſt purgationem menſtruorum adhibeatur. *Lac* ventrem lenit, valde ſubtile et aquoſum, aſthmati confert, et deſiderium cibi

Plin. H.N.
. 28. c. 8.

excitat. *Vrina*, quae fullonibus utiliſſima, quod apud Plinium legimus, ad dentes quoque dealbandos et purgandos, vim habere credebatur. *Cauda* arefacta ſolvit anum.

Apul. l. 1.
Apol.

Fimi cinere cum oleo miſto criſpatur capillus. Idem albus cum melle tritus tumores reprimit, et vulnera mundat. *Setae* e cauda contortae et alligatae ſiniſtro brachio quartanis medentur, ſi credere fas eſt. Invenit et *in cibis* locum. Arabes novimus camelorum lacte veſci. Car-

Galen. l. 1.
de Alim.
facult. c. 2.
Lamprid.
in Heliog.

nes, teſte Galeno, Alexandrinis in uſu. Heliogabalus aliquoties in coenis exhibuit, et calcanea, quia maxime tenera, Apicii exemplo, comedit. Apud Iudaeos inter vetitos cibos habebatur. Carnem et lac quidam inter ſuaviſſima cenſent. Hoc partui vicinarum caſeoſae et butyroſae ſubſtantiae minus habet. In *bellis* adhibitos paſſim apud Hiſtoricos habetur. Hinc armaturae, qua in expeditionibus muniuntur, nomina, de quibus ſi DEUS voluerit in Philologicis. Itinera in Arabia, Agypto, etc. vel hodie absque camelis confici non poſſunt. Sunt et

Solin. Po-
lyhiſt. c. 62

oneri ferendo accommodati, ſed nec ultra iuſtum pondera recipiunt. Sexcenta pondo communiter geſtant, licet, ſi neceſſitas urgeat, mille ferre poſſint. Dum onerantur, aut onere levantur, in ventrem procumbunt, et ut ſentiunt ſe aequale viribus ſuis onus impoſitum, exſurgunt, nec plus recipiunt. Africani moleſtias itineris non intermiſſi quinquaginta diebus totis haud aegre ſuſtinent. Species camelorum apud

Differentiae.

veteres ſunt variae Sunt pingues, macri, fuſci, albi. Dedit et curſus differentiam. *Dromedarii* enim et *Dromades* dicuntur, qui minoris quidem ſunt ſtaturae, ſed curſus perniciſſimi. Centum et amplius milliaria uno die peragere ſolere Iſidorus

Ariſtot. H.
A. l. 9. c. 50.

Hiſpalenſis habet. Ariſtoteles equis Niſanis vel potius Niſaeis praeponit. Foeminas eſſe velociores ab Achmete Seirimio et aliis obſervatum eſt. Praecipua differentia a regionibus ſumitur. Sunt *Arabici*, *Bactriani* et *Caſpii*. Illi, bina tubera in dorſo habent. Unde δίτυλοι et δικύρτοι

Solin. Po-
lyhiſt. c. 62

dicuntur. Iſti fortiſſimi habentur, et ſingula in tergo tubera, alterum vero in pectore, cui incumbant, gerunt. Hos ad equorum maximorum magnitudinem accedere,

Aelian. H. A. l. 17. c. 34. Aelianus ait. Moderni de Differentiis Africanorum ita agunt, et in his

Purchaſ. Peregrin. l. 6. c. 1. ſ. 2. *Samuel Purchaſius.* Camelorum tres ſpecies habent. Prima vocatur *Hugium* ingentis ſtaturae et roboris pondo mille librarum ferens. Secunda minor, duplici in tergo tubere, oneribus ferendis et equitationi apta, *Becheti* dicta, quam ſolam Aſiatici agnoſcunt. Tertiam vocant *Ragvahil*, macilentam et gracilem, ad ſola itinera non accommodatam. Eam quippe inequitant, conficitque uno die amplius, quam centum paſſuum millia. Atque iis Rex Tombuti ſolet mittere nuntios Segelmeſſem aut Darham, nongentis millibus paſſuum diſtantem, ſeptem aut ad ſummum octo diebus, ſine ulla in itinere mora aut requie.

ARTICULUS II.

De Camelopardale.

Aldrov. Hiſt. Biſule. c. 35. Camelopardalis, ſeu ut aliis placet paullo barbare, Camelopardalus, a Camelo et Pardale nomen ſortitus eſt. Corporis vaſtitie Camelum, macularum varietate Pardum imitatur. De caetero ſi Varroni attendimus, nomen hoc Alexandria, unde iſtud animal Romam erat adductum venit. Multas autem ſortitum eſt appellationes. Dicitur enim *Ovis fera*,, quod in aviis regionibus degat, et ovi manſuetudine reſpondeat, *Nabis* apud Solinum, *Nabuna* Aethiopibus, ut apud Plinium legitur, *Anabula* et *Saffarat* Alberto M. quae nomina ex aliis detorta eſſe iudico, *Graſius* Maiolo, ſed falſo, cum Vincentius Bellovacenſis pulcerrimum animal eſſe ſcribat, Camelopardus vero ſit deformis, modernis denique *Giraffa*, ex quo Saffarat corruptum eſt. Nec Ariſtoteles eius meminit, nec Aelianus, Strabo vero et Agatharchides ex veteribus in diverſa in eo deſcribendo abeunt. Hunc ſi ſequimur, varietatem a Pardale habet, magnitudinem a camelo, monſtroſam craſſitiem, collum adeo longum, ut ſummis arboribus pabulum carpat. Apud illum legimus, nullare pardali ſimilem, cutis varietate hinnulo ſimillimum. Addit, virgatis pilis diſtingui, poſteriora humiliora eſſe anterioribus, ut a cauda ſedere videatur ad bovis altitudinem, verticem ſublimiorem camelo habere, ne feram quidem eſſe, ſed pecus. Plinius collo ſimilem facit equo, collo et cruribus bovi, capite camelo, albis maculis rutilum colorem diſtinguentibus. Dio partes poſteriores humiliores habere ſcribit. Heliodorus tenuem cervicem, de reliqua corporis mole in olorinum collum ſe tendere ait. Inter recentiores exquiſitiſſime Bellonius et quidem oculatus teſtis deſcripſit. Giraffam inquit, Graeci et Latini vocant Camelopardalem. Vidi in urbe Cairo tres, duo cornicula ex fronte eminebant circiter ſex digitos, in fronte media tuberculum exiſtebat, velut tertium cornu, altum circiter duos digitos, collum longum ſeptem pedes, cum caput extollit, ſedecim pedes a terra effert. Illius longitudo a cauda ad capitis verticem eſt duodeviginti pedum, tibiae tam altae poſteriores, quam priores, at femora anteriora longe altiora poſterioribus. Nimirum dorſum a cauda ad ſummum verticem capitis, velut ſcala, velutque tectum carinatum attollitur. Totum corpus grandibus maculis diſtinguitur coloris cervini, obquadratis, ſed in collo magisque in corpore quoquo verſus latis circiter dodrantem, at clauſula macularum alba digito latior. Itaque totum corpus reticulatum eſt, neque tamen, ut Pardalis maculas habet rotundas, ſed aut obquadratas, aut rotundas. Pes eſt bifidus, ut bubulus, labrum ſuperum longe eminet infra inferum, cauda tenuis et exigua, in acumine piloſa. Iubam habet, ut equus,

Varro l. 4. L. L.

Solin. Polyhiſt. c. 43.

Strabo Geogr. 116.

Agatharch apud Phot. in Bibliotheca.

Deſcriptio.

Plin. H N. l. 8. c. 18.

Dio Hiſt. l. 43.

Bellon. obſerv. c.

Verres . Eber .



Aper . Wildschwein .

Scrofa Mock

Porcus pumilo Taxus porcino



Aper. Wildschwein

equus, a dorso ad capitis verticem. In gradiendo claudicare videtur, nunc dextris, nunc sinistris, non modo cruribus, sed etiam lateribus, cum ex terra aut potum aut cibum necesse haberet, crura latissime distendebat priora. Nonnisi enim late diductis, longeque diu arcuatis tibiis, cibum ex terra capere potest. Addendum ex Iosaphati Barbari Veneti itinerario, linguam duos pedes longam, subobscuri quasi violacei coloris, teretem sicut anguillis, habere, hac ramos, frondes, herbasque carpere, mira celeritate in os trahendo, ut vix ab attento spectatore videatur. Purchasius ex Fernando Iesuita, tam vastum animal esse scribit, ut eques rectus sub eius dorso transire possit. *Reperitur* in Africa, apud Troglodytas, ut ex Strabone habemus, et Aethiopia. Romanis omnium primus ludis suis exhibuit Caesar Dictator, postea Gordianus decem exhibuit, Aurelianus aliquot in triumpho duxit. Leoni Imperatori oblatus est ab Aethiopibus, Frederico a Sultano Babylonio, Laurentio Mediceo ab alio Sultano. Tractu motuque tam facilem hanc feram Heliodorus prodit, ut eam quo velit, tenui capistro vertici devincto, veluti fortissimo vinculo magister perducat. Iudaeis prohibita est in cibis. Unde forte frequentiorem olim in Iudaea fuisse colligas.

Locus.

Solin. Polyhist. c. 43

Suidas.

CAPUT IV.

De Quadrupedibus non ruminantibus.

ARTICULUS I.

De Sue.

men.

Quinque in descriptione Suis occurrunt nomina, videlicet, *Sus*, *Porcus*, *Scropha*, *Verres*, et *Maialis*. *Sus* Graecis est ὗς, nomen et Apro commune, unde latinum fluxisse videtur. Olim, ut verbis Varronis utar, dicebatur *Thysus* dicta, ab illo verbo quod dicunt θύειν, quod est immolare. Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium primum sumtum videtur, cuius vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, et quod initiis pacis foedus cum feritur, porcus occiditur, et quod nuptiarum initio, antiqui Reges ac sublimes viri in Hetruria in coniunctione nuptiali, novus maritus et nova nupta primum porcum immolant. Prisci quoque Latini et etiam Graeci in Italia idem fecisse videntur. Nam et nostrae mulieres, addit idem, maxime nutrices, naturam, qua foeminae sunt appellant procum, et Graece χοῖρον, significantes esse dignum insigni nuptiarum. *Porcus* Isidoro quasi spurcus dicitur, quod se coeno et limo illinat, immergat et ingurgitet. Varronis locus, in quo dicitur, Porcus, quod Sabini dicunt de Aprino Porco Porridus, inde Porcus nisi a Graecis, quod Athenis in libris sacrorum scriptum est, κάπρω καὶ πέρκῳ, difficilis nimis est. Videtur tamen esse Graecum antiquum, sed obscuratum, quod nunc eum vocant χοῖρον. *Scropha* originis est incertae. Quidam ex sono fictum nomen aiunt. Graecis est γρομφὰς et σκρόφα. Significat suem, quae saepius peperit, et aliquando pro ipsa porca peculiariter sumitur. *Verres*, dicitur porcus non castratus et mansuetus. Marcellus silvaticum pro apro dixit. *Maialis* est verres seu porcus castratus, ut inter equos canterius, inter gallos gallinaceos capus. *Hybridas* antiqui vocabant sues semiferos, id est, ex domestico et fero progenitos. *Descriptione* notissimi animalis etsi opus non videatur, paucis tamen singularia quaeque attingemus, et quidem

rro R. l. 2. c. 4.

Isidor. l. 12. l. 1.

dem perſaturam. *Oſſibus* itaque parum medullae ineſt, *Pili*, qui, quod rigidiores et erecti, *ſetae* dicuntur, craſſiores ſunt, quam in bubus et elephantis, apud nos fere rufi, in Galia et Italia nigri, in Provincia, quod ſi bene a nobis obſervatum, plerumque verſicolores, qui in cervice rigent, λοφιαν vocamus. *Pinguedo* inter cutem et muſculos collecta *lardum* dicitur, axungia vero, adeps ſuillus inveteratus, aut cum ſale, aut ſincerus. *Cerebrum* pinguiuſculum eſt, et magis minuitur luna decreſcente, quam ulli animali. *Oculi* cavi profundique, ut ſine vitae periculo eximi non poſſint, quare vel altero tantum privati extinguuntur. *Supercilia* naſum verſus deorſum nutant, ad tempora vero retrahuntur. *Naſi* pars extrema craſſa eſt, *frons* anguſta, *labra* lata. *Os* totum valde porrigitur, et, ut facilius infodiat, latum eſt. *Roſtrum* dicitur, et cutem in eo callum Grammatici vocant. *Dentes* foeminis pauciores ſunt, quam maribus, nec unquam decidunt. *Corium* circa cervicem durius, κέλλοπα vocant. *Corda* inarticulatiora habent ſues. In *auriculis* invenitur humor quidam felli ſimilis, minus tamen liquidus, ſed denſitate ſua humori ſplenis ſimilis. *Ventriculus* amplus eſt flexuoſusque, ut diutius concoquat cum levibus et paucioribus cruſtis. In *iecinore* lapilli candidi inveniuntur. Caro exos infra umbilicum *Spectile* dicitur. Plures habent foeminae *Mammas* toto ventre duplici ordine, quod numeroſo foecunda ſint partu, generoſae duodenas, vulgares binis minus. Eaedem *genitale* ea continent parte, qua pecoris ubera habentur, et cum per libidinem turgent ac pruriunt ad coitum, ſurſum tantisper hoc retrahunt, vertuntque foras, ut inde mari coitus ſit facilior. Reſciſſum id longe productius, et deſcens amplius eſt. *Apria* vulvae inter foemina adhaeret, qua maribus teſtes maxime continentur. *Caudam* intorquent, et talo probiore carent inter ſolipedes et biſulcos ambigui. Sine *Liene* putantur inveniri, qui vel ex tamariſcinis alveis bibere, vel radicem ſplenii comedere. *Coſtas* iisdem denas apud Plinium legimus. Sed de interioribus ſuis ita Severinus. In ſue aſperae arteriae circuli cartilaginei oblique deſcendentes. Verum cum primus circulus, qui latiſſimus eſt omnium, ſit paulo minor, quam transverſus, caeteri vero inferiores ſint obliqui, neceſſario inter hos, et primum erat intercapedo, quae ut compleretur, poſuit natura quartam circuli partem, qua reſpicit poſteriora latiorem, qua vero in anteriora deſinit, auctam. Aliud eſt notandum ab his non diſſimile: In circulis paulo inferioribus, quam ſint medii, fecit natura duos ſemiſectos, qui ſibi parte acutiore invicem occurrunt, cuius varietatis uſus adhuc ignotus. In inteſtinis tenuibus ileo quippe, parte externa tubercula quaedam viſa duriuſcula feminis lentis magnitudine et figura, quae, me trahente, ſecuti ſunt ab interna parte lumbrici duo, alter longitudine palmi, alter longitudine digiti. Uterque cavus et plenus ſucco albo veluti chylo aut coloſtro, formam autem referebant ambo veri lumbrici terreſtris. Diſce igitur ſic haerere lumbricos humanis inteſtinis. Illa autem durities nodoſa, in quam inſertum erat os lumbrici facta eſt, puto, ab ulcere et morſu lumbrici. Cuticula in ſue concolor eſt pilis albis nigris, etc. De *utero* vero ſuis a ſe ſecto, ita ſcribit. Praeterea, quae ſcribit Sylvius, in extremis cornubus appendices quaedam membraneae exungues, in quibus, ut apparet, reſervantur fecum et urinae recrementa. Vena umbilicalis bifida, cum appropinquat utero, umbilicalia vaſa primo ſub alam ſiniſtram tendentia, mox cervicem transverſim amplectentia, revolvuntur extrinſecus ad brachium dextrum. In foetu vero ipſo circiter menſtruo omnia fere viſcera interna conſpicua. *Hepar*, ventriculus, inteſtina, lien, renes, diaphragma, cor, pulmo. Cor albidum, pulmo concolor hepati, hepar rubrum opacum, renes magni, pro ratione venae

Plin. H. N. l. 11. c. 37.
Ariſtot. H. A. l. 2. c. 1.
Ariſtot. l. 3 de partib. c. 4.
Ariſtot. H. A. l. 6. c. 18
Zootom. Democrit. p. 299.

nae apparentis per rectos pedes anteriores, posteriores, sed magis per posteriores. Item iugulares etiam illae, quae ad caput ascendunt, labdae quasi figuram facientes. In porcello vero perfecto detecto thorace per transversas duas sectiones, primum intueris nervulos duos, qui iugulum perforantes et pericardio adhaerescentes recta per cordis latera descendunt ad diaphragma, cuius circulo nerveo inseruntur per duos ramulos aut tres, hinc transit alius ramus ad ventriculi os superius. Vides hic conspicue divaricationem venae axillaris et thymiaeae. *Auriculae cordis* intus cavae, divulsae a corde parte anteriore, coniunctae posteriore. Processus *urachi* a fundo vesicae post latos digitos duos inseritur in arterias. In fine *penis* glandula rotunda. In cervice *vesicae* glandulae duae ad hanc committuntur vasa eiaculatoria, quae, ut apparet, ad prostatas, alias glandulas, mediis venis deferuntur, et hinc ad exortum penis. In *ventriculo* et intestinis succus viscidus colore in ventriculo, ut ovi album, in intestinis vero, ut mel dilutius. Vena sine pari in medio spinae ad costas singulas utrinque mittens ramasculos. Ubique fere in nostris regionibus invenitur. Strabo Galliam togatam suibus ita abundare suo tempore scripsit, ut et porcorum gregibus, qui ibi alebantur, Roma aleretur, ex Lugdunensi vero Gallia optima salsamenta eo apportarentur. Sed et Syracusae proverbium obbonitatem meruere. *Caseus Siculus a Syracusis sues.* Solinus nullos in Arabia haberi prodidit, nullos in India Aelianus, ita, ut ne nasci quidem illatos exspirare putent. At in terra Australi nihil esse quadrupedum, quae in nostro orbe inveniuntur, praeter bubalos, vaccas, capros, et porcos, Hesselius Gerardus in descriptione terrae Australis reliquit. Quantum ad *Cibum*, videntur sues esse quasi παμφαγοι. Vescuntur ex plantis et earum fructibus, radicibus, glandibus, castaneis, dactylis, vinaceis, cytiso, bulbis, rapunculi silvatici radice, cicuta, cicere, hordeo, tritico, furfure, et aliis. Glans fagea suem hilarem facit, carnem coctibilem ac levem et utilem stomacho, iligna suem angustam, nitidam, strigosam, ponderosam, querna, diffusam, et gravissimam. Proximam huic cerream Nigidius facit, nec ex alia solidiorem carnem, sed duram. Iligna tentantur, nisi paulatim detur. Fungosa caro fit, esculo, robore, subere. Haliphlaei glandem attingunt quidem, sed nonnisi, cum aliud pabulum non suppetit. De Castaneis, postquam praestantiora genera recensuisset, ita subdit Plinius: Caeterae suum pabulo gignuntur, scrupulosae corticis intra nucleos quoque ruminatione. Dactylis in Aegypto, Cypro, Syria, et Seleucia Assyriae saginantur. Fraxini quoque fructu pingueſcunt. Cytisus aridus ab Aristomacho Athenienſi miris laudibus depraedicatur. Bulbi illud genus in Bavaria ideo suillum dicitur. Rapunculus vero ille silvaticus violarum folia habet acutiora, radicem candidam, dulcem, non sine lacte. Hyosciamo sumto insaniunt. Ad viridia pabula haud sine noxa deducuntur. Nec carnibus abstinent. Occisorum a latronibus corpora in silvis devorasse exemplis probari posset. Propriis foetibus non parcere, nec a gallinis aut anseribus hieme inprimis abstinere experientia me docuit. Effodiunt et lumbricos, limacibus quoque et testudinibus nemoralibus pascuntur. Pinguescunt sexaginta diebus, sed magis tridui inedia saginatione orsa. Fico, carica saginari, et a satietate necari, inventum Apicii fuit. Angli per integrum annum saginant, cuius pingue solidius et lautius fieri voluerint. Caeterum usque adeo sus pinguescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit, neque progredi usquam. Itaque eas, si quis quo traiicere velit in plaustrum imponit. In Hispania ulteriore in Lusitania cum sus esset occisus, Attilius Hispanienſis mini-

Plin. H.N. l. 16. c. 6.

Columella R. R. l. 7. c. 9. et 6.

Plin. H.N. l. 8. c. 51.

me mendax, et multarum rerum peritus, in doctrina dicebat, Lucio Volumnio Senatori missam offulam cum duabus costis, quae penderet III. et XX. pondo, eiusque suis a cute ad os, pedem et III. digitos fuisse. In Arcadia spectavit Varro suem, quae pro pinguitudine carnis, non modo surgere non posset, sed etiam, ut in eius corpore sorex exesa carne nidum fecisset, et peperisset mures. Idem Basileae accidisse, Gesnerus prout accepit prodidit. Sitis ipsi per aestatem infesta, sed turbida aqua pinguescit, vinaceis vero colluviei immistis, inebriatur. De *Generatione* ita breviter Plinius: Sulli pecoris admissura, a Favonio ad aequinoctium vernum, aetatis octavo mense, quibusdam in locis etiam quarto, usque ad septimum annum, in aliis erat ad octavum annum. Partus bis in anno. Tempus utero quatuor mensium, numerus foecunditati ad vicenos, sed educare tam multos nequeunt. Diebus decem circa brumam, statim dentatos nasci, Nigidius tradit. Implentur uno coitu, qui et geminatur propter facilitatem abortiendi. Remedium, ne prima subactione, neque ante flaccidas aures coitus fiat. Mares non ultra trimatum generant. Foeminae senectute fessae, cubantes coeunt. His adde Luna decrescente coire, ut Plutarchus prodidit. Verrem unicum vel decem suibus implendis sufficere, subantis vero voce audita, nisi admittatur, cibum non capere, propter copiosum humorem multum ac diu coire, initum matutinum appetere, foeminas post meridiem blandiri, et si pinguet, omnibus anni temporibus, interdiu et noctu, inire posse. Idem antequam sit anniculus prolem vitiosam generat, at foemina annicula quidem parit, sed mense Februario iniri debet, ubi decimum quintum annum nacta est efferatur, nisi forte bene nutriatur. Subans vero in tantum etiam efferatur, ut hominem lacaret, candida inprimis veste indutum. Rabies ea mitigatur aceto naturae aspersо, nec praegnans venerem arcet. Eandem tantum coitu spumam fundere diligentiores observarunt. Quantum ad *Partum*, apud nos sedecim parere audio, inquit Gesnerus, sed raro saepe octonos vel denos. Pauciſſima prima partione edere, vigere secunda, nec senescentem copia foetus defici, quamquam lentius coeat, Aristoteles auctor est. Aliis placet, tot parere debere porcos, quot mammas habet. Foecundior tamen putatur alba. Foetus, qui in utero laesus minutusque fuerit, *Metachaerum* dicitur, quasi Posthumum voces. Pollux cordos et parvos porcos μεταχοιρα appellat. Hieme editi, fiunt exiles, et infelicissime nutriuntur. Helvetii Martio natos praeferunt. In calidioribus regionibus melior est hiemalis, quam aestivus. Cum scropha peperit, primas mammas primo, qui editus fuit porco praebet. Eae sunt faucibus proximae, et plurimum lactis habent. Suam quoque quisque novit in foetu, quo genitus est ordine eaque alitur, nec alia. Detracto illa alumno suo, sterilescit illico ac resilit. Uno vero ex omni turba relicto, sola munifex, quae genito erat attributa, descendit. Si gravidae glandem copiosius ederint, abortum faciunt. *Antipathiam* gerunt sues cum *Elephantis*, *Lupis*, *Salamandris*, *Vuguento amaracino*, *mustela*, *hyoscyamo*, *scorpionibus*, *equis*, et *novellis segetibus*. Elephas grunnitum eorum ferre non potest. Lupus συὸμυς seu compascuos agredi non audet ob vocem. Salamandras absque periculo devorant. Amaracinum unguentum ipsis venenum est. De Mustelae discordia apud Plinium legimus. Hyoscyamo enecantur. In Scythia a Scorpionibus unico ictu exanimantur. Equo, teter odor, turpis grunnitus, foedus halitus, infensa Cum dentes nunquam amittat, debiles tamen et tota vita infirmi reddantur, post gustatas segetes novellas, natura pene indomitam obscoeni pecoris ingluviem sic plectente,

Varro R. R. l. Plin. H.N. l. 11. c. 37.

Generatio. Plin. H.N. l. 8. c. 51. Aristot. H. A. l. 2 c. 1. et l. 5. c. 14. l. 6. c. 18.

Plutarch. de Iside et Osiride Plin. l. 10.

Columella R.R. l. 7. c. 9.

Plin H.N. l. 8. c. 51.

Aristot. H.A. l. 5. c. 14

Plin. H.N. l. c.

Antipathia

Phile in Carm.

Aelian. H. A. l. 9. c. 28. Plin H.N. l. 10 c. 74. Aristot. H. A. l. 8. c. 29.

ctente, quando aliter reprimi non poteſt. De *Aetate* hoc habet Plinius, oculo amiſſo putari cibo extingui, alioquin vita ad quindecim annos, quibusdam ad vicenos. Inter *Morbos*, quibus ſues laborant, eſt praecipue χάλαζα, ſeu grando, quae in viventibus latet, in diſſectis apparet, nec ulla fere eſt, quae non grandinis tria ad minimum grana habeat. Subiectae inprimis huic, quibus crura, collum et armi carne humidiore conſtant. Cognoſcuntur, quod in inferiore linguae parte haereant, et ſi ſetam dorſo evellas, cruorem pili inverſi radices exhibeant. Cum a magno fervore in frigidam incumbunt, praeſertim ſi non ſtatim pergere cogantur, membris omnibus convelluntur. Infeſtantur et a pediculis, et aeſtate, niſi frequenter excitentur, lethargo captae dormiunt. Corripiuntur et raucedine, angina, ſtrumis, et alvi profluvio. Niſi affatim biberint, pulmonariae evadunt. Ad *Ingenium* pertinet, quod de *brutalitate*, *ſpurcitie*, *immenſa libidine*, et *voracitate* dicitur. Maxime certe brutum eſt animamque ei pro ſale datam, haud illepide exiſtimabatur. Volutari in luto eſt eorum requies, ut lavatio hominis. Loca, in quibus ſe volvunt, volutabra dicuntur. De *Ardore in venerem* ſuperius diximus. Gryllus tamen apud Plutarchum ſingularem in eadem modeſtiam et continentiam probat. Non hic inquit, ut inter homines, foeminae ſimulatione ludunt, aut lididini, fraudes, praeſtigias denegationesque praetexere ſolent, neque mares, ſtimulo et luxuria agitati, mercede, labore, aut obſequiis coitum redimunt, ſed doli expertem et tempeſtivam ſectantur venerem, quae ſtato anni tempore cupiditatem animalium, velut germen quoddam excitans, illico reſtinguit. De *voracitate* etiam ſuperius aliquid attactum. Ne cadaveribus quidem ſui generis abſtinet. Inextinguibilis haec vorandi aviditas, Laphygemus dicitur, ut Caelius Rhodiginus obſervavit. Huc *vocum humanarum* intellectus pertinet. Compertum, agnitam Suarii, furto abactis merſoque navigio, reclinatione unius lateris remeaſſe. *Vox* ipſis eſt Grunnitus. De *Vſu in Cibo* verum fateamur neceſſe, quod Plinius dicit, neque alio ex animali numeroſiorem materiam ganeae, quinquaginta prope ſapores cum caeteris ſingulos. Nota apud Livium de Chalcidenſi hoſpite hiſtoſtoria, qui varietatem exquiſitam ciborum, et ſpeciem ferinae carnis ex manſueto ſue produxerat. Heroico aevo in pretio fuiſſe apud Homerum invenies, veſcebanturque macilenta ſervi, pinguior Dominorum uſibus cedebat. Solemnitas quoque Saturnalium, non alio pene cibo, certe non lautiore tranſigebatur, ut obſervavit Lipſius eoque itum luxuriae, ut et integri iique farti, unde Porcorum hortulanorum et Troianorum nomina, apponorentur. Taceo, ita artificiose apparaſſe, ut ab altera parte eſſet ὀπτάλιος καὶ κραμβάλιος, aſſatus et probe toſtus, ex altera vero iurulentus, utpote ex aqua coctus, ita etiam iugulatus, ut ἀσφακτος videretur, quod apud Athenaeum videre eſt. Porcelli tamen maxime in deliciis, quos δελφάκας et δελφάκια Graeci vocabant. Reperiuntur vero etiam, qui ſuilla in totum abſtinent, Iudaei nempe, quibus lege prohibita eſt, Arabes, quod apud Solinum legimus, Muhamedani, qui ex porcinaribus murem natam fabulantur, Mauri, Tartari, ut et olim prodente Pauſania, Peſſinuntii. Caeterum ſi de temperamento et quomodo ſe ad ſanitatem humanam caro ſuis habeat quaeras, Delphacum, qui et λακτινοδόπουλοι dicuntur humida eſt et ſuperfluitatum abundans, nec boni ſucci. Suilla Simeoni Sethi boni ſucci et facilis concoctionis, propter ſimilitudinem, quam cum humano corpore habet, magisque, quam alia cibaria alit. Hoc poſtremum et Galenus quidem concedit, athletarum exemplo fretus, ſed addit, bubulas in tantum lentore antecedere, in quantum bubulae

ta. in. H.N. 8. c. 51.

in. H.N. 8. c. 51.

Plin. l. c.

Livius Dec. 4. l. 5.

Lipſius in Saturnalib Macrob. Saturn. l. 3.

Athen Dipnoſ. l. 9.

Solin. c. 46

Galin. de Alim. facult.

hodig. ect. l. 25. . 26.

lae ſuillas craſſitie vincunt. Alibi tamen ex pedeſtribus probatiſſimum cibum ſuppeditare ait, quod et apud Hippocratem invenies. Idem porcinas pravas eſſe ait. Suaviſſima ſuis mediae aetatis, iuniorum, ſi diu in ventriculo retineatur, corrumpi ſolet. Athenaeus ex Sicilia tanquam praecipuas laudat. Apicius varie porcellos praeparabat. Unde farſilis, liquaminati, aſſi, Vitelliani, Flacciani, laureati, Frontoniani, Oenogerati, Celſiniani, tragani, et caeterorum nomina. *Iecur* omnibus praefertur, ſi quis animal arida ficu paverit, ut apud Aetium extat. Habitae tamen et aliae partes in pretio apud veteres, collum nempe, glandium, vulva electitia inprimis poſt porcaria, lardum, perna, petaſo, teſticuli, ſincipita, omaſum, et caeterae. Inter pernas laudabantur, Aſiaticae, Lyciae, Cerretanae, Italicae, nunc Britannicae, Weſtphalicae, Moguntinae, Ruthenicae. Ex carne et aliis fiunt, iſicia, proſecta, lucanicae, faliſci, ſundali, farcimina, hotelli, apexabones, tomacula, offa hira ſeu hila, afratum, tuceta, ſartutilli et alia, quae alibi DEO volente explicabimus.

Hippocr. de rat. victus in acut.

Athen. l. 22

Vſus in Medicina. *Vſum medicum* quod ſpectat, accuratiſſime iſte a Geſnero deſcribitur, *Carnium* decoctum opitulatur contra bupreſtim. *Sanguine* porci calido bene verrucae inunguntur, ubera vero ſuis ſanguine circumlita minus creſcere Plinius auctor eſt. *Axungia* porcelli maſculi lactentis caſtrati, illa maxime, quae in ventre intra carnem circa peritoneum ad unguenta paranda a pharmacopoeis adhibetur, a Medicis ad emollien-

Galen. de Antidot. l. 2.

Plin. H.N. l. 28. c. 9.

dum, diſcutiendum etc. Fracta oſſa lardum elixum atque circumligatum mira celeritate ſolidat. Panis illinitur cum calce. Cum geniſta tuſa genua dolentia ſanat. Cum vino ſalſo contra hyoſciamum bibitur, pecoribus quoque optime auxiliatur. *Iecur* cum vino ſumtum venenatorum morſibus medetur, aſſum alvum ſiſtit. *Veſica* urinam ciet, ſi terram non attigerit, pubi impoſita. Verrina uſta in potu feliciter contra mictionem in voluntariam exhibetur. *Teſticuli* inveterati, et in ſuis lacte triti contra comitialem morbum dantur. *Pernae* ſcrofinae os ampliſſimum combuſtum, gingivas ſiccat, et adſtringit. *Talus* combuſtus, donec e nigro albeſcat, et potus doloribus coli ſuccurrit. *Lac temporibus* inunctum vigilias compeſcit. *Succerda* in farinam redacta ruptis ex aceto ſalutaris eſt. Plura vide in Geſnero. De *Differentiis*, hoc duntaxat occurrit, alium eſſe *ſilveſtrem* de quo nunc agemus, alium *domeſticum*, de quo iam dicta accipi debent. Moderni ſcriptores *Guineenſium* et *fluviatilium* mentionem faciunt, quibus adiungi poteſt *Tapierete* congener ſui animal. *Guineenſis*, et e Guinea in Braſiliam translatus, figura ut noſtrates et rufi coloris, in hoc autem differt a noſtratibus, quod *caput* habeat non ita elatum, *aures* autem longas et acutas plane et prolongatis acuminibus, *caudam* longam usque ad talos propendentem, pilorum expertem. Totum corpus tegitur *pilis* brevibus rufis ſplendentibus, non ſetis, quibus et in dorſo caret, ſed tantum verſus caudam in dorſo et circa collum paullo longiores habet pilos. Plane cicur. *Porcus fluviatialis*, Braſilienſibus Capybara, figuram pene porcorum habet, magnitudine exaequat porcum annuum vel bimum noſtratem. Longitudo corporis a capite ad anum circiter duorum pedum, craſſities ventris ſesquipedis. Caret *cauda*. *Pedes* quatuor porcini, anteriores quatuor ungulis, poſteriores tribus praeditos. Eſtque in anterioribus *ungula* media longiſſima, duae breviores, quarta minima, in poſterioribus media longior et duae minores, habet et callum ad ſuffraginem usque. *Capitis* longitudo decem digitorum, et craſſities totidem fere, habetque craſſum et improportionatum caput, et os longiſſimum ac craſſum, oculos magnos, nigros, aures parvas, ſubrotundas.

Differentiae

Marcgrav Hiſt. Braſilienſ. l. 6, c. 7.

ferior

Inferior *maxilla* brevior ſuperiori, continetque in utraque anterius duos *dentes* incurvatos, qui ad ſesquidigitum prominent extra alveolos ſuos, et ad duos fere digitos ſunt inſerti, ſed non eminent extra os, ſed ut in leporibus intus continentur. *Dentes* reliqui mirandi ſunt, conſtat totus ordo in qualibet maxilla octo oſſibus, in quolibet nimirum latere quatuor, et quodlibet os tres dentes inſeparabiles repraeſentat, ut ita ſint in qualibet maxilla dentes viginti et quatuor, et in totum quadraginta octo, ſunt autem omnes in extremitatibus plani. Comedunt gramen et fructus varios. Caro comeditur, licet non bene ſapiat, melior aſſa, caput inprimis. *Tapierete* Braſilienſibus, Luſitanis *Anta*, animal quadrupes magnitudine iuvenci ſemeſtris, figura *corporis* quodammodo ad porcum accedens, *capite* etiam tali, verum craſſiori, oblongo, ſuperius in acumen deſinente promuſcide ſuper os praeeminente, quam validiſſimo nervo contrahere et extendere poteſt, in promuſcide autem ſunt fiſſurae oblongae. Inferior *oris* pars brevior eſt ſuperiore, maxillae ambae anterius faſtigiatae, et in qualibet decem *dentes* inciſorii ſuperne et inferne, hinc per certum ſpatium utraque maxilla caret dentibus, ſequuntur dein molares, grandes omnes in quolibet latere quinque, ita ut habeat viginti molares et viginti inciſores. *Oculos* habet parvos porcinos, *aures* obrotundas maiuſculas, quas verſus anteriora furrigit, *crura* vix longiora porcinis, at craſſiuſcula, in anterioribus pedibus quatuor *ungulas*, in poſterioribus tres, media inter eas maior eſt in omnibus pedibus, in prioribus pedibus tribus quarta parvula exterius eſt adiuncta, ſunt autem ungulae nigricantes non ſolidae, ſed cavae et quae detrahi poſſunt. Caret *cauda* et eius loco proceſſum habet nudum pilis, conicum, parvum, more Cutian. Mas *membrum genitale* longe exſerere poteſt inſtar cercopitheci. Incedit dorſo incurvato ut Capybara. *Cutem* ſolidam habet inſtar alcis, pilos breves. Color *pilorum* in iunioribus eſt umbrae lucidae, maculis variegatus albicantibus, ut capraeolus, in adultis fuſcus ſive nigricans ſine maculis. Animal interdiu *dormit* in opacis ſilvis latitans, noctu aut mane egreditur pabuli cauſa. Optime poteſt natare Veſcitur gramine, arundine ſaccharifera, braſſica etc.

Caro eius comeditur, ſed ingrati ſaporis eſt.

ARTICULUS II.

De Apro.

Aldrov. Hiſt. Bisulc. c. 37. Nomen.

Apri nomen feris ſuibus duntaxat competit, cum ſus tam de feris, quam de domeſticis dicatur. Sextus tamen aprum agreſtem nominat, quaſi verres etiam, id eſt, ſus cicur mas eodem nomine nuncupari poſſit. Graeci vocant *κάπρον*. Poetae inprimis, quod vocabulum rei ruſticae ſcriptores de verre intelligunt, et *σύαγρον*, *χλούνης* vero quibusdam eſt *ἐντομίας*, id eſt, exſectus eunuchusque aper, atterunt arbori aut ſaxo teſticulos. Homero *μόνοχις*, aliis ſus in agris libere paſcens, quaſi *χλούνη*, ut Varinus habet, id eſt, in herbis foenove dormiens, quibusdam magnitudine viſcenda aper. Ariſtophanes *μανὸν* cum chlune eundem facit, alii et verius epitheton feri ſcribunt, quod cum aliis minime aggregetur. Colore ſunt fere nigro, vel ſpadiceo nigricante. Plinius pilum aereo ſimilem agre-

Plutarch. de cauſis natur. quaeſt. 12.

Deſcriptio.

agreſtibus dixit. Albos tamen ſe vi-
Pauſanias in Arcadicis. diſſe, ſcribit Pauſanias. *Oculos* gerunt iracundis ſimiles, et apertis palpebris patulos. *Dentes* habent magnos et recurvos, ad incidendum aptos, albos, hinc ἀργιόδους Homero, acutos valde, hinc Sidonio *ficae*, quod ſicarum more res quaslibet violent. In his hoc eſt mirabile, quod vivente beſtia poſſunt idem quod ferrum, mortuae vero detracti, vim inciſionis amiſiſſe credantur, ut liber de natura rerum prodit. Audio exertos aliquando ita excreſcere, ut circulum fere abſolvant toti in ſe reflexi. In India cubitales dentium flexus gemini ex roſtro. Cum ad terram canibus et haſtis debellatus procubuit, dentem inflammato anhelitu ita igneſcere aiunt, inquit Gyllius, ut ſi quis de cervice ſetam detractam, ad eiusdem etiamnum ſpirantis dentem admoverit, candens in orbem contrahatur ac aduratur: ac ſi eo dente canes inſectantes attigerit, ſtatim ignita veſtigia pelli ipſorum imprimat. Hinc dentes aprorum ἀδόντας
Oppian. de venat. cognominavit Oppianus. *Os* habent ad modum ſcuti, quod venabulis et macherae opponunt. *Fel* nullum. *Sanginem*, qui fibris refer-
Locus. tus non eſt. Nulli ſunt in Creta, ſi Plinio credimus, nulli in Africa, ſi huic et aliis, idem de India Cteſias
Theophr. H. P. l. 4. c. 13. prodit. At apud Theophraſtum legimus, in Aegypto, in Nilo, inſulas magnas coagmentari, ſuesque permultos in eis naſci. In Macedo-
Aelian. H. A. l. 17. c. 10 Plin. H. N. l. 11. c. 51. nia mutos eſſe Aeliauus prodidit. Hispani in quadam novi orbis parte invenerunt noſtris minores, caudis breviſſimis, adeo, ut abſciſſas fuiſſe arbitrarentur, pedibus etiam diſſimiles, poſteriores quippe aiunt pedes in his apris uno digito non ungulato conſtare, carnibus multo, quam noſtrorum tum ſuavioribus, tum ſalubrioribus. Scilicet, pal-
Petrus Martyr. Decade Ocean. l. 2 meta ibi prope littus multa erant, inter quae et paluſtres ulvas, magna aprorum multitudo libera vagabatur. Lycotas ruſticus in Bucolicis Calphurnii refert, ſe vidiſſe Romae in ſpectacalis niveos lepores, et non ſine cornibus apros. *Cibus* a-
Cibus. pri non alius, quam cicurati porci, glandes, poma, hordeum, herbae, radices, et alia. Lumbricos etiam roſtro effoſſos comedit. Ficus ari-
Aelian. H. A. l. 17. c. 31. das ſupra modum adpetere, ex Aeliano diſcimus. Minus tamen immoratur foetidis, quam domeſticus. Inveniuntur aliquando inter filicum folia, quae ipſi ſibi collegerunt aut ſubſtraverunt. Genus vero
Tragus Hiſt. plant T. 1. c. 20. quoddam farris, quo Germani circa Alſatiam veſcuntur, acutis armatum ariſtis, non attingunt propter ariſtarum acutiem, ut Tragus prodidit. De *Generatione* hoc habe-
Generatio. mus, in venerem dum inflammantur, cervicis ſetis ſic inhorreſcere, ut criſtae galearum eſſe videantur. Spumas fundunt ab ore, magno dentium ſtridore concrepant, et efferveſcentem ſpiritum anhelant. Admiſſi mares bilem deponunt, reiecti vel vi ſubigunt, vel opprimunt. Principio hiemis coeunt, vere pariunt, petentes maxime invia, praerupta, anguſta et opaca. Mas cum foeminis conver-
Ariſtot. H. A. l. 6. c. 2 ſari dies triginta ſolet. Numerus partus, et tempus ferendi idem atque in urbanis ſuibus. Semel anno gignunt, et apris maribus nonniſi anniculis generatio. *Vox* etiam ſimilis, ſed foemina vocalior eſt, mas raro vocem emittit. Quantum ad reliqua, quae ad huius quadrupedis naturam ſpectant, ſolent in remotis et profundis praecipitum locorum receſſibus verſari. Auditu nos vincunt, gregatim incedunt, nec alios, quam de ſua progenie ſecum veſci patiuntur, lacrymam dulcem habent, ſpumant, dum exagitantur tenacem. Tam gravis iisdem ſua uri-
Plin H. N. l. 6. c. 3 na eſt, ut niſi egeſta, fugae non ſufficiat, ac velut devincti opprimantur. Exuri illa eos tradunt. Mitigati tarde concipiunt, nec niſi ab infantia educati. Ab aconito et ſyanchi radice occidun-
tur. Cum per imprudentiam hyoſcyamum comederunt, ſtatim attrahunt poſteriora, ita demiſſe ſeſe gerentes, hinc, contracti quamvis,

quamvis, ad aquas perveniunt, et collectis cancris vescuntur. Edera in morbis sibi medentur. Ad quadrimatum capiunt incrementa. Musica illecti capiuntur, ideo in leporario quodam Varronis in Thusculano, ad buccinam inflatam, certo tempore conveniebant ad pabulum. Sapiunt vestigia palude confundere. Foeminae, si multae simul sunt, fugiunt, ubi vident venatorem cum natis, sed ubi quis aliquem ex natis venatur, non amplius fugiunt, ne si una quidem sit, sed ruunt adversus capere molientem. Dentes acuunt ad luctam. Inter se concertantes, cum viderint lupos, quasi confoederati, se iuvant mutuo, et ad vocem clamantis, quotquot audierint concurrunt. Caeterum, vivaria aprorum caeterumque silvestrium, primus togati generis invenit Fulvius Hirpinus, qui in Tarquiniensi feras pascere instituit, nec diu imitatores defuere, L. Lucullus, et Q. Hortensius. In *Cibis* adhibitos et adhuc adhiberi, nemini ignotum. Primus Romanorum P. Servilius Rullus, pater eius Rulli, qui consulatu Ciceronis legem agrariam promulgavit, solidum aprum epulis apposuit. Apri vero *milliarii* dicebantur mille librarum, quos solebant in coenis apponere Romani. De Condimentis consule Apicium. Caro ipsa melior domesticae suis carne, cito descendit, multum nutrit, et succum gignit crassum ac viscosum. Heliogabalus exhibuit sumina aprugna per dies decem, tricena quotidie cum suis bulbis. Quo die Lentulus flamen Martialis inauguratus est, in coena fuerunt, lumbi aprugni, sumina, et synciput aprugnum. Invenere et *in Medicina* locum. *Cerebrum* contra serpentes cum sanguine laudatur, verendorumque carbunculis succurrit. *Lardum* elixum atque circumligatum mira celeritate solidat fracta. Epinyctides adipe cum rosaceo inunguntur. Cinis *maxillarum* ulcera sanat, quae serpunt. *Dentis* scobes pleuritida solvunt. *Pulmo* cum melle commixtus pedibus a calceamentis laesis supponitur. *Iecur* lethargicos excitat, et auribus purulentis instillatum proficit, ex vino potum, citra salem recensque alvum sistit. Calculi in eo inventi et triti calculos pellunt. *Fel* tepidum illitum strumas discutit, et coitum stimulat. *Vngularum* exustarum cinis potioni inspersus, plurimum urinae difficultates iuvat. *Vngues* exusti et triti submeiulis in potione prosunt. *Fimus* aridus in aqua aut vino potus reiectiones sanguinis sistit, vetustum lateris dolorem mulcet, ad rupta et convulsa ex aceto bibitur, luxatis cum cerato rosaceo medetur. Recens et calidus praecipuum est contra fluxum narium remedium. Ex vino subactus, et emplastri more impositus, quicquid corpori inhaeserit, celeriter extrahit. Tusus cribratusque et cum melle deteriore subactus, articulis impositus medetur. *Vrina* purulentis auribus infunditur. *Vesica* elixa et manducata submeiulis prodest. Plura in Gesnero vide. Ad *Differentias* refero *Zainum*, de quo *Nierembergius* ita: Montanam miri ingenii feram vocant Indi *coya metl*, alii *quaubcoya metl*, alii *quaubtlo cojametl*, alii *quapicotl*, alii *faiassou*, alii *saynum*, sive *zabinum*. Similis est nostrati apro, nisi quod minor sit et deformior, umbilico eius existente supra dorsum et circa renes. Mirum aspectu, ibi humor aqueus receptus digitis expressus effluit, nec tamen inquit Franciscus Hernandus, verus est umbilicus, aut subest quidquam ab eo, quod in aliis animalibus reperiri solet diversum, quod eo dissecto cognovimus, aliudve quam glandulosa quaedam et mollis pinguedo. Antonius Herrera putat respirare per supinum hunc umbilicum. Foetidus est. Lerius omnino favet. Scribit aprum Americanum habere foramen in dorso quemadmodum in capite sues marini, quo spiritum emittit admit-

Differentiae. Nieremb. Histor. Natur. Exotic. l. 9. c. 27.

admittitque, addit frendere terribiliter, et macilentiorem esse nostratibus. Attentior est censura Franciſci Hernandi de tumulo dorsi. Iracundi sunt. Venatores conscendunt arbores, accurrit grex Zainorum, mordent et lacerant truncum, cum hominem non possint, quos ille superne tutus venabulo caedit. Gregatim discurrunt, eligunt ducem, et ut fertur, minorem aut viliorem omnium. Antonius Herrera scribit esse senem et flaccidum, neque nisi duce occiso societatem et cohortem dissolvere, prius enim occiderentur, quam regem desererent, auctor est Petrus Simon. Aliqui Bachiris hoc imputant. Mirum odium in tigridem. Dux Zainorum convocat, quoscunque potest sui generis, usque ad trecentos aut plures, quemadmodum Imperator conducit militem. His copiis invadit tigridem, quae, licet ferociſſima prae omnibus Americanis feris, vincitur multitudine non sine magna Zainorum strage. Inventi innumeri occisi simul cum tigride, ut pauciſſimi possint epinicium canere. De ingenio huius ferae sic narrat *Franciſcus Hernandus:* Ferus est ac truculento morsu, cum primum est captus. Sed cum cicuratur, placidus est domesticis, et habetur in deliciis. Caro est similis suillae aprugnaeve, sed durior atque insuavior. Setae sunt asperae, albo ac nigro promiscue variatae colore. Vescitur glandibus, radicibus et aliis montanis fructibus, nec non vermiculis, lumbricis, atque aliis huiusmodi animalibus, quae lacustribus, humidis et uliginosis locis nascuntur. Devastant etiam sacra, cum ab eis non arcentur. Gregatim ambulant, et redditi mites aluntur quibuscunque esculentis. *Digiti* pedum variant. Siquidem alii productiores sunt, alii breviores. Scribunt aliqui apros Indicos breviſſimis esse caudis, ut abscisſas esse putes. *Pedibus* etiam esse nostratibus dissimiles, et posteriores uno digito non ungulato constare. Carnes multo nostrorum carnibus saporosiores salubrioresque, sed saynis opus est praecidi umbilicum, alioqui uno die corrumpuntur. Idem est cum Taiacu Caaigora Marcgravii, Icon tamen variat, et descriptio plenior est. Ideo et hanc et illam addidimus. Habuit eum et quidem familiariſſimum Ampliſſimus de Laet, quem cum per semestre et amplius humidis cibis aluisset, mortuus est ex ileo, ut videbatur. Valckenburgius umbilicum illum mammam esse putabat, quod vasa mammaria haberet. Verum, qui animal penitius norunt, catulos suos illa parte alere negant.

TITULUS II.

De Biſulcis aquaticis.

CAPUT UNICUM.

De Hippopotamo.

Aldrov. Digit. l. 1. c. 12.

Ad Biſulca Hippopotamum retuli Aristotelem secutus. Ad digitata tamen recentiores referunt, et forte, ut ex icone et descriptione apparebit, melius. Dicitur vero Hippopotamus, id est, fluviatilis equus, non, quod equum similitudine referat, sed quod magnus sit, ut ἵππος vim augendi significatum habeat. Fluvius ille Nilus est. Dicitur et *equus Niloticus*, *bos marinus*, teste Bellonio, *porcus marinus*, quod parte anteriore bubulam figuram, reliquo corpore suillam repraesentet, *elephas marinus*, tam ob magnitudinem, quam ob dentium candorem et duritiem. Sed et *elephantus Aegypti*, *Rosmarus*, *Robart*, *Gomarus*, in regionibus in primis

Bellon. de aquatil. l. 1.

Prete

Gryps .

Grÿphus .



Wasser Ochs .

Hippopotamus .

Hippopotamus .



Prete Gani, ſi Alvareſio credendum. Circa *Deſcriptionem* diſſentiunt a veteribus recentiores. Aelianus ad quinque cubitorum altitudinem excreſcere, ungulas bubulas habere, tres utrinque dentes maxime omnium animalium circa os eminentes, auribus, cauda, voce equum prae ſe ferre, reliquo corpore elephanto ſimilem eſſe ſcribit. Ariſtoteles iubam equinam habere, ungulam bubulam, roſtrum reſimum, talum biſulcorum, dentes exertos, caudam apri, vocem equi, magnitudinem aſini, internas partes interaneis equorum et aſinorum non diſſimiles reliquit. Leoni Africano forma equum, magnitudine aſinum refert, depilis eſt, et cymbis inſidiatur. Bellonius, qui parvum Byzantii vidit, capite eum vaccino, auribus urſinis, brevibus et ſubrotundis, oris rictu adeo vaſto, ut leoninum ſuperaret, patulis naribus, labiis repandis, dentibus equinis obtuſis, oculis, et lingua praegrandibus, collo nullo aut admodum brevi, cauda porci, corpore obeſo ad inſtar ſuis, pedibus tam brevibus, ut vix quatuor digitos a terra attolleretur, ungulis, ut in ſue diviſis, deſcripſit. Accuratiſſime vero eum nobis exhibuit Fabius Columna, ex cadavere ſale aſſervato, et in Italiam Damiata, a Nicolao Zerenghi, Chirurgo Narnenſi allatam. Nullam habebat cum equo ſimilitudinem, ad bovem potius, ſi magnitudinem attendas, et urſum, ſi crurum figuram accedebat. A capite ad caudam pedes erat tredecim, corporis latitudo pedes quatuor cum dimidio, altitudo pedes tres cum dimidio, *venter* potius planus, quam carinoſus, *crura* a terra ad ventrem pedes tres cum dimidio, ambitus crurum pedes tres. *Pes* latus pedem, *ungulae* ſingulae uncias tres. *Caput* vaſtum in comparatione ad totum animal, duos pedes cum dimidio latum, pedes tres longum, ambitu pedes ſeptem craſſum. *Oris* rictus pedem unum, roſtrum carnoſum, et repandum, *Oculi* exigui, lati unciam, longi uncias duas, *aures* parvae, breves, neque uncias tres excedentes, totum corpus obeſum, *pes* latus in quatuor ungulas diviſus. Ungulae, quales in bobus, et quidem quadrifidae, *talus* calloſus, *cauda* aprina, vel potius teſtudineae aut urſinae non diſſimilis. *Cutis* admodum craſſa, dura, colore pullo. *Nares* imaginem S. repraeſentant, fiſſura longa unciarum duarum cum dimidio. *Roſtrum* habet inſtar leonis vel felis, pilis ex poris quibusdam prodeuntibus aſperum, nec in toto corpore alii conſpiciuntur. *Dentes* ſingulariter idem Columna deſcripſit. Habebat, inquit, in inferiore maxilla ſex, quorum bini exteriores e regione longi ſemipedem, lati et trigoni uncias duas cum dimidio per ambitum ſemipedem aprorum modo, parum retrorſum declives, non adunci, nec exerti, ſed admodum conſpicui, apperto ore. Intermedii vero parum a gingiva exerti, trigona acie, digitali longitudine, medium locum occupantes, veluti iacentes, craſſi, orbiculati, elephantini, ſemipedem ſuperant longitudine atque aciem in externis partibus planam. Maxillares vero habebat utrinque ſeptem craſſos, latos, breves admodum. In ſuperna vero mandibula, quam Crocodili more mobilem habet, qua mandit et terit, anteriores ſex ſunt, ſex imis reſpondentes, acie contrario modo adaptata leviſſima et ſplendida, clauſoque ore coniunguntur, et aptantur imis, veluti ex illis reciſi, ut planum plano inſideat. Verum omnium acies pyramidalis, veluti oblique reciſi calami modo. Sed medii ſuperiores non aciem inferiorum, et medium illorum, in quo retractio rotunditatis conſpicitur, petunt. Molares totidem, quot inferni, ſed bini priores parvi, exigui, atque rotundi, et ab aliis diſtant, ut medium palatum inter dentes anteriores occupare videantur. Inter maxillares dentes locus linguae ſemipedalis remanebat, durities dentium ſilicea, adeo, ut percuſſione cultelli coſtae, cum circumſtantium admi-

ſcriptis.
lian. H. l. 11. c. 44.

riſtot. H. l. 2. c. 7.

eo deſcripr. fricae 9.

Columna in l. obſer. quat. et erreſtr. c. 15.

ratione ignis ſavillae excitarentur. Quapropter veriſimile foret, nocturno tempore hoc animal dentes atterendo ignem ex ore evomuiſſe, quam proprietatem priſci huic ferae attribuerunt. Propria ipſis patria Saitica Aegypti praefectura, ſi Plinio credimus. Unde forte Herodotus in ea parte ſacros ſcripſit. At Leo Africanus, et qui navigationes deſcripſere, in Nigro quoque fluvio reperiri ait. Sed et in mari verſari dictum Plinio et illis, qui in Oceano regiones Petzorae alluente, reperiri ſcripſere. Barboſa multos in Gofala obſervavit, a mari ad prata exire, denuoque reverti. Maturis ſegetibus et flaventibus ſpicis veſci, Aelianus prodidit. Cum ad confirmatam pervenit aetatem, periclitari incipit in patre ſuo vires. Si pater cedit, cum matre congreditur, ipſum vero dimittit, ſi pater reſiſtit, interimitur, ut apud Aelianum legimus. In ſicco parere et educare ſolet, ſi Odono credimus, eaque eſt foecunditate, ut ſingulis annis enitatur. Ad *Naturam* et *Mores* ſpectat, quod ex Nilo in campos egreſſus et ſegetibus ſatiatus, averſo veſtigio ad flumen rurſus properet, ſeu ut agricolas corpore adverſo excipiat, ſeu ne venatores exitum deprehendere poſſint, quod hominibus non minus, quam Crocodilus infenſus ſit, et quod nimia corporis obeſitate preſſus, caudici arundinis tam diu ſe affricat, donec venam aperuerit, ſanguine ad ſufficientiam emiſſo, eandem coeno obturat. Columna tamen primum illud negat, et recto incedere tramite tradit. An hinniat, in dubio eſt. Veteres affirmant, recentiores negant. In *Cibis Vſus* ab Aethiopibus uſurpatur. Narrat enim Cluſius in Guinea circa promontorium Cabo Lopez Gonſalvez, Navarchum van der Hagen cum ſociis id obſervaſſe, viſaque in oppido Ulibetto plurima hippopotamorum capita, ex quibus dentes mirandae magnitudinis, comites eius retulerint. Non eſt ergo mirum, a Firmio Seleucio, quod Capitolinus prodit, hippopotamum devoratum fuiſſe. Habere et *in Medicina* locum, a veteribus et recentioribus proditum eſt. Aegyptii, prodente Columna, ad haemorrhoidas caecas et apertas dentem alligant, vel annulum ex eo fabrefactum geſtant. Nigritae eodem a quodam morbo praeſervantur. Plinius eosdem dentes, in odontalgia ſedanda inſignem habere praerogativam ſcribit. Idem adipem febrientibus contra rigores commendat, corii cinis cum aqua illitus ad panos diſſolvendos. Pellis frontis inguinibus alligata, eodem auctore, venerem inhibet. Teſticulos exſiccatos contra morſum ſerpentum exhibet Dioſcorides. Sed et ad alia partes ipſius adhibentur. Nam Pauſanias refert, Dindymenae matris faciem ex dentibus ipſius factam, ſanguine cum aqua gummoſa diſſoluto pictores loco cinnabaris uti poſſunt, apud Plinium. Pinguedine delibuti impune inter Crocodilos verſari, apud Iulium Capitolinum legimus. Pelle tecta, fulmine non tangi, prodidere quidam. Corii tantam craſſitudinem Plinius facit, praeſertim circa tergus, ut inde validae haſtae tornentur.

Locus Herodot. H.N.l.2. Leo Africae.l.9. Plin. H.N. l.32. c.11.

Cibus.

Aelian. H. A.l.11. c. 43.

Generatio. Plin.H.N. l.11.c.44.

Aelian. H. A.l.c.

Mores. Aelian. H. A. l.11.c. 43.

Cluſius in Curius poſterioribus.

Dioſcor. M.M l.2. c.22.

Leo . Löw

Matheus Merian Junior Fecit

Leæna.

Leo.

Leucurauta .

Leo :
Minor .

Martigora .



HISTORIAE NATVRALIS
DE
QUADRUPEDIBUS
LIBER III.
De Quadrupedibus Digitatis viviparis.
TITULUS PRIMUS
De Digitatis viviparis Feris.
CAPUT I.
De Leone.

HACTENUS de Biſulcis actum eſt, ſequuntur τετράποδα digitata, Graecis πολυσχιδῆ et πολυδάκτυλα, quae vel ſunt ζωότοκα, ſeu vivipara, vel ὠότοκα ſeu ovipara. Illa iterum vel ſunt *Fera*, quae aut ſunt feris moribus imbuta, aut difficulter cicurantur, aut ſi aliquando mitiora redduntur, nunquam tamen ferociam penitus deponunt, vel *Semifera*, vel *Domeſtica*, quibus appendicis loco *Dubia* addi poſunt. Ex illis ſunt *Leo*, *Pardus*, *Lynx*, *Tigris*, *Vrſus*, et *Lupus*. *Leo*, Graecis λέων παρὰ τὸ λάω, video, quod perſpicaci prae caeteris oculorum acie polleat, et θὴρ fera per antonomaſiam dicitur. Catulos Aeſchylus ἰβρίκαλα, vulgus σκύμνους ab obmurmurando Poetae λεοντίδεις et λεοντίσκους appellant. Plinius urſum Numidicum, dum ſcribit: Domitium Rhenobarbum Aedilem curulem, urſos Numidicos centum, et totidem Aethiopes venatores in circo dediſſe, Lipſio adpellare videtur. Sed perperam niſi forte pro Urſos, Leones ſubſtituendum ſit. Parum enim credibile eſt, ſi Romani pro leone dixiſſent urſum Numidicum, ignoraturum id fuiſſe Plinium, qui meminerat et apud Maronem Aceſtem veſtitum induci

... pelle Libyſtidos urſae.

Dio quoque ſeu Xiphilinus ab urſis feras Libycas diſtinguit, ut taceam, neminem veterum tam inſolentis locutionis meminiſſe. Ariſtoteles eum capite mediocri, fronte quadrata in medio cava poſuit, ſupercilio eminenti, et naſum verſus cuiusdam nubis inſtar porrecto, oculis charopis, non valde volubilibus, neque valde prominentibus. Recentiores medios inter cavos et extantes *oculos* notavere, *naſum* craſſiorem potius, quam tenuiorem, ſuperiorem maxillam inferiori aequalem, rictum inſtar ovis amplum, labia tenuia, ita ut partes ſuperiores ſuperiectae ſint inferioribus, *collum* rigens et magnum, mediocriter craſſum, *pectus* robuſtum, metaphrenum latum, medium *ventrem* gracilem, *crura* valida et nervoſa, *pilos* flavos, neque rectos, neque valde criſpos. *Pedes* anteriores quinis digitis, poſteriores quaternis diſtinguuntur. Leaenam a mare iuba, qua caret, et binae in medio ventre mammae diſtinguunt, ex quibus numerum catulorum arguere non licet. Lactis inde inopia, adſumto in ſui nutrimentum cibo, quem rarius adſumit. *Interiora* ſi ſpectes, Muſculos temporales. Galenus de Uſu part. l. 9. cap. 19. fortiſſimos habet, ut mordendo valeat, *Linguam* aſperitate imbricata horrentem, *Viſcera*, canum

Plin. H.N. l. 8. c. 36.

Lipſius Elect. l. 2. c. 4.

Virgil. Aeneid. 5.

Nomen.

Deſcriptio. Ariſtot. H. A. l. 6. c. 31.

canum interioribus penitus Arist. A. l. 5. c. 80. similia, *lienem* nigrum, quod observavit Galenus. *Cervicem* unico osse constare ab Aristotele et Cardano proditum, ex vertebris componi a Scaligero. *Ossa* medulla carere apud Aelianum legimus, pauciſſimam habere, quod perpetuo resolvatur, Fallopio, qui ea se fregisse dicit, credendum. Michael Ephesius angustissimos habere meatus, ita, ut iis penitus carere videantur, reliquit. In Europa inter Acheloum et Nessum fluvios inprimis crescere Aristoteles prodidit, nusquam in ea nasci, nisi id ex hominis industria fiat, certum. Natale ipsis Mauritania, Parthia, Massylia, Marmarica, Caspia, Libya, Getulia solum. Habentur et in Syria nigri, si Plinio fides est. Nasci et in Tartaria Paulus Venetus passim prodidit. In Caragol rustici metu eorum armati terrae cultui operam navant, ut Balbus in itinerario suo prodidit. In deserto Angad iuxta Telessinum, teste Iohanne Leone, non solum in armenta, sed et in homines indiscriminatim saevire solent, ab iisdem silvarum Fetz carbonarii saepe numero devorantur. Taceo regnum Senegae, montem iuxta Adenam editissimum, terram sanctam, et alia loca. In Cuba degunt innoxii, si Martyri credimus. Aglam et regiones circumiacentes tam meticulosos alere, ut in proverbium abierint, Aelianus auctor est. Temperamenti est calidissimi et siccissimi, quod ab acri cordis aestuatione promanat. Non omnes tales pariter esse, vel exinde colligas, quod, qui montes incolunt, minus ferociae habeant, et Gesnerus partes in iis anteriores calidas esse, posteriores ad oppositam naturam degenerare scribat. *Cibus* ipsis carnes bubulae, et Aelian. H. A. l. 2. c. 10. Camelinae inprimis, fame urgente humanae et avicularum. Ideo multi in Africa crucifixi a Polybio Aemiliano Comite visi, ut reliqui hoc spectaculo a caede hominum deterrerentur. Multa solida et sine ullo dissectu una vice devorare, inde bidui vel tridui spatio perfecte celebratam coctionem expectare Aristoteles docuit. Cadavera an deguſtent, non constat inter Auctores. Non attingere seu ob foetorem, seu ob superbiam, quod Tzetzae placet, quidam volunt, vorare, ideo reliquias condere, et supra illas teterrimum flatum exhalare, ne inventae ab aliis feris vorentur, apud Aelianum legitur. Elephantorum quoque pullos aggredi, succurrentibus matribus fugere Strabo prodidit. Catulus ubere relicto imbellium ferarum carnes depascitur, sed et palmulis victitat. *Potum* si spectes, parcus is secundum Aristotelem et Aelianum triduo non bibit, aestate inprimis, hieme indulget. Aversi *coeunt*, quod omnibus animantibus, quae retro urinam mittunt commune. Tempus veneris continuum, sed ver Aelian. H. A. l. 2. c. 2. inprimis, tunc cruentam inter se exercent pugnam et octo aut duodecim unam leaenam sequuntur. Elapso primo anni tempore, maribus ob nimium calorem coire non valentibus, leaenae cum pardis, unde Leopardi, Pantheris, unde foetus non iubatus, Hyenis, unde Crocuta, miscentur. Est ipsis et cum cane commercium. Solae inter quadrupeda aduncis unguibus praedita catulos videntes enituntur. Unde animalis solaris nomine donatam Plutarchus opinatus est. Imperfecti et quidem post sex mensium spatium exeunt, non quod unguibus uterum, Aelian. H. A. l. 2. c. 2. vellicent, sed quod ob numerum inopia alimenti, Aristoteles de gener. Animal. l. 4. c. 6. laborent. Magnitudinem mustelarum non excedere apud Wottonum habemus, noviſſimo pariendi actu uterum excernere fabulosum est. De numero catulorum non convenit inter Auctores. Non plures, quam sex edere, aliquando unum Wottonus prodidit. In capta et interfecta octo inventos Philostratus. Aetate gravem praeter omnium spem sex Florentiae peperisse Villanus. Quod vero Phile quinquies eniti, quinos primum, quatuor deinde, ternos posthac,

Galen. de Anatom. adm. l. 6. c. 10.
Scalig. Exercit. 208.
Aelian. H. A. l. 2. c. 2.
Locus.
Aristot. H. A. l. 8. c. 28
Leo Africae l. 4.
Temperamentum.
Cibus.
Aristot. A. l. 8. c.
Ael. H. A. l. 2. c. 3.
Strabo Geogr. l. 15.
Potus.
Aelian. A. l. 8. c.
Generatio
Plin. H. l. 8. c. 1
Plutarch. Symp. l. 4
Philostr. in vita Apollon. l. c. 7.

hac, inde binos, quintum unicum ſcribit, id ex Ariſtotele de leonibus Syriae incolis accipiendum eſt. Huc *Sympathia* et *Antipathia* ſpectat, quae leonibus cum plurimis rebus intercedit. Favet delphino, ſeu quia ambo ſenectute et morbo gravati ſimia vorata ſanitati propriae conſulunt, ut Aeliano placet, ſeu aliam ob cauſam. Abhorret a muliebribus verendis. Horum, Leo Africae l. 9. oſtenſu in Africa fugatur a ſue, Ariſtoteles H. A. l. 9. c. 1. aſperrimis ſetis horrente, lupo cervario, onagro, tauro, ſimia, Plin. H. N. l. 8. c. 38. Leontophono, quo guſtato, tanta illa vis et caeteris imperitans, illico exſpirat. Animal a plurimis ſcriptoribus nominatur, a nullo deſcribitur. Galli cantum extime ſcere tam certum olim Graecis, ut animam Cecropis, quam in leonem migraſſe credebant, immolatis gallis gallinaceis evocare ſibimet ipſis perſuaderent, alii id de criſtis rubentibus et igneis accipiunt, nos falſum eſſe ex Camerario didicimus, qui in aula Bavariae Principis, unum ex leonibus miris ſaltibus in vicinam domui aream ſeſe demiſiſſe, et gallos cum gallinis devoraſſe prodidit. Idem a culicibus in Africa pellitur. Homines ſucco allii perlinitos, vel aqua, in qua illud maduerat perfuſos, non attingit. Scillae et Aelian. H. A. l. 1. c. 36. ilicis folia ſi incaute conculcaverit, illico a torpore corripitur. Ad rotarum ſtrepitus exhorreſcit. Mappam albam refugit, et Ael. H. A. l. 6. c. 22. l. 7. c. 6. ignem, quia igneae naturae eſt, abominatur. Creduntur *vitae* diuturnae eſſe. Dentibus enim defectos captos fuiſſe affirmavere quidam, effractis alii. Cum pro eis foeta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expaveſcat. *Dormiunt* et in aperto, et apertis oculis, quod oculum magnum incumbens oculo longe minor pellis obrepere non poſſit, caudam quoque ſopore detenti motitant, ut ſe omnino non dormire oſtendant. De *Voce* non convenit inter auctores. Alii mugire dicunt, quod apud Virgilium invenies, quod iunioribus praedam nactis forte competit, alii fremere, quod Mancino et Volaterrano placet, ut de Seneca Tragoedo taceam, nonnulli frendere, quod tum accidit, cum praeiracundia dentes concutit, plaerique rugire affirmant. Quantum ad *Ingenium*, ducentos aliquando equites, Leo Africae l. 9. Africanus adoritur, etiam lethali vulnere percuſſus, a catulorum tutela non recedit. Aegritudinem faſtidii tantum, Plin. H. N. l. 8. c. 16. ſentiunt, in qua medetur eis contumelia in rabiem agente, annexarum laſcivia ſimiarum, ſolus, Aelian. H. A. l. 2. c. 17. venatum egreditur, foetorum oris patitur, quod a Plinio proditum eſt. Neminem, Plin. H. N. l. 8. c. 16. limis oculis intuetur, Generoſitas in periculis maxima deprehenditur, non in illo tantummodo, quod ſpernens tela diu ſe terrore ſolo tuetur, ac velut cogi teſtatur, cooriturque non tanquam periculo coactus, ſed tanquam amentiae iratus, illa nobilior animi ſignificatio, quamlibet magna canum et venantium urgente vi, contemtim reſtitansque cedit in campis, et ubi ſpectari poteſt, idem, ubi virgulta ſilvasque penetravit, acerrimo curſu fertur, velut abſcondente turpitudinem loco. Dum ſequitur, inſilit ſaltu, quo in fuga non utitur. Vulneratus obſervatione mira percuſſorem novit, et in quantalibet multitudine appetit. Eum vero, qui telum quidem miſerit, ſed tamen non vulneraverit, correptum, raptatumque ſternit nec vulnerat. Illud adoleſcentis ex Iubae exercitu exemplum apud Aelianum docuit. Laeſus ſagitta ab eunte, anno interpoſito vertente, redeuntem in media turba dilaceravit. Hoc illius apud Albertum, qui lancea confodere voluit, ſed fallente ictu non fecit, collapſi ad terram caput leo in galea compreſſit, ſed non vulneravit. Dum incedunt, ungues retrahunt veluti in vaginas, ne hebetentur, nec rectum iter peragunt, ſed obliquum variis veſtigiis impreſſis, ut melius lateant. *Cicurari* poſſe non eſt, quod dubites. Onomarchus Catanae Tyrannus convictores habuit. Iohanni II. Luſitaniae Regi, tanquam canis adſidebat, in templo Adonidis

mpathia Anti-thia. el. H. A. 15. c. 17.

elian. ur. l. 1. c. 9

Vita.

Somnus.

Vox.

Mores.

Plin. H. N. l. 8. c. 16.

Aelian. H. A. l. 2. c. 5.

dis regionis Elimeae adeo erant mites, ut ingredientibus adularentur. Berenices leo lingua faciei adulabatur. Cuius Martialis mentionem facit, tam unanimiter cum ariete commorabatur, ut alter terroris, alter immanitatis videretur oblitus. Martial. Epigr. l. 9. c. 75.

Plin. H.N. l. 8. c. 16. lugo ſubdidit eos, primusque Romae ad currum iunxit M. Antonius, et quidem civili bello, cum dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, non ſine quodam oſtento temporum, generoſos ſpiritus iugum ſubire illo prodigio ſignificante, nam quod ita vectus eſt cum mima Cytheride, ſupra monſtra etiam illarum calamitatum fuit. Primus autem hominum leonem manu tractare auſus, et oſtendere manſuefactum Hanno e clariſſimis Poenorum traditur, damnatusque illo argumento, quoniam nil non perſuaſurus vir tam artificis ingenii videbatur, et male credi libertatem ei, cui in tantum ceſſiſſet etiam feritas. Sunt quoque et fortuita clementiae ipſorum exempla. Mentor Syracuſanus in Syria leone obvio ſimpliciter volutato, attonitus pavore, cum refugienti undique fera opponeret ſeſe, et veſtigia lamberet adulanti ſimilis animadvertit in pede eius tumorem vulnusque, et extracto ſurculo liberavit cruciatu. Pictura caſum hunc teſtatur Syracuſis. Simili modo Elpis Samius natione in Africam delatus nave, iuxta littus conſpecto leone hiatu minaci, arborem fuga petit, Libero patre invocato, quoniam tum praecipuus votorum locus eſt, cum ſpei nullus eſt. Neque profugienti, cum potuiſſet fera inſtiterat, et procumbens ad arborem hiatu, quo terruerat, miſerationem quaerebat. Os morſu avidiore inhaeſerat dentibus, cruciabatque inedia, tum poenae vim immenſis eiulatibus teſtantem ac velut mutis precibus orantem contuitus fidentior it contra feram, multo diutius miraculo, quam metu ceſſatum eſt. Degreſſus tandem evellit praebenti, et quam maxime opus eſſet accommodanti. Traduntque, quamdiu navis ea littore ſteterit, retuliſſe gratiam venatus aggerendo. Nihil de Androdo apud Gellium dicam, nec de illo, qui Seneca ſpectante, unum e beſtiariis in Amphitheatro agnitum, ab aliarum ferarum impetu protexit. Ideo *Plinius*: leoni tantum ex feris clementia in ſupplices, proſtratis parcit, et ubi ſaevit, in viros prius, quam in foeminas fremit, in infantes non niſi magna fame. Credit Lybia intellectum pervenire ad eos precum. Captivam certe Getuliae reducem audivi, inquit idem, multorum in ſilvis impetum a ſe mitigatum alloquio, auſam dicere, ſe foeminam, profugam, infirmam, ſupplicem animalis omnium generoſiſſimi, caeterisque imperantis, indignam eius gloria praedam. Capere eos ardua quondam erat operis foveisque maxime. Principatu Claudii caſus rationem docuit pudendam pene talis ferae nomine, paſtoris Getuli ſago contra ingruentis impetum obiecto, quod ſpectaculum in arenam protinus translatum eſt, vix credibili modo torpeſcente tanta illa feritate, quamvis levi iniectu operto capite, ita, ut devinciatur non repugnans, videlicet omnis vis conſtat in oculis. Habuiſſe olim in menſis apud quosdam populos agriophagos inprimis, locum Solinus auctor eſt, ab eſu tamen lienis in totum abſtinuiſſe Bruierinus prodidit. In *Medicina* eximii eſt uſus. *Dens* caninus pueris collo alligatus in ortu ſecundorum dentium a dolore dentitionis eos praeſervat. *Cor* in pulverem redactum epilepticis et quartanariis prodeſt. *Adeps* ductu Dioſcoridis lotus aurium dolores immiſſus ſiſtit, et membris a frigore aduſtis feliciter illinitur. Eodem quidam in ſcirrhis et pernionibus utuntur. Ea perunctі ab aliis feris tuti eſſe praedicantur, et, ſi fas eſt credere gratiam apud principes inveniunt. *Caro* iuxta mentem Sexti ad pavores et arcenda phantaſmata laudatur. *Sanguis* contra carcinomata valet. *Oſſium* pulvis febres ſimplices cum aqua eupatorii expugnat. *Pellis* ſi ei inſideatur, haemorrhoidum dolores efficaciter lenit.

Gellius Noct. Attic. l. 5.

Plin. H N l. 8. c. 16

Plin. l. c.

Vſus.

Solin. in Polyhiſt Bruierin de re ciibar. l. 1 c. 17. Porta Phtogn. l. 3 c. 41. Plin. H. l. 29. c. 3.

Scholia Sexti P loſophi pud Ald vand.

nit. Calcei ex eo geſtati podagricos demulcent. *Stercus* cum unguento roſaceo permixtum mendas faciei emendat. De uſu in deliciis, ludis, triumphis, et ſuppliciis non eſt, quod multa dicamus. Heliogabalus exarmatos in deliciis habebat, et ita edoctos, ut ad ſecundas menſas accumberent. Auguſtus ita cicuratos, ut cum leporibus innocue colluderent. Idem ſe Conſtantinopoli vi-
llon. diſſe Bellonius reliquit. Simul plu-
ſerv. l. 1 rium pugnans Romae princeps dedit
. ult. Q. Scaevola P. filius in curuli aedi-
n. H. N. litate. Centum autem iubatorum
c. 16. primus omnium L. Sylla, qui poſtea Dictator fuit in praetura. Poſt eum Pompeius M. in circo DC. in iis iubatorum CCCXV. Caeſar Dictator CCCC. Varias apud Auctores ſor-
Ferentiae tiuntur *Differentias*. Leoni, inquit
n. H. N. Plinius, praecipua generoſitas tum,
8. c. 16. cum colla armosque veſtiunt iubae. Id enim aetate contingit e leone conceptis. Quos vero pardi generavere, ſemper inſigni hoc carent. Sed et *Iuba* aliis eſt brevior et minus criſpa, criſpa et prolixior aliis. *Ferociam* ſi attendas, ſunt quidam timidi, alii ferociſſimi, et archoleontes, ſi *colorem*, ſunt aurei, flavi, albi, et nigri, quales intima Africa et Abyſſina gignit. Sunt in Lybia diſcolores, qui ore ſunt rubro, nigris floribus cyaneo colore diſtinctis ornantur, neque multum pilum gerunt. Vergunt et ad cinericium colorem in occidentali India. Ignavior apud Indos novi orbis, inquit
ieremb. Nierembergius, natio leonum. *Pu-*
E. l. 9. c. *ma* Peruani vocant. Minores, quam
. et 24. Africani ſunt, fugaces, aut inno-
ieremb. centes, niſi invadantur, degeneres
. Exot. l. omnino animo, mole, iuba, colore
c. 21. fuſci ſunt potius, quam fulvi. Ad eos venandos conveniunt Indi. Lapidibus ac fuſtibus occidunt. Conſcendunt fere aliquando in arbores, eo usque haſtis et ſagittis illos infeſtant barbari. Veſcuntur feſtive eorum carne, alba eſt et craſſa, adipem medicamentis reſervant, oſſa ſaltationibus et choreis. Quidam Hiſpanus deturbavit arbore leaenam ingentem, quatuor transverberatam ſagittis. In ventre duo tigridum catuli inventi, quos per adulterium ſui generis conceperat. Paternae maculae indicia criminis fuerunt. Leones marinos comederunt Hollandi. Sunt praeterea aliae ferae leoni vicinae. *Mitzli*, quemadmodum a Barbaris appellatur, leoni noſtro non iubato aut idem eſt, aut congener, in infantia fuſcus, et fulvus in iuventa, interdumque rubeus aut ſubalbidus, in maiorem tamen corporis aſſurgens molem, quod ob regionis diverſam naturam poteſt evenire, ac longe minus ferox. Eſt quoque *Quamizli* affinis leoni, unde nomen mutuatum, ſed mitior agiliorque, quo fit, ut quidam Hiſpanorum pantheram eſſe putaverint. Ad eiusdem pertinet differentias *Macamitzli*, qui a cervo et leone ſumſit nomen, quos quibusdam corporis partibus imitatur, nec non et *Cuitlamitzli*, a leone et lupo indigena nomenclatione mutuata. Haec beſtia eſt leone craſſior, mitior tamen minorque. Vivit cervorum, ovium et crotalium venatione, interimit etiam ſatur, quaecunque offenderit animalia. Cum famem ſemel explevit, binos, ternosque dies dormit, abſtinens a praeda, donec rurſus eſuriat. Eſt et *Tlalmitzli* fele minor, ſed facie leonina. Mirabilis eſt in parvo corpuſculo animalis vultus et ferocitas. Cacamitzli vocatur aliud animal, quod ad leonum parvorum feliumve genus pertineat, et in iuncetis verſari ſoleat. Quadrupes eſt, quaternas ſpithamas longus, ſed corpore non admodum amplo, fulvo pilo, et aliquantiſper prolixo, auriculis brevibus ac pene nullis, olorino capite, cauda prolixa hiſpidioreque. Adeo eſt ferox, ut cervos plerumque aggrediatur, etiam occidat. Unde fortaſſis ei nomen, niſi a fele potius profectum ſit. Mixtli enim apud Mexicanos interdum aelurum, interdum ſignificat leonem. Vivit apud Panucenſes. Quid ſi quaedam harum ſpecierum ad cercopithecos reducantur. Vide caput de

Nieremb. H. E. l. 19. c. 24.

iis,

CAPUT II.

De Pardo.

Nomen. Fera, quam deſcripturi ſumus Pardus, ſeu ab ἄρδω irrigo, quod eius pellis nigris maculis quaſi irrigata ſit, ſeu ab ἀρδαλόω inquino, quod iis quaſi inquinata videatur, dicitur. Vocatur et Leopardus, cuius vocis nemo ante Iulium Capitolinum et Aelium Spartianum meminit, et Pardalis, quamvis nonnulli marem Pordalim, Pardalim foeminam vocitent, alii illud comune, hoc Atticum vocabulum eſſe putent, alii Pardi nomine marem indigitent. Appellatur denique et Panthera, quod vocabulum diſtinguendum eſt a Panthere lupi maculoſi ſpecie, ſeu quod omne ferarum genus in venatione capiat, ſed quod omnifaria feritate ſit praedita, nec crudelitatis unquam etiam manſuefacta obliviſcatur, ſeu quod omnium ferarum coloribus ornata ſpectetur, et θρέπτειν, quod ſit variegata, et varia. *Facies* ipſi eſt parva, *os* magnum, *oculi* parvi, albicantes et vagi, *frons* longa, *aures* rotundae, magis, quam planae, *collum* valde longum et tenue, *pectus* parvis coſtis praeditum, *dorſum* longum, *clunes* carnoſae et femora. Partes circa ilia et ventrem habet magis planas, id eſt, nec protuberantes, nec cavas, *colorem* varium, corpus totum inarticulatum et aſymmetrum. Wottonus quatuor mammas in medio ventre habere, quinque digitos in pedibus anterioribus, quatuor in poſteribus Gyllius. Addit ille, *oculos* in umbra longius, quam aliorum huius generis animalium refulgere, hebetari in ſole. Pellis aureo in fuſco, et nigro in candido conſpicitur, ut Oppianus deſcripſit. Ideo Solinus narrabat, in Hircania numeroſas eſſe pantheras, minutis orbiculis ſuperpictas, ita, ut oculatis ex fulvo circulis, vel caeruleo, vel albo, tergi ſuppellex diſtinguatur. Plinius, in candido breves macularum oculos appellavit. An ſimilem Lunae in orbes creſcentem et pari modo cornua curvantem maculam in armo habeat, quod Plinius affirmat, difficile eſt dictu. Quantum ad *internas partes*, habet *linguam* imbricatam, *dentes* acutiſſimos, *ungues* acutos, *cor* in comparatione ad animalia eiusdem magnitudinis magnum, *pinguedinem* paucam, quod ea a nimio calore abſumatur, *oſſa* denique denſiora. In Europa nulli habentur. In Africa haud pauci, inopia aquarum ad paucos amnes congregantibus ſe feris. Ideo multiformes ibi animalium partus, varie foeminis cuiusque generis mares, aut vi aut voluptate miſcente. Unde etiam vulgare Graeciae dictum: Semper aliquid novi Africam afferre. In Aſia etiam degunt. Nam et Pamphylia illis abundat, ut Philoſtratus prodidit, et provincia Comeri, et in regno Bengalae, ut Ferdinandus Lopezius reliquit. In Caucaſo monte odorato multos vagari, quod odoriferis herbis delectentur, quidam venditant. In monte Hermon, qui ab Amorraeis Sanir adpellatur, haud paucos, ex Canticis Salomonis colligi poteſt. Veſcitur Pardus carnibus, canum inprimis et agnorum, ſi fames urget, nec a ſimiarum abhorret, quas ſimulata morte decipit, ſi Aeliano credimus, odore illectas ſponte accedere, Plutarchus prodidit. Homines invadere, auctor quidam hiſtoriae Indiae Orientalis reliquit, quem pantheram cum tigride confundere Ambroſinus arbitratur. *Congreditur* ſaepe cum leone, ut ſuperius diximus, aliquando cum cane, nonnunquam cum lupo, plures uno partu producere catulos, mammarum multitudo argumento eſt, tempus partus eosdem antevertere, et prae impatientia uterum matris lacerare, Iſidori fabula. *De Sympathia* et *Antipathia* hoc habe, ita infenſam ſecundum quosdam homini, ut vel in charta expreſſum laceret, ſecundum alios, ita hominis cranio, ut eo conſpecto fugiat.

Deſcriptio

Wotton. de Differ. Animal. l. 5. c. 82.

Aelian. H. A. l. 2. c. 20

Plin. H. N. l. 8. c. 17.

Plin. H. l. 8. c. 17

Plin. H. l. 8. c. 3

Locus.

Ariſtot. A. l. 8. c.

Lopez. Navig. c. 27.

Cibus.

Leo Africae l. 9.

Aelian. A. l. 2. c.

Genet.

Iſidor. rig. l. c. 2.

Sympathia et Antipathia.

Secun-

Secundum nonnullos faciem duntaxat acri odio infestat, quod exemplo Regis Galliarum bestiarii, qui ad venationem emissam, nonnisi aversus reducere potuit, Gesnerus confirmat. Par cum gallo serpentibus et allio dissidium. Ideo iure galli perunctos a pantheris non attingi Plinius prodidit, pantherina pelle indutum angues non infestare, alii, parietes litu allii infectos, pantheras non attingere Caelius. Cum hyaena tam male ipsi convenit, si Plinio credimus, ut si utriusque pelles e regione suspendantur, pantherae depilentur. In Armenia per montana vagantes, ad storacis lacrymas ferri, quoties ab ea parte, ubi arbores gummi stillant odorem ventus pertulerit, fide Philostrati habemus. *Vox* pantherae rugitus est, quod Graecis βρυχᾶσθαι. Spartianus rictare dixit. Condito mucrone unguium in vaginis incedit, aversisque falculis currit, nec nisi appetendo protendit, quod et de leone superius diximus. Odore, quo caeteris quadrupedibus praevalet, felem zibetti, et capreolum moschi excipe, cunctas sollicitat, seu semper, seu destituta persenium viribus. Eo invitata reliqua animalia, postquam accessere, praeda fiunt. Nec est, quod odore invitari cum Alberto dubites. Nam et Cattaria sua Catti delectantur, et canes saepe a persequenda fera odoribus averti videmus. Quod aliquo affectu correptae, solent autem rabie agitari, aut a pardalianche herba laesae, ad sanguinem caprae silvestris, vel stercus humanum confugiunt, quod catulos semper praecedunt, et ad mortem usque tuentur, quod foeminae post partum cryptae praesident, mares de victu prospiciunt, quod cicurati nunquam fere feritatem deponunt, *naturae* et *ingenio* debetur. Miserandum illud, quod a Gesnero refertur, post mortem Francisci Galliarum Regis Leopardos marem et foeminam caveis elapsos, plurimos circa Aureliam laniasse, et inventa mulierum cadavera, quibus mammillas tántum devorassent. Sed memorandum, quod de Panthera tradit Demetrius Physicus, iacentem in media via hominis desiderio, repente apparuisse patri cuiusdam Philini, adsectatoris sapientiae, illum pavore coepisse regredi, feram vero circumvolutari non dubie blandientem, seseque conflictantem moerore, qui etiam in panthera intelligi posset. Foeta erat catulis in foveam delapsis. Primum ergo miserationis erat non expavescere, proximum ei curam intendere, sequutusque, qua trahebat vestem unguium levi iniectu, ut causam doloris intellexit, simulque salutis suae mercedem catulos exemit, eaque cum iis prosequente, usque extra solitudines deductus, laeta atque gestiente, ut facile appareret, gratiam referre et nihil invicem imputare, quod etiam in homine rarum est. Quae de haedo apud Aelianum habentur, quem post mortem obiectum attingere, tanquam contubernalem recusabat, ex eodem petantur. Locum in cibis apud agrestivoros, et qui inter Caucasum et flumen Cophena, ut Philostratus prodidit, habuere. Maioris speciei etiam in India adhuc sunt edules, bis olim elixabantur, facilius a stomacho concoquendae. Habet et *in Medicina* aliquem, nam cerebrum cum succo erucae genitalibus illitum, sopitam venerem excitat. Testiculus dexter in provocandis mensibus remedium est singulare, quod Cardanus prodidit. Sanguis varicibus bene adplicatur. Pinguedo inter praestantissima Cosmetica censetur, ut de aliis taceam. Pellis vetustissimis Graecorum pro indumento erat, hodie Mauri iisdem se amiciunt, et Aethiopes hisce cooperti praeliantur. Olim ipsae bestiae Circensium gratia Romam importabantur. Primus Scaurus aedilitate sua varias, centum quinquaginta universas misit, dein Pompeius M. quadringentas decem. D. Augustus quadringentas viginti. De generibus nihil fere occurrit. Quidam tres Pardorum

lin. H.N. 29. c. 4.
lin. H.N. 28. c. 8.
orta Ma- a Natur. 1. c. 14.
hiloſtr. pollon. tae l. 2. 2.
Vox.
otton. differ. nimal. l. c. 82.
in. H.N. 8. c. 15.
riſt. prob. 13. qu. 4.
heophr. e cauſis lant. l. 6. 5. et 26.
Odor.
Mores.
lin. H N. 8. c. 27.
Geſner. in Hiſt. Quadrup.
Plin. H.N. l. 8. c. 17.
Aelian. H. A. l. 2. c. 24.
Vſus. Plin. H.N. l. 6. c. 30.
Galen. de Alim. facult. l. 3. c. 1. et 2.
Porta Phytogn. l. 3. c. 46.
Alex. ab Alex. l. 5. genial. d.
Plin. H.N. l. 8. c. 17.

dorum differentias conſtituunt, Pantheram nempe, Pardum, Leopardum, alii quatuor, Pantheram, Pardum, Leopardum non iubatum, qui ex Pardo et leaena naſcitur, et maculoſum Leopardum, qui ex Pantherae et leonis coitu prodiit, Apud Plinium iſta legun-
Plin. H.N. l. 8. c. 17. tur. Nunc Varias et Pardos, qui mares ſunt, adpellant in eo omni genere creberrimo in Africa Syriaque. Quidam ab iis Pantheras candore ſolo diſcernunt, nec adhuc aliam differentiam inveni. Senatuſconſultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam advehere. Contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius Tribunus plebis, permiſitque
Nieremb. H.E. l. 9. c. 1. Circenſium gratia importare. Huc forte pertinet animal, quod *Daſypoden pinuum* vocant Hiſpani, *Thcotochtli* Indi. Vertagi eſt magnitudine, tereti, humili et craſſo corpore, auriculis parvis, facie leonina ſive felina, vividis oculis et rubra iride, craſſis cruribus, aduncis unguibus, fuſco circa dorſum pilo, circa ventrem candido, reliquum corpus cinereo, nigris ubique conſperſum maculis, roſtro ac cauda brevibus, aſpera lingua, ululatu exili et incredibili pernicitate. Vivit Tetrococamis montibus, venatur cervos, et alia eiusdem molis animalia, interdum etiam homines. Linguae eius tanta ineſt vis veneni, ut, ſi praedae oculos vel allambuerit vel attigerit, eam confeſtim excaecet, immo interimat. Occiſorum cadavera herbis, foeno, ceſpitibus tegit, deinde conſcendens propinquas arbores ululat. Tunc ferae circumiacentes arcano naturae documento conſciae invitationis ad epulum ocyus advolant, praeda ex ſigno inventa ſatiantur, poſtremus ipſe ocotochtlus deſcendit, ut innocue paſcantur convivae, nam ſi ille prior veſceretur, corruptis veneno ſuo reliquiis, ceterae perirent ferae, quotquot deinde guſtarent. Tanta urbanitate caritati favet, tam comi providentia ſaluti alienae. Scilicet nemo eſt, qui prodeſſe nequeat, ſi velit. Non ita viribus et opibus beneficentia, quam voluntate et ſtudio conſtat. Plurimi opulenti inutiles ſunt, utinam non etiam noxii, at nemo benevolus non beneficus.

CAPUT III.

De Lynce.

Nomen. Feram, quae Graecis λύγξ dicitur, Latini non Lynceum, ut Cardanus voluit a Scaligero ideo reprehenſus, ſed Lyncem ἀπὸ τῆς λύκης, a luce, quod omnium animantium acutiſſime videat, vocant. Appellatur et *Lupus cervarius*, non quod lupo ſit ſimilis, ſed quod pari cum eodem aviditate feratur, et in cervos hoſtiliter eat. Thoen non eſſe in ſequentibus videbimus. Chaos an ſit, quem Galli Raphium dicunt, Pompeii M. ludi oſtendere, quemque facie lupi et maculis pardorum Plinius facit, in medio
Plin. H.N. l. 8. c. 19. relinquerem, niſi alibi quoque in luporum genere cervarium reponeret, qualem ex Gallia in arena Pom-
Deſcriptio peii M. ſpectatum diximus. *Capite* eſt parvo, *oculis* fulgentibus, *facie* alacri, *Mammas* habet in pectore. Maculae magis mari diſtinctae et orbiculares. Pellem ita de-
Scaliger. Ex. 210. ſcripſit Geſnerus. *Pellis* extenſa lyncis a ſummo naſo ad caudam uſque eſt longitudinis trium pedum, et unciarum quatuor, *cauda* longitudinem unciarum ſeptem non excedit, latitudo circa collum, non ambitus dicimus, ſed dorſi tantum, eſt dimidiati pedis, et in imo dorſo unciarum quindecim, crura anteriora longitudinem unciarum quatuordecim et poſteriora duodecim aequant. *Pilus* undique molliſſimus, et denſa lanugine confertus, extremae pilorum dorſi partes albicant, et venter medius

eſt

LIII s. 120

Lynx . Luchs .

Tigris Geſneri .

Panthera .

eſt candidus, in quo puncta quaedam paſſim nigricant, crebra vero ſunt iuxta imum ventrem ad latera, *auriculae* parvae ſunt, quaſi triangulum referentes, ambitu nigro, et ſupra eas villus niger cum paucis pilis albis eminet, *barba* ad inſtar felium ex ſetis albis conſtat. *Pedes* admodum villoſi ſunt, et anteriores quinque digitis, poſteriores vero quatuor tantum integrantur, et tantum cauda in extremitate nigricans per totum aequalis craſſitudinis conſpicitur. Muſculorum tempora habet debilia. *Cranium* tribus futuris inſignitur. Sed et viginti *dentibus* armatur, quorum inciſores ſunt duodecim, verba ſunt Ambroſini, ſed primus et ſextus tam inferioris, quam ſuperioris mandibulae quatuor mediis paulo minores ſunt, quales in muſtellis obſervantur. Canini quatuor caeteris longiores ſequuntur. Molares ſunt decem, quatuor ſuperiorem maxillam utrinque muniunt, primi prope caninos trigonae ſunt figurae duplici quadam appendice inſigniti, ultimus in utraque ſuperiori parte bifidus eſt utriſque et altero valde latior. Inferior maxilla ſex molaribus decoratur, primus prope caninos trigonam refert figuram, ſecundus floris lilii rudimentum repraeſentat, tertius utroque latior et maior eſt, fiſſus in medio, ſummitatibus acutis. Maxilla inferior illi eſt parva, quod prona cibum non ſumat. Pes acutiſſimis cryſtallinis tunica atque membrana incluſis armatur unguiculis, qui figuram unguium aquilae et vulturis aemulantur, pars inferior calloſa eſt. Lynces in Orientali plaga vagari Vitriacus ſcribit, inde in Europam delatos Ovidius, reperiri et in Americae montibus Thevetus auctor eſt. Elegantioribus nigri per dorſum maculis inſigniti in Lithuania, Polonia, Moſcovia, et Suecia circa Helſingiam, ubi lynx Kattluchs nominatur, capiuntur, inventos et in Ducatu Wirtembergico, in ruſticumque praetereuntem aliquando inſiliiſſe, et ab eodem ſecuri proſtatum Geſnerus auctor eſt.

Cibus lyncibus caro animalium catorum ſilveſtrium inprimis, quorum caro ſuavior, ſi Olao M. credimus. Habent et cerebella quadrupedum in deliciis, hinc Geſnerus ſe a quodam intellexiſſe ſcribit, lynces in arboribus aliquando latitare, et in maiores quadrupedes praetereuntes inſilire, et unguibus cervici infixis non dimittere, donec animalis proſtrati laniato capite, cerebrum devoraverint, ſunt, qui affirment, corpore intacto ſanguinem tantum ſugere. Scaliger pauciora in Scandinavia animalia reperiri ſcribit, quod lyncibus in alimentum cedant. More canum averſi congrediuntur, ut canes implentur, et ritu leporum ſuperfoetant. Catulum ipſis adſcribit Iſidorus duos, tres, aut quatuor Odonus. Clariſſime omnium quadrupedum cernunt, ideo quidam corpora ſolida viſu penetrare fabulati ſunt. Velocis ſunt curſus adeo, ut eum ſaltu praecipitent. De urina ita *Plinius*. Lyncum humor ita redditus, ubi gignuntur, glaciatur areſcitve in gemmas carbunculis ſimiles, et igneo colore fulgentes, lyncurium vocatas, atque ob id ſuccino a pleriſque ita generari prodito. Novere hoc ſciuntque lynces, et invidentes urinam terra operiunt, eoque celerius ſolidatur illa. Hoc poſtremum apud Aelianum et Iſidorum invenies, prius Dioſcorides vanum eſſe, quod lyncurium ſit ſuccinum pterigophoron, et pennas ad ſe alliciat, fatetur, et Braſavolus inane eſſe experientia ipſa comperit. Tanta quoque oblivione, ſi praedam ferens retroſpexerit, occupari quidam affirmare audent, ut praedae ipſius oblita aliam quaerat. Ego, ſi id verum eſt, nimiae aviditati iſtud adſcripſerim. Aeſtate depilari, hieme valde hirſutum reddi Odonus tradidit, quod villoſis animantibus commune. An viſcera virulenta et ſpumae rabidorum canum comparanda habeat, quod apud Lucanum legimus, in medio relinquo. Haud contemnendas habet in medi-

Cibus. Geſner. l. c. *Generatio.* Scaliger. Ex 210. Ariſtot. H. A. l. 5. c. 1. Iſidor. Orig. l. 12. c. 2. Plin. H. N. l. 28. c. 8. *Viſus.* Dioſcor. l. 2. c. 74. *Mores.* Lucanus Pharſ. l. 6. *Vſus.*

abroſ. Digit. . c. 3.

len. de u part. 11. c. 2.

ocus.

vid. Me- m. l. 15.

eſner. in iſt. Qua- rup.

medicando vires. Evonymus ſaxifragas herbas cum ſanguine ad minuendos calculos miſcet, Wekerus ex pinguedine unguentum ad eosdem pellendos componit. Crollius ſal ex lapide et oculis cancri conficit. Unguis, qui eſt in dextro pede pro pollice contra convulſiones argento incluſus et appenſus valet. Eosdem omnes cum corio exuri efficaciſſime in Carpatho inſula tradunt. Hoc cinere potu proluvia virorum eiusdemque aſperſu foeminarum libidines inhiberi, item pruritus corporum, urina ſtillicidia veſicae. Eadem et iugulorum dolori monſtratur in remedio. Pellis Bononiae centum viginti libris venditur. Oppianus a magnitudine et parvitate eas diſtinguit ſibi undiquaque ſimiles. In Italia duplex pellis oſtenditur. Ampla, ad albedinem magis tendens, quae lupi Cervarii eſſe creditur, et rufa paulo minor, quam cati parti autumant.

Differentiae. Oppian. Cyneg. l.

Plin. H.N. l. 28. c. 8.

CAPUT IV.

De Tigride.

Nomen. Nomen huic belluae a velocitate datum a Medis, qui tigrim ſagittam vocant, putatur. Genere maſculino Varro extulit, foeminino Plinius, invenies et Tigrides in plurali apud Philomelae auctorem.

Deſcriptio Ad magnitudinem canis leporarii et ultra excreſcere, quidam putant, ad equi Nearchus. Viſa pellis, cuius longitudo quinque pedum menſuram ſuperabat. *Oculos* habet ſplendore igneo micantes, *collum* breve, quale illis, quae paſcendi gratia cervicem in terram non deiiciunt, *ungues* aduncos, *dentes* acutos, *pedes* multifidos. Magna ipſorum in Oriente et verſus Auſtrum in India nempe intra Gangem et Hyphaſin fluvios, in monte Caucaſo Beſingos Peninuleis vicinos, copia, ut male, in Hyrcania duntaxat haberi Poetae prodiderint. Inveniuntur et in Iava, ubi propter ipſorum metum minus gummi beniuini colligitur, Bengala et montibus Peruanis. In Taprobana diuturna lucis uſura frui nonnullis proditum. Omne animantium genus devorant. Elephantes ſaepe ſuperant mulos pede apprehenſos trahunt, oves, boves, canes, etc. laniant, nec ab hominibus temperant, haedorum tamen praecipue carnibus delectantur, tanta vero aviditate feruntur, ut viſo animantis unius ſanguine per totum cupiant ire pecus, ut apud Statium habetur. Omne genus foemininum eſſe, quod nulli mares capiantur, Tzetzis memoriae lapſi cum aliis opinio, ideo ex vento concipere prodiderunt. Fabulaea velocitate animalis apud veteres decantata origo, averſos congredi, et multos uno partu catulos edere certum, nec inter ſe duntaxat miſcentur, ſed et in canes exardeſcunt. Modum procreandi apud *Ariſtotelem* habes. Alligantur, inquit, canes locis deſertis, per quae tigres verſantur, et niſi tigris in luxuriam ſolvatur, lacerantur, ſed cum deſiderio veneris premitur, miteſcit, quod Plinius, ut apud Aelianum eſt, ita protulit. E tigribus eos canes Indi volunt concipi, et ob id in ſilvis coitus tempore adligant foeminas. Primo et ſecundo foetu nimis feroces putant gigni, tertio demum educant. In India Occidentali nullam Hiſpanis vim facere, infeſtare Indos, in provincia Bambae, albos homines non attingere, nigros adoriri, immo homine albo et nigro ſimul dormientibus albo intacto nigrum corripere Linſchottanus prodidit, an ad Sympathiam referri debeat, dubito, ſed quod elephanto viſo vehementer excandeſcant, quod bubalorum fimo pellantur, quod denique ad ſonum tympani fere inſaniant, et ſeipſos ſaucient, inter anti-

Locus.

Cibus.

Stat. l. 8.

Tzetzes Chil. 12. c. 339. *Generati*

Aelian. N. l. 8. c.

Ariſtot. A. l. 8. c.

Plin. H. l. 8. c. 4

Sympat. et Anti thia.

Balb. in Hodep c. 34.

Pardus . Leopardus .
Parderthier Leopard .

Pardus . Parderthier .

Tigris . Tigerthier .

rus l. 2. ro- ph. Vox. pian. neg. l ersus. n. H.N. . c. 18.

antipathiae exempla refero. *Vox* ipsius proprie per rancatum exprimitur. Mutare et frendere, ira correptum scilicet, Oppianus dixit. Velocitati tremendae et maximae, dum capitur esse, constanter a veteribus creditum. Totus enim, foetus, inquit Plinius qui semper numerosus est, ab insidiante rapitur equo quam maxime pernici, atque in recentem subinde transfertur. At ubi vacuum cubile reperit foeta, maribus enim non est cura sobolis, fertur praeceps odore vestigans. Raptor appropinquante fremitu, abiicit unum e catulis. Tollit illa morsu, et pondere etiam ocyor acta remeat, iterumque consequitur, ac subinde, donec in navem regresso inanis feritas saevit in littore. Et haec veterum sententia. Recentiores et ex

ntius de ed. Ind. 13.

his Bontius inter errores ponunt, quae de velocitate dicuntur. Quia haec fera tardigrada est, ac hominem, multo minus aliam feram, vix cursu assequeretur, hinc est, quod apri, tauri silvestres, cervi, sagacius hoc animal odorantes eius ungues cursu facile eludant, ideoque in carectis, ac inter virgulta latens circa flumina, quo praedictae ferae ad potum veniunt, saltu obliquo in aliquam earum fertur, non secus, ac feles in mures ac glires impetum faciunt, sic etiam ex insidiis hominem aggreditur, ac si, quod saepe fit, nimia cupidine praedae aberraverit in saltando, lente ac rugiens recedit, si quoque ab homine detectam se sentiat, abibit, etc. haec Bontius, quo mortuo, multa quoque Exotica de plantis et animalibus interiisse doleo. De caetero, sobolis est amantissimi haec fera, ideo viso homine protinus catulos transfert, ablatis, in obvium quodcunque crudeliter saevit, et rabie correpta perit. Etsi autem indomitae fere sit crudelitatis, indulget tamen aliquando patientiam flagello, et Ovidius, obsequium Tigres domare dixit, et apud Senecam,

Mors.

Plin. H.N. l. 8. c. 11, 17

osculatur Tigrim suus custos. Nec desunt mansuefactorum exempla. D. Augustus Q. Tuberone, Fabio Max. Coss. IV. Nonas Maias, theatri Marcelli dedicatione, tigrin primus omnium Romae ostendit in cavea mansuefactum, D. vero Claudius simul quatuor. Sub Gordiano decem Romae visae, in Triumpho Aureliani quatuor. Heliogabalus tigrides currui iunxit. Nunquam tamen feritatem exuunt, aliquando submittunt, sed cum minime expectaverimus, torvitas mitigata exasperatur. Id Abdias Babylonius prodidit, nec ignotum, dum per urbem ad spectaculum ducuntur campanulis cingi, ut spectatores ab improviso impetu sibi caveant. Saepe nec catenis bene vinciuntur. Succo Mandragorae vel opio in stuporem coniiciantur necesse est, ne per urbem deductae laedant. Posterioribus huius ferae partibus in cibis Indos usos, prioribus tanquam Phoebo sacratis, quas versus orientem solem attollere, ut aiunt abstinuisse, Philostratus auctor est. Tota carne Congitanos vesci ab alis seu mustacibus, quod eorum esu morte furiosa corripiantur, ideo edictis Principum cautum est, ne quis pellem illis carentem venum deferat, abstinere, apud Linschottanum legimus. Ledesma Hispanus bubula carne nihilo deteriorem invenit. Ungues incolae Cerebari in corollis texunt, his redimitti, animosiores se existimant. De *Generibus* Tigridum, nihil fere apud veteres Auctores occurrit. Equidem refert ex Ctesia Pausanias, esse apud Indos Manticora dictum an mal, cui triplex, dentium sit in utraque maxilla ordo, missiles in cauda aculei, idque tigrim esse quidam opinantur. Strabo quoque ex Megasthene reliquit, Tigrides apud Prasios dupla fere ad leonem magnitudine esse, quis tamen quaeso id de Tigride sumendum probaverit. Apud recentiores tamen aliquot illarum *differentiae* occurrunt, quoad molem, furorem, et speciem. Vulgaris, inquit Nierembergius nostris est maior, huic alia similis, quae, quia minor, ab Indis *tlaco ocelotl*, id est parva tigris nuncupatur, maculis nigris et fuscis conscripta, non pallidis et candentibus, ut aliis communes sunt.

Jul. Capitol. in cod. Vopisc. in cod.

l. 6. Hist. Apostol. Thevet. Cosmogr. T. 2. l. 19. c. 7. Petr. Victor. variar. lect. 4. c. 3. *Vsus.*

Philostr. l. 2 vita Apollon.

Petr. Martyr. Decad. 3. l. 2.

Differentiae.

Pausan. in Boeot.

Strabo Geogr. l. 15

Nierembergius Hist. Exot. l. 9. c. 15.

Peruani, ut Garcilaſſus putat, tigridem vocant Uturuncu, nam, quod Ioſeph Acoſta dixit, urſos dici aboronocos, corrupta nonnihil ab Hiſpanis voce, non ita exploratum cenſet, Veumari enim urſus dicitur. Ferociores ſunt leonibus, a vide Indos quaerunt, etiam in domibus et caſis, et niſi conſtanter fores ſint clauſae, clanculum ingrediuntur, et correptum aliquem barbarum mordicus deferunt, non ſecus, ac felis murem, nec adverſus illas arbores aſyla, quas aſcendunt ut illinc deiiciant fugientem et lacerent. In expeditione Fedremani quaedam tigris cohortem militum aggreſſa, in medio omnium dilaceravit Hiſpanum unum, tres Indos, tutaque et impunis evaſit. Nihilominus tanta feritas elumbatur, ſi vel baculo circa renes caedatur, languet et vincitur, non alia via patet victoriae. Nulla alia fera magis timetur Indis Occidentalibus immo in veneratione eſt. Daemon illis ſaepiſſime ſpecie tigridis loquebatur. Vngues venenati creduntur, nunquam reparatur plaga ex illis. Iam poſt introductum Evangelium reverentiam immo timorem huius ferae amiſit barbaries. Capitur laqueis, alicubi muſcipulis. In Bengala ferociſſima invenitur, et contumacis odii, uſque ad triginta milliaria inſequitur per littora navim, qua aufugit laeſor. Obviis praeterea quibuscunque hominibus et feris atrox. Praevenit natura tantam peſtem. Comitatur tigrim aliud animalculum, quod adſiduo latratu illam indicat, quo audito ferae aliae recedunt, aut conduntur homines fugiunt. Sunt illae tigrides humanae carnis avidiſſimae, avidiores Nigritarum, quos internoſcunt navium, ſi quam in ora perſpexerint, per viginti leucas curſitando proſequi ſolent, ut ſi quis in terram exſcenderit, devorent. De nocte in naves inſiliunt, ut incautos navicularios opprimant. Referam huius exemplum memoratu dignum, quod accidit interim dum noſtri in Bengala agerent. Aethiops quidam ſervus cum ſomniaſſet a tigride ſe abreptum, ſequenti nocte ſub navis, qua vehebatur, prora ſe abſcondit. Rogatus a Domino cauſam, ſomnium nocturnum enarrat, cuius veritatem illa ipſa nocte eventus probavit, omnibus enim dormientibus, tigris in navim inſiliens, caeteriſque, qui plus, quam triginta in navi iacebant, intactis, de ſub prora miſeri Aethiopis apprehendit latus, et abripuit. Felicior alterius ſors fuit, ſed divina protecti providentia. Hic cum haud procul in navi ageret a littore, a tergo hinc eum tigris, ab aqua e flumine illinc crocodilus invadit, ſed audi caſum: Tigris, ut adverſarium praeverteret, praedamque extorqueret, nimia velocitate ultra hominem delata, et in navis latus impacta in crocodili fauces incidit, hoc modo evaſit. Dici nequit, quantopere Bengalani tigridum rabiem metuant, hinc variis e nominibus nuncupant, veriti, ne ſi proprio dicerent nomine, continuo dilacerentur. In Braſilia magna tigridum vis, quae famelicae horribili poſſent velocitate, tremendis viribus. Eaedem paſtae tanta dicuntur eſſe ignavia, ut a gregariis etiam canibus confeſtim in fugam agantur. Non homines tantum perdit gula. In nova Hiſpania ſpeculatur ex arboribus ad ripas fluminum crocodilos, inde deſiliit et incautos occidit. Aliquando non minore iactura a tigride Indica infeſta Darien fuit, quam olim a fero leone Nemea, et a rapido apro Calydonia, ut Petrus Martyr narrat. Integro namque ſemeſtri noctum aiunt exactam fuiſſe, nullam indemnem, quin vel iuvencam aut equum, canem aut porcum, intra vici ipſius vias interfecerit. Armenta gregeſque iam minuebantur, immo et minime tuto referunt, domo exiiſſe quenquam, eo tempore praecipue, quando catulos alebat, tunc namque adoriebatur et homines, fame urgente catulorum, ſi homines prius occurrebant, quam brutum animal. Neceſſitate cogente tandem ars inventa eſt, qua tanti ſanguinis poenas lueret. Exploratis quippe anguſtiis ſemitarum, quibus

Vrsus . Baer .



quibus e cavernarum latebris ad praedam noctu prodire ſolebat, excavata ibi ſcrobe aliqua, cratibus et aggeſta terra levi ſuperſtratis, fallaciam occultarunt Indi. Veniens incautus, mas quidem erat, tigris decidit in foveam, et ſudibus acutis in ſcrobis fundo defixis inhaeſit. Saxis tum ingentibus ex foſſae margine in eum ſudibus infixum deiectis, peremtus eſt. In mille aſſulas, et mille fruſtula fixa dextra directas haſtas, et ab alto iaculatas dirumpebat. Semianimis et exanguis formidine replebat intuentes, quid ſolutus et incolumis feciſſet? Ioannes quidam Ledeſma Hiſpalenſis, Vaſchi Nunnes amicus et laborum ſocius, de tigride illo ſe comediſſe faſſus eſt, bovinaque carne nihilo deteriorem eſſe retulit. Unde tigridem eſſe dicant, interrogati, qui nunquam tigridem viderant, reſpondent, a maculis, a feritate, a dexteritate, ſignisque aliis ab Auctoribus datis tigrim arbitrari, cum et pardos et panteras maculatos ex ipſis plerique ſe vidiſſe praedicent. Tigride mare peremto montes verſus veſtigia ipſius ſecuti, antrum, coniugale ipſius domicilium adeunt, duos abſente genitrice catulos uberibus adhuc matris indigos auferunt. Mutato conſilio, quo grandiuſculos affectos in Hiſpaniam poſt haec mitterent, ferreis catenis diligenter in colla compoſitis, ad maternum antrum parvulos reportant a matre lactandos. Poſt paucos inde dies regreſſi ad ſpeluncam, nec catulos reperientes, credebant eos a matre in fruſta prae rabie dilaceratos ablatosque, ne quiſpiam eis frueretur. Aſſeverant namque, ſolvi e catenis nullo pacto potuiſſe vivos. Pellis peremtae tigridis ad Hiſpaniolam, ſiccis herbis et culmo farta miſſa eſt ad Admirantum et Primores. Plura de his vide apud eundem Nieremberg. et Marcgr. H. B. l. 6. c. 10.

CAPUT V.

De Urſo.

omen. Urſus, vel ab urgendo, quod impellendo tum homines, tum caeteros animantes proſternat, vel quaſi orſus, quod ore ſuo formet foetus, ſeu quod in ventre orſus, extra ventrem linctu compleatur, vel quaſi ſurſus, quia horret pilis, et δασύτριχος eſt, Latinis dictus eſt. Graeci ἄρκτον, vel ab ἀρκῶ propulſo, quod ad iniurias propulſandas anterioribus pedibus valeat, vel ab ἀρκέομαι, quod ſine externo alimento hiemem tranſigat, vocavere.

Deſcriptio Quantum ad rationem externarum partium: *Corpus* ei craſſum, et vix mobile, ſemper creſcere quidam affirmant, inventosque longitudine quinque cubitorum, latitudinis tantae, ut quodlibet vel bovis tergus vinceret, talemque Maximiliano Imperatori in Thermis Badenſibus oblatum. *Pellis* ei ſpiſſa et villoſa, *dentes* ſerrati et penitus reconditi. *Os* longum, celeres *oculi*, *pedes* manibus ſimiles, in brachiisque et lumbis maxima vis, unde interdum poſticis pedibus inſiſtunt, *cauda* diminuta, *genitale* ſimul ut exſpiraverit corneſcens. Adde his *mammas* quatuor, *ventriculum* amplum et *inteſtinum*, cum hieme in antris dormientes capti exenterantur, vacuum et adeo adductum, ut ſimul cohaerere videatur. Galenus nervos recurrentes, qui in aliis animalibus difficulter obſervantur, in hoc evidentiſſime conſpici poſſe ſcribit. *Caput* ipſis invalidum eſt, vel praeſertim ſynciput, quod leoni fortiſſimum, ideo urgente vi, praecipitaturi ſe ex aliqua rupe, manibus ex operto iaciuntur. Eo tempore, quo latitant, *ſanguinis* exiguas circa cor tantum habere guttas, reliquo corpori nihil ineſſe Theophraſtus credidit. Nulla denique eis ſecundum Plinium medulla, axungiam et lardum habere, Monachis in Meſuen viſum. In plerisque terrarum

Solinus Polyhiſt. Plin. H N. Ariſt. H.A. l 8. c. 27. Scalig. ed. l. 8. c. 21. Plin. H.N. l 8 c. 36. Theophr. de animal. latitantib.

adian. in Melam.

Locus. rarum partibus degunt, ſed in Germania, Polonia, Lithuania, Norvegia, etc. et aliis Septentrionalibus, in Nova Zembla inprimis maxime. In Anglia nunc non reperiri Geſnerus prodidit, nec in Creta Plin. H.N. l. 8. c. 58. inſula, Plinius. In Africa quoque non haberi olim creditum, ſed falſo. Eſſe, praeter Herodotum et Herod. in Melpom. Solinum Strabo teſtis eſt, dum Solin. c. 29 Mauros, leonum, pardalium, et Strabo Geogr. l. ult. urſorum pellibus indui ſcribit. Magis autem montanis, quam planis delectantur. Unde Alpinae rupes apud Stumpfium animoſis abundant, in montibus Peru, multi ni-

Victus. gri ſtabulantur, et Pernes mons Atticus apud Pauſaniam, venatione urſorum clarus eſt, πάμφαγον eſt animal. Plantis victitare apud Mathiolum, Albertum et Geſnerum invenies. Ille ſpecie rubi, qui mora rubicunda et odorata producit, delectari ſcribit. Iſte, herbam cuculi, quam Botanici trifolium acetoſum vocant. Hic radices quasdam, quibus cupiditas cibi expletur et ſomnus conciliatur. Nam in Alpibus Helveticis aiunt, vaccarum paſtorem, poſtquam urſum radicem e terra avulſam comediſſe, eminus vidiſſet, radice eadem, poſt urſi diſceſſum deguſtata, tanto ſomni deſiderio captum, ut in via ſe proſternere neceſſum habuerit. Herbam arum comedere, quamprimum e latibulis egrediuntur, Ari-

Ariſt. Hiſt. Anim. l. 8. c. 17. ſtoteles Auctor eſt. Sed et arbuſtum quoddam ſpinoſum, foliis fere ut apii diviſis, flore albo, baccis rubentibus, in montibus circa Tridentum panis urſi appellatur. Ve-

Plin. H.N. l. 10. c. 73. Ariſtot. H. A. l. 8. c. 5. ſcuntur et fructibus arborum, quas conſcendunt, leguminibus, melle, cancris, formicis, et carnibus, ſeu praemaceratis et propemodum putridis, ſeu recentibus. Maxime tamen favos appetunt, habeturque apud Iovium faceta de quodam ruſtico in Moſcovia hiſtoria, qui in cava arbore, profundo mellis gurgite collo tenus immerſus, et biduo vitam ſolo melle ſuſtentans, urſo in arboris eiusdem cavitatem, more humano ſe dimittentis, beneficio, cuius pellem tergoris manibus comprehenderat, extractus fuit. Piſcibus in Islandia et glaciali Oceano veſci, Gabottus Venetus prodidit. Bibunt quidem aquam, ſed nec lambendo, quod carcherodontum, nec ſorbendo, quod continuis dentibus munitorum proprium, ſed aquam mordendo, ut apud Ariſtotelem habetur. Urſae veneris ſunt Ariſtot. H. A. l. 8 c. 6. *Generatio.* appetentiſſimae, ideo, quoniam ferae gravidae maribus non miſcentur, praeter lyncem et leperem, ne diutius maritis careant et maturius ad Venerem redire, dire poſſint, ventrem ante certum tempus elidere creduntur. Mares, Oppian. Cyneg. l. 3 v. 146. in puellas quoque libidine ferri, proditum. Raptam ab uno in montibus Allobrogum quandam, quam venereo complexu proſecutus eſt, et pomis agreſtibus pavit, Philippus Coſſeus Conſtantienſium ſacris praefectus, Geſnero retulit: Danorum vero Regum ſtemmata, a Saxo Grammat. Hiſt. Dan. l. 10. quodam dicto urſo, qui ex puella ab urſo compreſſa natus eſſe dicitur, deduci Saxo refert, et duo Magni Upſalenſes Epiſcopos, Gothi- Magnus l. 8. c. 2. cos Reges ex urſo et virgine nobili originem ducere produnt. *Coeunt* Plin. H N. l. 8. c. 36. menſe Februario, ſeu hiemis initio, non eodem modo, quo quadrupedes, ſed intra mutuos amplexus, velut humanas coniugationes, ſeu ut Plinius, ambo cubantes complexique, id eſt, humanitus ſtrati. Ariſt. H.A. l. 5. c. 1. Gravidae latent, ſecretique honore reverentur mares gravidas. Solin. Polyhiſt. c. 39 Uterum triginta dies ferunt. Pariunt tum unum, tum etiam duos, Ariſtot. H. A. l. 6. c. 30. ſed cumplurimum quinque. De *partus forma* variatur. Lucinae illis properantius tempus eſt, inquiunt Plinius et Solinus, quippe ute- Solin. d. l. rum trigeſimus dies liberat, unde evenit, ut praecipitata foecunditas informes creet partus. Carnes pauxillulas edunt, quibus color candidus, oculi nulli, nulli pili, et de feſtina immaturitate tantum rudis ſanies, exceptis unguium lineamentis. Has lambendo ſenſim figurant, et interdum ad pectora fovent, ut adſiduo incubatu calefacta, animalem trahant

Martyr. Decade. 3. l. 6.

hant ſpiritum. Idem Ariſtoteles, Oppianus, Ovidius, et alii dixere. Inde quibusdam Urſus quaſi Orſus dicitur. At recentiores contrarium experientia docuit. Capta in valle Anania ſupra Tridentum gravida urſa, quam exenteratam, catulos omnibus membris diſtinctos geſtaſſe, animadverſum eſt. In ſenatus vero Bononienſis Muſaeo, urſulus a caeſo matris utero extractus, omnibus ſuis partibus formatus in vitreo vaſe ſervatur. Nec male Camerarius opinatur ſecundinarum, quibus foetus urſae obvolutus eſt, tantam craſſitiem, ut nonniſi diuturno lin-ctu a matre avelli poſſit, errori occaſionem dediſſe. Capitale *odium* gerit cum *phoca*, *equo*, *apro*, *mortuis*, et *mappa*. *Phocam* ſummopere abominari Oppianus reliquit. Agnoſcit *equus* hoſtem nunquam viſum, ac protinus ſe parat ad pugnam, in qua arte potius, quam viribus utitur. Tranſilit enim urſum, et ipſo ſaltu poſteriores pedes impingit in caput. A mortuis abhorrere dicuntur, quod homines proſtratos, ore ad terram verſo retentoque ſpiritu illaeſos relinquant. Viſa mappa, teſte Seneca, ad iram concitantur. Aconito quoque pereunt, nec non faba lupina, ſeu marcillio, quam conſiliginem eſſe putat Geſnerus. Piſces etiam quidam nigri venenati in Armenia reperiuntur, quorum farina aſperſas ficus ſi comederint, intereunt. Muſica delectari experientia docuit. *Vocem* ſi attendas, ſaevire dixit Spartianus, rugire alii. *Naturam* et *Ingenium* ſequentia teſtantur. Cum deguſtavere mandragorae mala, formicas lambunt. Cum nauſea laborant, myrmeciam adeunt, aſſidentesque linguam fluore dulci fluentem exertam, leviter tam diu tenent, donec formicis ſcatere viderint. Vulnerati ſiccis herbis ſibi medentur. Urſae a latitatione egreſſae in liberam diem, tantam patiuntur lucis inſolentiam, ut caecitate obſitas putes. Oculi quia hebetantur crebro, maxime favos expetunt, ut convulneratum ab apibus os, levet ſanguine gravedinem illam. In antrum, non recto ſui corporis motu ſed ſupina ingreditur urſa, et dorſi ſui tractu repit, ut veſtigia obliteret. Ibique poſtquam eſt egreſſa, ſe quieti dans habitum corporis extenuat per quadraginta dies, e quibus quatuordecim immobilis manet, reliquis aliis movetur, tantum ſolo lingendo dextro pede ſe ſuſtentat, eique inteſtinum eatenus adducitur, ut propemodum cohaereat. Mares, inquit Plinius, quadragenis diebus latent, foeminae quaternis menſibus. Specus ſi non habuere ramorum fruticumque congerie aedificant, impenetrabiles imbribus, mollique fronde conſtratos. Primis diebus bis ſeptenis tam gravi ſomno premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant. Tunc mirum in modum pingueſcunt. Ab iis diebus reſidunt, ac priorum pedum ſuctu vivunt. Mirum dictu, credit Theophraſtus per id tempus coctas quoque urſorum carnes, ſi aſſerventur, increſcere, cibi tunc nulla argumenta, nec niſi humoris minimum in alvo inveniri: ſanguinis exiguas circa corda tantum guttas, reliquo corpori nihil ineſſe. Procedunt vere, ſed mares praepingues, ut movere ſeſe facile nequeant. Foeminae non ita pingueſcunt, quod eo tempore pepererint. In iisdem licet foveis, partitis tamen per ſcrobes ſecubationibus dividuntur. Exeuntes herbarum dictam, laxandis inteſtinis alioquin concretis devorant, circa ſurculos cum dentiunt praedomantes ora. Si quando tauros adoriuntur, ſciunt, quibus potiſſimum partibus immorentur, nec aliud, quam cornua aut nares petunt. Cornua, ut pondere defatigent, nares, ut acrior dolor ſit in loco teneriore. Animae virus peſtilens. Contacta halitu eius attingit nulla fera, citiusque putreſcunt affiata reliquis. In Myſia aiunt eſſe genus alborum, qui, cum a venatoribus urgentur, talem halitum edunt, qui canum carnes putrefaciat. *Vſus.* Quantum ad *Vſum* in *Cibis*, etſi caro urſorum ſit frigida, mucoſa, difficilis concoctu, ſpleni et hepati in-

nbroſ. ſt. qua-up. di-.l.1. c.5

ıtipathia.

lian. H. .5.c.15.

Vox.

olin. Po-hiſt.c.39

utarch. leſtum imal.

olin.l.c.

in.H.N. 8.c.33.

Aelian.H. A.l.6. c. 3.

Plin. H.N. l. 8. c. 36.

Solin.l. c.

Galen. de Alim. facult. l.3. c.2.

commoda: Alpinis tamen et Helvetiis Bruierino teſte, in deliciis habetur, ipſeque ſe eas in coena apud Symphorianum Campegium comediſſe, culinae artificio conditam aſſeverat. Sed iuvenculus ille urſus erat, qualem et quidem hieme captum in cibis adhibere debere Bartholomaeus Scappius ſcripſit. Licet enim Quintili menſe ob pabulum pinguiores ſint, tamen, quod caro tum malum odorem ſpirare ſoleat, a menſis excluduntur. Caeterum anteriores duntaxat pedes inter cibos ſuaviores ab Aeliano reponuntur, quos et principes viros appetere Michael Herus prodidit, forte, quod plurimum exerceantur. Salſos et in camino ſiccatos, qui ederunt optimum et ſuaviſſimum eſſe cibum Geſnero retulerunt, nec amplius ſe mirari, quod eos per hiemem inter latendum fugant. Cerebrum venenatum eſſe Savanorola ſcripſit. *In Medicina* magni ſunt partes uſus. *Oculus* exſiccatus et puerorum collo appenſus, adverſus pavores nocturnos amuletum eſſe dicitur, ſupra ſiniſtrum hominis brachium alligatum quartanam febrem mitigat. *Sanguis* panos et apoſtemata in quacunque parte diſcutit, et pilis, qui in oculis naſcuntur prodeſt, et pulices enecat. *Adèps*, livores, et maculas eximit, ambuſtis, cum lilii radicibus prodeſt, igni ſacro illinitur, ulcera in tibiis et cruribus admixta rubrica ſanat, rimas pedum, alumine addito, ſarcit, raptos alopeciae vitio capillos reſtituit, et unguento ſympathetico ſeu armario admiſcetur. *Pellis* demorſis a cane rabido ſubſternitur. *Pulmo* attritus a calceamentis contractos ab inflammatione tuetur. *Fel* articulorum doloribus utiliſſimum tradunt, ab Arnoldo Villanovano ad epilepſiam commendatur, tuſſim admixto melle ſanat, in peſſum ad conceptum promovendum adhibetur. *Pili* cum adiantho et arundinum radicibus aduſti, magnae ſunt in generandis pilis efficaciae. Difficiles partus ſolvi, cum quis tectum, in quo gravida ſit, lapide, quo urſus interfectus eſt, tranſmiſerit, Plinius fabulatur. Adhibetur urſus et ad alia. *Pelles* Samoiedis et Lapponibus ad veſtimenta inſerviunt, aliis ad ſtragula. Olim equites, loricas et galeas iisdem tegebant, ut truculentiores apparerent. Palladius ferramenta, quorum in agris colendis uſus, ſebo, adverſus grandinem et gelu inungit: Mizaldus, cortices vitium adverſus erucas et glaciem. Fuit eorum et in ſpectaculis ac ſuppliciis ſumendis uſus. Annalibus notatum eſt, M. Piſone et M. Piſone et M. Meſſala Coſſ. ad XIV. Calend. Octobris, Domitium Aenobarbum aedilem curulem urſos Numidicos centum, et totidem venatores Aethiopas in Circo dediſſe. *Differentias* quod ſpectat, ſunt magni, parvi, nigri, albi, tales infeſtavere Hollandos, cum per glacialem Oceanum tranſitum in Cataiam quaererent. Stupendae erant magnitudinis. Nam occiſorum pelles ad tredecim pedes aſcendebant. Sunt et in Myſia albi, quorum ſuperius facta mentio. Strabo fulvoſum, in illa Arabiae regione ultimo promontorio contermina notarit, Agricola in fuſcos et nigros dividit. Helvetii parvos, *ſaxatiles*, magnos *capitales* vocant. Sunt et in novo orbe ignavi, qui ſolis formicis victitant, canibus cedunt, et bacillo percuſſi fugiunt, nec ullum caudae veſtigium habent. Myrmeciphagos appellare poſſis. Inveniuntur in provincia Verae pacis maximi, lanigeri ſatis, nigris pilorum ſive lanae grumis. Cauda illis palmaris duntaxat, manus velut humanae. Simi ſunt velut nigritae, rotundo roſtro, depili et rugoſo: In Virginia eduntur. Meticuloſi ſunt, fugiunt homines, aufugiunt ad arbores, inde deturbantur ſauciati iaculis. Provincia Beach, ſi Paulo Veneto credimus, domeſticos et innoxios producit. Hoc unicum addere placet, habuiſſe Suidrigellum Lithuaniae Principem urſum matutinis horis a nemore diſcedentem, qui palatio appropinquans anterioribus

Bruier. l. 13. de cibis, c. 41.

Plin. H. N. l. 8. c. 3

Differentiae.

Purchas. Navig. 3. l. 4. c. 5

Strabo Geogr. l. 16.

Maiol. Colloqu. 7. de quadrup.

Nierem. H. E. l. 9. c. 28.

Textor Tomo 2. Off.

ribus pedibus fores percutiebat, et cibo ſumto, remeabat in ſilvam. Solent et ſectae cuiusdam apud Turcas religioſi, ex eremo egreſſi, cervum vel urſum tintinnabuum collo ferentem per urbes et pagos circumducere.

CAPUT VI.

De Lupo.

ARTICULUS I.

De Lupo in genere.

rovan. L Dig. c. 6. men.

Lupum in genere et ſpecie conſiderabimus, eidemque *Gulonem* adiiciemus. Dicitur Latinis lupus, vel quaſi leopus, quod in pedibus leoninam virtutem gerat, vel a Graeco λύκος, a rabie nempe rapacitatis, vel ἀπὸ τῆς λύκης, a diluculo, ſeu quod in colore pellis crepuſculorum albedinem aemuletur, ſeu quod prima luce ad raptum exeat, ſeu quod oculi ipſorum ſint terſi et in tenebris fulgeant. Graecis dicitur λύκος, κυνικίας, ſi textus apud Varinum corruptus non eſt, Heſychio ὀλκὸς, quod poteſt eſſe ab ὀλέκω. Alibi νυκτερινοὶ κύνες vocantur. Foeminae λύκαινα nomen. Sunt vero lupi canibus magnis, maſtinis, ſeu paſtoralibus ſimiles, coloris, ut in differentiis dicetur varii. Habent *oculos* ravos, qui ſplendent lucemque iaculantur. *Dentes* ferratos, teretes, acutos, et inaequales. Rictum amplum, etos, quod maxime diducunt. *Collum* in eas brevitatis anguſtias compulſum, ut contorqueri retroque verſari non queat, et ſi retro velit adſpicere, totum corporis truncum contorqueat neceſſe eſt. Ideo quidam ex ſolido oſſe conſtare prodidere, ſed falſo. Clamorganus enim in diſſectis vertebras obſervavit, cui et Philes adſtipulatur. Habent et muſculos temporales magnos et nervoſos, prodente Galeno. *Cerebrum*, quod cum luna creſcit et decreſcit, ſi Alberto credimus. *Cor*, ſi ſiccetur odoratum. *Iecur*, ungulae equinae ſimile. *Genitale* oſſeum. *Pedes*, priores quinis digitis diſtinctos, poſteriores quatuor. *Oſſium* ſubſtantiam denſiorem. *Renes* aliis ſimiles, ſed qui in ſenectute, vermes vel ſerpentes, quod ſe in tribus vel quatuor cadaveribus obſervaſſe, Clamorganus ſcribit, producant. In *veſica* lapillus reperitur, qui Syrites dicitur. Nulli ſunt in Sardinia, ſi Pauſaniae credimus, Creta, ſi Ariſtoteli, Olympo monte Macedoniae, ſi Plinio et Solino. Angliam hoc animalis genus non alere certum. Sub Edgaro, Ednii II. exſcindi coepti, in totum poſtea eradicati ſunt, non in Cambria tantum, ſed in aliis quoque provinciis. In Septentrionalibus provinciis magna luporum copia, in Moſcovia inprimis pecori, iumentis et hominibus inſidiantur, cuius exemplum apud Olearium in itinerario Orientali invenies. Haud paucos in regno Senegae inveniri, prodidit Cadamuſtus. In provincia Scotiae Anguſia, eiusque valle Glamore reperiri, qui ferarum duntaxat raptu vivant, apud Boethium habetur. Carnivori ſunt, et inprimis ovillam appetunt. Ideo caulam ingreſſi, omnes fere interimunt. Equis, bobus, anſeribus inſidiantur. Humano ſapore maxime illiciuntur, ſi humanum cadaver prius guſtaverunt. Praegnantibus capto odore inſidiari Olaus M. prodidit. Sed nec ſuae ſpeciei, ſi fames premat parcunt, teſtaturque Clamorganus duo lupos die antecedenti occiſos, ab aliis nocte ſubſequente devoratos fuiſſe. Aelianus vero animadvertit, fame urgente multos ſimul excurrere, vertigine correptum et cadentem a caeteris laniari. Coram catulis, qui ablactantur, praedam nuper voratam

Plin. H.N. l. 11. c. 37.

Locus. Pauſan. in Phocicis. Ariſtot. in Mirabil.

Olear. Itiner. p. 119.

Cadamuſt. c. 29.

Cibus.

Olaus de gent. ſept. l. 18. c. 10. Clamorg. l. de venat. lupi.

criptio.

lian. H. l. 19. c.

lamorg. de lupor. enat.

alenus c uſu artium 10. c. 2. lin. H.N. 28. c. 20.

al. l. 11. e uſu art. c. 8.

voratam evomunt, et grandioribus factis agnum vel anſerem apponunt.

Porta Phyſiogn. l. 4. c. 4. Praeter carnes, plantam illam Scythicam Borametz dictam appetunt.

Linſchot. in Navigat. In regno Congo oleum, quod ex palmis elicitur ſorbent. Terram quoque et argillam comedunt. Inde forte lapis lithargilos dictus, qui in ventriculo, undecim uncias pendens,

Schenck. in Hiſt. monſtror. gyris et plicis intortus, a Schenckio obſervatus eſt. Albertus, non fame ſed naturali inſtinctu id facere dixit, ut gravior redditus, quae invaſiſſet, ſua mole deprimere poſſet. Exſaturatus per magnum temporis intervallum fert inediam, eique tum venter late proiicitur, lingua tumeſcit, os obſtruitur, manſuetusque evadit, lingua extenuata, iterum in lupum transformatur. An cibos defodiant, ex aequo eosdem dividant, et ad reliquias ululatu alios advocent, quod Albertus prodit, venatoribus decidendum relinquo.

Generatio. Ariſtot. H. A. l. 5. c. 2. Coeunt eo modo, quo canes in medioque coitu, inviti etiam cohaerent, coeuntque uno anno nonniſi per dies duodecim, quos a natali Chriſti quidam computant. Libidinis tempore acrius in eos, qui acceſſerint ſaeviunt, inter ſe tamen, quod gregales non ſint, non dimicant. Gerunt uterum duo menſes,

Ariſt. H. A. l. 6. c. 15. et tandem quoad numerum et caecitatem catulorum, ut canes pariunt. Novem catulos generare vulgaris apud Helvetios ſermo, teſte Geſnero, qui etiam ex Rhaeto quodam audivit, catulos in Rhaetia circa Calend. Maii, ſeptem vel novem aliquando ex una parente, ex latibulis auferri. Idem aiebat vulgo ferri lupam primo partu unicum eniti catulum, ſecundo geminos, et ſic deinceps, ſingulatim catulo ſemper auctiorem fieri partum, usque ad decem, inde ſterileſcere. Intra duodecim dies parere, quod Latonam oberrantem totidem diebus ex Hyperboreis Delum deduxerint, ſub ſpecie lupae, propter metum lunonis,

Plutarch. probl. 32. fabuloſum eſt. Antipater apud Plutarchum partum proiicere adſerit, cum glandiferae arbores florem abiiciunt, quo guſtato uteri illarum reſerantur, cum eius copia non eſt, partum in ipſo corpore emori, nec in lucem venire poſſe, praeterea regiones illas a lupis non vastari, quae glandium quercuumque feraces non ſunt. Potus ſunt parciſſimi. De *Antipathia* haec apud auctores occurrunt. Homo, quem prius vide- *Antipathia.*

Solin. in Polyhiſt. rint conticeſcit, et anticipatus obtutu nocentis, licet clamandi votum habeat, non habet vocis miniſterium. Oculus erutus quadrupedes domeſticas terret. Mulier, ſi unquam ſupra calidam lupi urinam minxerit non concipiet. Cauda ad praeſepe ſuſpenſa, facit ne comedant. Rumpi traditur equos, qui

Plin. H. N. l. 20. c. 14 veſtigia luporum ſub equite ſequantur, quod ſi lupi calcaneum equi quadrigam trahentes conculcent, ſiſtentur, tanquam ii cum quadriga conglaciaſſent. Oves ab eo adeſae

Aelian. H. A. l. 1. c. 6 ſuaviorem habent carnem, verum lana pediculos et pruritum generat. Agni nuper nati, nec alicuius animalis effigiem extra caulam conſpicati, audito repente luporum ululatu, exanimantur. Pellis eorundem lupinae ſuperpoſita ſtatim depilatur. Stercus in ovili occultatum, pecudes quieſcere prohibet, niſi auferatur. Fides ex inteſtinis ovium, cum inteſtinis luporum permixtae, obſtrepentes omnem citharae concentum interturbant, quod tamen falſum eſſe experientia docuit. Scillam ſi contigerit repente contrahitur. Lapides ideo perhorreſcit, quod in parte a ſaxis icta vermes naſcantur. Scintillis ex ſilice emicantibus ita terretur, ut etiam famelicus accedere non audeat. Tympa-

Oppian Cynege num ex eius corio formatum caetera animalia fugat. Cantus denique et ſonus ipſi inimicus eſt. Pythiocaris tibicinem, cum tibia magna contentione incitatos numeros caneret, impetum luporum repreſſiſſe prodit. Geſnerus vero novit quendam, qui cum lapidibus lupum terrere non poſſet, ſono tympani, quod geſtabat, perterrefactum fugavit. Dicitur pſittacum amore proſequi.

Morbi. *Morbos* ſi attendas, rabie, podagra, et cynanche laborare ſolet, lycoctono

Vitâ. coctono ſumto interit. Vulneratus, in luto ſe volutat, et ſic ſanguinem ſiſtit. Permultos annos vivunt, et ex dentibus in ſenecta male afficiuntur, ita, ut etiam edentuli fiant. De *Ingenium.* *moribus* et *ingenio* ut aliquid dicamus, viſcera quia habent infirma, ideo herbas comedunt, dracontium inprimis ad acuendos dentes. Breves, inter caeteros magis audaces putantur. Cum in foveam inciderunt, vel ſe incluſos ſentiunt, prae ſtupore innoxios ſe exhibent, Geſnerus Hiſt. Quadrup. p. 721. quod una et altera hiſtoria Geſnerus confirmat. Percuſſores cognoſcunt, et ex obſervato invadunt. Plin. H. N. l. 8. c. 22. Foetus ſuos amant, foemina partus cuſtodit, mas pro catulorum ſalute cibos ad ipſam defert. Cum fugiunt, catulos ſecum ferunt. Coelo praecipue nubilo inſidiantur, ut magis lateant. Cum per folia incedunt, ne ſtrepitum faciant, lingua pedes ſuos lambunt, et lubricos reddunt. Fluvios transmiſſuri, ne undarum fluctibus abripiantur, ſinguli apprehenſis morſu praenantium caudis, una ſerie transmittunt, a quo ingenio λυκάβας annus dicitur. Suidas χειμῶνος ὥρα, ita transmittere ait. Aelian. H. A. l. 8. c. 14 Apprehenſis quoque mutuo caudis, bovem e palude extrahunt. Dum cibum capiunt, vel intuentibus iraſcuntur. Si homo pariter et aliud animal ſe offerant, ſemper homini, Geſner. Hiſt. Quadrup. p. 923. narrante Alberto parcunt. Narravit ſane mihi, inquit Conradus Geſnerus, quidam, lupum ſe vidente, morſu comprehendiſſe lignum triginta vel quadraginta librarum in ſilva, et cum eo ſe aſſuefeciſſe tranſilire grandem eo in loco arboris abſciſſae truncum, tandem cum ſatis peritus tranſiliendi ſibi videretur, ſe abſcondiſſe, et adveniente propter ſatam ibi avenam porca ſilveſtri, cum pluribus aetate differentibus porcis, anniculis, bimis prorupiſſe, apprehenſoque porco, qui aequalis pondere videbatur ligno, quo cum tranſilire truncum didicerat, ſaltu retro truncum ſe recepiſſe, et interemtum ibi porcum devoraſſe. Aliquando cum canibus amica ſocietate confoederantur, et caulas invadunt. Si in minorem aliquam pecudem inciderint, auricula comprehenſa, ſecum currendo abducunt, renitenti clunes cauda feriunt, ita, ut lupo interdum celerius currat, Ubi caulas intraverunt, omnes interficiunt, antequam aliquam ad comedendum attingant. Tauros a fronte adoriri non audent, quod cornua extimeſcant. Quamobrem primum, quaſi recta via pugnaturi eſſent, minas gerunt, et illorum oculis ſeſe crebro inculcant, deinde ſe retorquentes in dorſum inſiliunt, et acerrime ad eius perniciem incumbunt. More equorum et canum per aetatem caneſcunt. Famelici, noctu vento adverſo, odorem eſcae, per medium milliare ſentiunt, inventumque cadaver trahunt et devorant. Quandoque uno ululante alii conveniunt, et omnes ſimul equorum gregem adoriuntur, quod in Bononienſi territorio ſaepe accidere ſolet. Turmatim etiam progrediuntur, et nocte intempeſta, iuxta deſtinatum pagum commorantur. Interim illorum unus in pagum excurrens canes excitat, et ſimulata fuga, usque ad inſidiarum locum, ad ſe perſequendum invitat, ubi canes ab aliis lupis dilaniantur. Frondes et ſalicis ramulos porrigunt, ut capras his gaudentes ineſcent. Vocis fere obliti eramus, quem eruditi ululatum vocant, Graeci, per ὠρύω et ὠρύομαι exprimunt. Ad menſas inter honeſtos non admittitur, quod carnem habeat ſiccam, craſſam, foetidam. In Inſubria tamen aliquando editur. In *Medicina* multi eſt uſus. Vivus, oleo cerati modo incoctus ad podagram laudatur. *Corio* ventrem conſtringere, in colica prodeſt, ſi Rhaſi credimus. *Carnes* ediſſe, parituris prodeſt, aut ſi incipientibus parturire, ſit iuxta, qui ederit, adeo, ut etiam contra illatas noxas valeat. *Adeps* antipodagricis unguentis admiſcetur. *Sanguis* cum oleo nucum

Aelian. H. A. l. 5. c. 19

Ambroſin. de Digit. l. 1 p. 147.

Albert. l. 2. de Animal.

Vox.

Vſus.

mixtus ſurdidati prodeſt. *Caput* ſub pulvino reconditum ſomnum inducit. *Oculus* dexter ſalſus adalligatusque febres periodicas arcet. *Dens* gingivas extenuat, quo dentes levius proveniant. Qui per *lupi guttur* in ſynanche bibit, evadit. Hoc experimentum ſe ab Adolpho Occone accepiſſe, Agricola fatetur. *Cor* antepilepticis, admiſcetur. Medicamentum, quod in M. S. Geſnerus invenit, ex viſci quercini uncia una, viſci de piro unc. ſ. mucronum de cornu cervi ſcobe dr. ij. cordis lupini dr. j. componitur. *Hepar* Archigones apud Galenum ad oris cruſtas commendat. Haut pauca de eiusdem uſu apud Marcellum habebis. Idem tuſſim ex vino tepido ſanat, et phthiſicis medetur. *Fel* cum elaterio umbilico adligatum alvum ſolvit. Pars de *virga* in furno aſſa et inciſa ſumta, veneris appetitum excitat. *Teſticulus* dexter oleo permiſtus, et cum lana genitali muliebri adplicatus, deſiderium coeundi adimit. *Stercus* colicis potandum tempore Galeni cum ſucceſſu dabatur, immo vel appenſum iuvabat, ſed in fruticibus et vepribus colligebatur. Vide Galenum. Quin et oſſa in excrementis inventa, colo medentur adligata brachio, ſi terram non attigerint. *Oſſa* exſiccata et in pulverem redacta, dolorem intercoſtalem tollunt. Inſervit et aliis, nam caput in columbario ſuſpenſum muſtelas et feles arcere dicitur. Roſtrum inveteratum veneficiis reſiſtit. Sanguis circa agrorum fines ſparſus lupos arcet. Eodem olim in ſacrificiis utebantur, cum Daemonas invocabant. Adipe novae nuptae, poſtes apud Romanos inungebant. Cauda ſupra praeſepe ſuſpenſa lupos a ſtabulis arcet. De *differentiis* ſequenti articulo agemus.

Galen. de compoſ. ſecund. loca. l. 6.

Plutarch. in Iſide et Oſir.

ARTICULUS II.

De Lupo in ſpecie, et de Gulone.

Ex Lupis alii ſunt *ſilveſtres*, alii *aurei*, *ſcythici*, *marini*. *Silveſtrium* in Doffriniis montibus, qui Norvegiam a Suecia dirimunt, Olaus in Sardinia Lonicerus meminit. Villoſior eſt vulgari, flavi coloris, et caudam erectam geſtans. Frequens eſt eius apud Mediae populos in ludis uſus. Armati cum eis congrediuntur. *Aurei* a colore flavo eoque pereleganti ita vocantur. Minores ſunt lupis communibus, voracitate tamen pares. Gregatim incedunt hominibus et armentis innoxii. More canum latrare videntur. In Cilicia et Turcia viſuntur. Turcarum domos et tuguria noctu ſubeunt, et quicquid in eis eſculenti reperiunt, devorant, quod ſi nihil horum obvenerit, pileos, veſtes, calceos et quicquid coriaceum eſt, auferunt. Ex pellibus veſtes parantur. *Scythicus* in ultima Scandinavia, poſt Norvegiam et Gothiam reperitur. Animal eſt lupi magnitudine, perpetuo iracundum. Germani ab acie unguium, quibus maxime ſaevit, Grimmeklaw vocant. *Marinus* animal eſt amphibium, magnitudine urſi, pelle adeo dura, ut gladiis pene ſit impenetrabilis. Caput habet enorme, oculos per multis pilis obumbratos, naribus et dentibus caninis, pelle villis erectis hiſpida, nigris maculis diſtincta, cauda oblonga, craſſa, villoſa. In ventriculo nonnulli lapilli reperiuntur. Pinguedine ſcatet. Conſpicitur in Oceani Britannici littore. In Inſula Angrae tanta eorum multitudo, ut quandoque milliarius armentorum grex eſſe videatur. Viſuntur et in inſula poſt portum S. Crucis ſita, et in maritimo Peru tractu. Inimicitias cum avibus Buitri dictis gerunt, a quibus aliquando interficiuntur. Adeo amplas alas habent, ut extenſae ſpatium XV. pedum occupent. Lupo conſpecto, altera lupi

Ambroſin. Hiſt. Dig. l. 1. c. 7. Olaus de gent. ſeptentr. l. 18. c. 11.

Bellon. obſ. l. 2. c. 108.

Ambroſ. Hiſt. Dig. l. 1. c. 9.

Bellon. l. de aquat. c. 3. Lopez. Hiſt. Inc l. 1. c. 3.

Lupus . Wolff .

Zilio Hijæna

Vulpes . Fuchs .

Hijæna .

Tab: LVII

Lupus Marinꝰ Geſneri et Bellonij

Hÿæna .

Gulo . Vielfraes .

Lupus Scythicus.

Semivulpa.

Verrex Æthiopicus.

pi pedes apprehendit, altera ipſum roſtro excaecat. Rugiunt ad inſtar leonum adulti, parvi vocem haedorum imitantur. Hepar eſt edule. Angrae incolae carnibus eorum tam recentibus, quam ſalitis nutriti, diu vivunt. Pelles ad veſtimenta adhibentur. *Guloni* nomen a voracitate impoſitum eſt. Scaliger Vulturem quadrupedem, Crollius Boophagon, Germani Vielfraß nominant. Eſt, deſcribente Miechovio magnitudine canis, facie cati, corpore et cauda vulpinis, colore nigro. Reperitur in Lithuania, Moſcovia, et aliis ſeptentrionalibus regionibus. Veſcitur cadaveribus, tantumque vorat, ut tympani inſtar infletur. Plenus, anguſtiam duarum arborum aut rupium anguſtiam ingreditur, et vi per infernas et ſuperas partes excrementa trudit, rurſusque ad cadaver regreſſa ſeſe implet. Congener ipſi fera Arabibus *Dabub*, Africanis *Seſef* dicta, magnitudine et forma lupum referens, quae etiam cadavera eruit. Forte eſt eadem cum veterum hyaena, quod et Geſnero placet. Sanguis huius ferae pro potu venatoribus inſervit, et melle rariſſimo conditus, in pompis nuptialibus propinatur. Pinguedine ulcera ſuperlinunt. Inteſtina ad uſum chordarum trahuntur. Ungulae ab animali recenter avulſae, et canibus aut felibus oſtenſae easdem fugant, appenſae, contra tinnitum aurium faciunt. Pellibus ob pulcritudinem veſtes ſubducuntur, eorumque tegumentis honorabiliores hoſpites excipiuntur. Ideo ad exteros evehere non permiſſum. Stuporem ſi verum eſt incutit, quod proditur, in cubilibus harum ferarum quieſcentes, res naturae Gulonis conformes, et quod ſemper comedant, ſomniare.

Olaus lib. 13. c. 6.

Miechov. in deſcript Sarmat. l. 2. c. 3.

Leo Africanus l. 9.

TITULUS II.

De Digitatis ſemiferis.

CAPUT PRIMUM.

De Vulpe.

ARTICULUS I.

De Vulpe in genere.

Ambroſin. Digit. l. 2. c. 1.

Tantum de Digitatis feris. Semifera vocamus, quae licet feris ſint inſtructa moribus, ob parvam tamen corporis molem, ab hominibus facile ſuperari, regi et domari poſſunt. Talia ſunt, *Vulpes*, *Simia*, *Cercopithecus*, et alia huius generis Indica, *Cynocephalus*, *Papio*, *Vpalim*, *Taxus*, *Caſtor*, *Lutra*, *Ichneumon*, *Muſtela*, *Genetta*, *Animal Zibethi*, *Lepus*, *Cuniculus*, *Sciurus*, *Glis*, *Mus*, *Talpa*, *Echinus terreſtris*, *Hyſtrix*, *et Tatus*.

Nomen. Iſidor. Origin. l. 12. c. 2.

Vulpes, et ut alii volunt *Volpes*, vel eſt quaſi volupes, quod ſemper tortuoſis anfractibus ad alias animantes decipiendas currat, vel quaſi volipes, quod ob curſus celeritatem volare videatur, vel quaſi valipes, ob pedum valorem Latinis dicitur. Apud Graecos plurima habet nomina. Dicitur namque ἀλώπηξ, quod nomen tam in maſculino, quam foeminino reperitur, παρὰ τὸ ἀλᾶσθαι et ὤψ ὠπὸς, a fallendis oculis, βασταρὶς et βασταρὴ Cyrenenſibus, θάμιξ, κερδὼ ab aſtutia, quae Graecis κέρδος et κερδοσύνη, καθέφη, κερδάλη, κερδία, κηλὰς, παρὰ τὸ κηλεῖν, quod cauda eius ad demulcendum apta ſit, κίναδος, quod nomen quidam beſtiae omni imponunt, κινάνδρα, κιδάφη, ſeu κιδαφὸς, κίφα, κίφαφος, κοθώρις, κεκλοβώρος, κορσῖτις, λαμπυρὶς, σκαφώρη, et caetera. οὐανοῦν Phrygibus vulpem etiam ſignificat.

Deſcriptioni non eſt, quod inſiſtamus, cum notiſſimum ſit animal. *Deſcriptio*

Cibus. *Genitale* mari oſſeum, ut lupis et muſtelis. *Caudam* habet villoſam, *Aures* breviores, quam canis. *Cibum* ſi ſpectemus, delectatur gallinis, anſeribus, aſtacis, otidibus, cuniculis, leporibus, ſilveſtribus muribus, felibus, parvis canibus, quos coercere poteſt, locuſtis denique. Cum Maſſiliae piſcatores Buopas Maenarum genus et magnos aſtacos per noctem in navicula reliquiſſent, vulpes buopibus inſidiata, ab aſtaco, forcipe, cui pedem interpoſuerat, capta eſt. Ab uvis quoque maturis non abhorrent, ut nec a piris, ſi proverbium hoc ſenſu ſumi debet.

Locus Miechov. de Sarmat. c. 1. Non habentur in Creta, ſi Solino credimus, at in Ruſſia frequentiſſimae ſunt, ut et Alpinis Helvetiorum locis. Ideo mercatores multas ibi pelles coemtas in alias regiones divendunt.

Generatio. De *Congreſſu* tradidit Plinius, ad latera proiectas coire, alii ad terram. Ariſtoteles ſupervenientes commiſceri. Invadunt et diverſi generis animalia, modo corporatura et tempora graviditatis ſint aequalia. Ideo ex cane et vulpe,

Ariſt. H. A. l. 6. c. 34. ad montem Ariſtoteles, Canes Laconici, *Alopecides* dicti generantur. Pariunt catulos caecos, quatuor ut plurimum, et parturientes ita ſecedunt, ut rariſſime gravidae capiantur. Editum foetum lambunt, refovent et concoquunt.

Sympathia et Antipathia. Cum ſerpentibus adeo amice vivunt, ut in iisdem cavernis quiete morentur. Hoſtilitatem vero exercent, cum plantis, avibus, et quadrupedibus. Ruta ſilveſtris cum eduliis gallinarum miſta, vel eius ramuſculus ſub alis gallinarum alligatus, easdem a vulpe tutas reddit. Milvus, vultur, et aquila vulpium catulos ſaepe rapiunt. Circus et Aeſalo pilos ab iisdem avellit. Corvos et vulpem in cavea clauſos, tam acriter dimicare Avicenna vidit, ut corvi caput ſauciatum ſanguinem emiſerit, corvus vero labia vulpis adeo conſtrinxerit, ut hiſcere nequaquam poſſet. Taxi cum vulpibus ſaepenumero praeliantur, hi taxos, cryptas ſtercore foedando fugant. Cervi eorundem gannitum reformidant. Lepores ſunt in illis inſulis frequentiores, in quibus nullae vulpes.

Vox. Ululando et latrando canem imitatur, quando iraſcitur et dolet, alioquin, cum aliquid, ſi domi alatur petit, gannit et blande immurmurat. Hinc κυνζάω ſeu κυνζιω, proprie de canibus, queribundum ululatum edentibus, profertur.

Mores et Ingenium. Plin. H. N. l. 8. c. 28. *Moribus* et *ingenio* eſt doloſis. In Thracia amnes gelatos lacusque nonniſi ad paſtus itura redituraque tranſit, et obſervatum, aure ad glaciem appoſita, craſſitudinem gelu coniectare. In caverna multiſores aditus facit, ne tam facile a venatoribus illaqueari poſſit. Quia lupus contactu ſcillae convellitur, latebris ſuis eandem adponit. Albert. l. 2 de Animal. Pulicibus infeſtata, manipulum foeni molliſſimum, aut pilos ore continens, paulatim a poſteriori parte in aquam ſe mergit, ut pulices ad caput aſcendant, eoque immerſo, in foenum vel villum colligantur. Aelian. H. N. l. 6. c. 6. Echinos in arctum conſtrictos, quia adoriri non poteſt, urina in os reddita ſuffocat. Cum lepore ſe ludere velle ſimulat, et incautum devorat. Famelica, inſidioſe mortuam ſe ſimulans, ſpiritu compreſſo, exertaque lingua, poſtquam ſe in argilla rubra, ut cruenta quaſi appareat, volutaſſet, accedentes aves corripit. In Ponto ſic otidas venatur, ut et ſeſe avertens, et in terram abiiciens, tanquam avis collum, ſic caudam extendat. Eae, hac inſidiarum inſtructione ſeductae, ad illam tanquam ſuam gregalem accedunt, et nullo negotio capiuntur. Aelian. H. A. l. 6. c. 2. In pedica capta, morſu pedem praeſcindit, ut aufugiat, nulla fugae patente via, mortem ſimulat. Gallinas in pertica ſedentes, cauda huc et illuc impulſa perterrefactas deiicit et devorat. Nihil de piſciculorum et veſparum captura, quos cauda aſtute capit, dicam. In procera arbore deprehenſa, iucundum aliquando ſui ſpectaculum praebet. In ea enim tanquam in arce oppugnari ſolet, cum neque ignem timeat, niſi pars proxima ardeat, plerumque etiam acutas cuſpides non fugiat, et perfodi potius

tius ſuſtineat, quam in turbam canum deſcendere. Tandem vero deſcendere coacta, impetu quodam inſtar fulguris deiici ſolet, in numeroſam canum cohortem, ut ſagaciſſimos laniet, et a praeſtantioribus dilaceretur. Vulpium carnes nitidior vita damnavit. A Sarmatis tamen, Vandalis, et ruſticis Gallis ſeu elixae ſeu aſſae comeduntur, ut olim a Boeotis. Incolae inſulae portus ſanctae Crucis, aliquando crudas, aliquando parum fumo induratas vorant. Bruierinus, qui eas deguſtavit, neſcio quid viroſi et agreſtis habere ſcripſit. At Galenus, vim ei ineſſe carnibus leporinis ſimilem teliquit. *Cerebrum* infantibus ſaepius exhibitum, a comitiali morbo eos praeſervat. *Lingua* in armilla geſtata a lippitudine, arefacta, in collo contra albugineas ſuſpenditur. *Pulmo* phthiſicis commendatur, ſuſpiriosis a Dioſcoride, lienoſis a Sexto propinatur. *Iecur* in iecoris affectibus praeſcribitur. *Fel* cum melle mixtum oculorum caliginem delet, et in peſſo ad maſculorum conceptionem inditur. *Renes* cum pinguedine, gonagrae opitulantur, iisdemque ad faucium tumores diſſolvendos guttur perfricatur. *Teſticulus* ad iuvandum congreſſum et conceptionem in electuariis exhibetur. *Genitale* oſſeum oleo et bitumine imbutum, tanquam peſſus, ad provocandos menſes ſupponitur. *Pudendis* vulpis foeminae in cephalalgia caput circumdatur. *Sanguis* recens calculoſis exhibetur, eodemque pudenda illinuntur. *Pinguedo* liquata et auribus inſtillata, affectiones earundem inveteratas tollit, nervorum morbis magno eſt adminiculo, Unguentum ad calculum ingreditur, in alopecia mirandum in modum valet. Eodem pedes et manus a frigore praeſervat, dum modo ſaepius, antequam intumeſcant inungantur. *Stercus* cum ſinapi mixtum, Plinius in ulceribus capitis adhibet, Rhaſis cum oleo roſaceo mixto virgam inungit, atque hoc modo venerem ſopitam excitat. *Pellem*, Galenus in capillorum affectu, Sextus in Podagra, dum calceos ex ea parari iubet, utitur. Iſchiadicos ab ea iuvari compertum eſt. *Caudae* ſumma pars brachio illius ſuſpenditur, qui ad venerem iners eſt. Ex tota vulpe, oleum ad omnes arthritidis ſpecies valde efficax paratur. Pellem inveſtitu uſurpari notiſſimum, nigrae inprimis, quae aliquando quindecim aureis vaenit. *Differentiae* Vulpium a magnitudine, colore et more ſumuntur. *Magnitudinem* ſi ſpectes, Odonus minores in Aegypto, quam Graecia reperiri ſcribit. In Peruana quoque ſunt puſillae, teterrimi odoris adeo, ut ſi urina aliquid foedaverint, foetor nunquam ablui poſſit. Quantum ad *colorem*, dantur in ſilvis ſeptentrionalibus nigrae, candidae, rutilae, crucigerae, et iſatides. Viſae nigrae, quae ab aliquibus albis pilis, quodam ordine digeſtis exornantur. Rufeſcentium duas ſpecies. Una, quae guttur in albo nigricans, veluti carbonum pulvere conſperſum exhibet. Altera, candidum, quae ſpecies tanquam rarior in Germania magnifit. *Albarum* maior in Suecia et Norvegia copia: ſed maxima circa Novam Zemblam, quae ſole ſub horizontem demerſo emergebant, emerſo occultabantur, quaeque Hollandis ibidem vi frigoris conſtrictis, cuniculi carnes ſapere videbantur. In *Crucigera* ab ore per caput, tergum, et caudam recta, nigri coloris linea protrahitur, deinde alia transverſa per armos ad pedes anteriores ducitur, quae duae lineae crucis figuram exprimunt. *Morem* ſi attendas, Aelianus in Caſpiis regionibus vulpes eſſe ſcribit, quae et urbes innoxiae ingrediuntur, et incolis tanquam caniculae inſerviunt.

Differentiae.

Scalig. Exerc. 217.

Aelian. H. A. l. 7. c. 30

ARTICULUS II.

De Vulpibus Indicis.

Nieremb. H. Exot. l. 9. c. 10.

Vulpium Indicarum varia ſunt genera, variisque ab iisdem nominibus inſigniuntur, *Coiotl*, *Cuitlax coiotl*, *Azcacoiotl*, *Ilpemaxtla*, *Oztoa*, *Izquiepotl*. *Coiotl* animal eſt lupino capite, oculis vividis, magnis ac pallentibus, parvis et acutis auriculis, roſtro nigro, longo, nec admodum craſſo, cruribus nervoſis et uncis, craſſis unguibus, cauda hiſpida craſſaque, noxio morſu, fuſco, longo, candidoque pilo. Magnitudine eſt inter lupum et vulpem media. Frequens eſt in nova Hiſpania, locis inprimis frigus et rigorem declinantibus. Victitat imbecilliorum animalium praeda, maizio et arundinibus ſaccarinis. Invadit aliquando et cervos et homines. Sagax eſt venatui, et vulpinis moribus, atque adeo iniuriae illatae ultor, et ereptae aliquando ſibi praedae memor, ut poſt dies aliquot agnoſcat raptorem, inſectetur obvium, et interdum etiam aliis ſuis generis comitantibus adoriatur et trucidet, cognitisque magno ſtudio et cura aedibus, ac interemtis quibusvis domeſticis animalibus, ulciſcatur iniurias et poenas ſumat. Erga beneficos vero eſt tam gratus, ut allatis ante eum cohortalibus, et caeterae praedae parte, benevolentiam plerumque teſtari ſoleat. Fertur dolorem dentium pene eius expurgatorum ſubito ſedari. *Cuitlaxcoiotl* iisdem quoque praeditus eſt moribus, et forma etiam eſſet eadem, niſi Cuetlaztli pilo ſimilis videretur, unde nomen accepit, collo craſſo, et impenſe hirſuto, pectorisque et faciei pilorum longiorum acervo terrificus. *Azcacoiotl*, formicarum cavernis inſidet. Cum noctu ululat, multiformes edit clamores. *Ilpemaxtla*, candido, nigro et fulvo pilo veſtitur. Capite eſt parvo, articulis modicis, corpore gracili, ac quatuor fere dodrantes longo, roſtroque prolixo et tenui. Offenditur ubique, ſed praecipue calidis in locis Oztoa genus eſt vulpis, forma et magnitudine noſtro ſimile. Tres dodrantes vix ſuperat, nigro candidoque veſtita pilo ſed quibusdam partibus fulvo. Incolit foveas. Alitur cohortalibus. In terrae cavitatibus occulte educat ſobolem. Atrociter mordet. Cum aliter manus venatoris effugere nequit, ſimulat ſe mortuam. In cibi ibidem uſum venit, quamvis crepitus ventris incolis ſit foetidiſſimus. *Izquiepotl* maizium toſtum colore imitatur. Duo eſt fere dodrantes longa humilisque, roſtro tenui, parvis auriculis, piloſo et nigro corpore, ac praecipue iuxta caudam, quae longa eſt et nigro candidoque pilo, quemadmodum et dorſum univerſum veſtita. Brevibus cruribus, nigrisque, et uncis unguibus. Vivit antris inter ſaxa, ubi educat prolem. Veſcitur ſcarabeis et vermiculis, cohortales iugulat, ſolumque earum devorat capita. Fundit, cum pedit halitum foetidiſſimum. De urina ſuperius diximus. In extremo conſtituta periculo, reddita urina, aut faecibus deiectis, ad octo pluriumve paſſuum intervallum, tanta vis eſt excrementi, ſeſe ab omni vindicat iniuria, ac veſtes inficit indelebilibus luteisque maculis, et nunquam ſatis perſpirante putore. Editur eius caro ſtercusve ſaluberrimo eventu ab iis, qui lue Hiſpanica laborant. Sunt et alia duo vulpeculae huius genera, eadem pene forma et natura, quorum alterum *Izquiepatl* vocatum faſciis multis candentibus diſtinguitur, alterum vero *Conepatl* ſeu vulpecula puerilis, unica tantum utrimque ducta, perque caudam ipſam eodem modo delata. *Bachirae* quoque dicuntur animalia vulpibus ſimilia. Rotundiora ſunt et iucundae carnis.

Annae

Carigueija .



Aperea Cuniculi ſpecies .
Veldratte .

Aguti vel Acuti Cunic.
Br. ſpec .

Cavia Cobaija Cunic .
Braſil. ſpec .

Paca . Cunic . Braſ. ſp.

Cuniculi Indi Geſneri .

Dachs .

Tatu Apara .



Annae etiam appellantur ab Indis, animalia illa fele domeſtico minora, peſtilentis odoris, quae oppida noctu adeunt: foetor illa prodit, etiamſi diſtent centum paſſus, nec fores, nec feneſtrae clauſae obſtant.

ARTICULUS III.

De quibusdam vulpi congeneribus.

PUNCTUM I.

De Carygueia et Taiibi.

aregrav ſt. Braſil 5. c. 2.

Quinque inprimis in Braſilia invenio animalia, quae vulpibus cognata eſſe videntur, *Carygueia nempe*, *Taiibi*, *Tamandua guacu*, *Tamanduani et Coati*. *Carygueia* aliis lupatiima, Lerio Sarigoy, Ximeni Tlaquatzin dicitur. Animal eſt ex deſcriptione Marcgravii, catuli ſeu mediocris felis magnitudine: *caput* vulpinum habet. Ore acuminato, eſtque inferior pars oris paullo brevior ſuperiore, linguam longam, quam tamen os aperiens et morſum minitans non exerit, quamvis poſſet, ſed verſus poſteriora attollit. *Dentes* inſtar felis ſeu vulpis, anterius nimirum, tam ſuperius, quam inferius parvulos, hinc quatuor longos caninos, ſuperiores quidem longiores, inferiores breviores, hinc iterum ſex alios, et dein molares, nimirum ſedecim molares, duodecim intermedios, quatuor caninos, et inciſores parvulos, in inferiore mandibula octo, in ſuperiore decem, nam duo maiuſculos in medio habet more leporis. *Nares* habet patentes, *oculos* pulcros rotundos, nigros, *aures* pro more corporis amplas, longas, latas, vulpinas, quas erectas gerit, ſed conſtant tenui membrana glabra, translucente, cui fuſci, aliquid admixtum. *Barbam* habet felinam pilis nigris, ſub mento autem ſunt breves, in ſuperiore parte oris longiores, ſupra oculos aliqui, et itidem in utraque gena. *Caput* tres digitos aut paullo plus longum, aurium quaelibet duo digitos longa, ſesqui fere lata. *Collum* breve nec ſupra digitum longum, reliquum corpus ſeptem digitos, usque ad caudae exortum, *cauda* pedem longa, quam curvatam geſtat, nam ea ſe arborum ramis more ſimiae appendit. *Pectus* latiuſculum. *Crura* duo anteriora breviora, nimirum quodlibet tres digitos longum, poſteriora paullo plus quatuor. *Pedes* anteriores digitis quinque inſtar manus conſtant, unguibus albis, inſtar avium curris, poſteriores longiores, ut in cercopithecis eſſe ſolet, item quinque digitis, ut manus. *Pilis* veſtitur longis, ſed qui in capite, collo, infimo ventre et cruribus breviores, pili autem capitis, colli inferius, et caudae inferius prope exortum ſunt flavi, ſecundum longitudinem autem capitis per oculos et medium capitis tendit ampla nigra ſtria, collo ſuperius etiam nigri pili admiſcentur. Per totum autem dorſum, latera et caudam ſuperius prope exortum, maximam partem nigra eſt, ſed leucophaeis pilis admixtis. Cauda ab exortu ſuo tantum ad quatuor digitos piloſa eſt, reliqua parte nuda, ubi cute veſtitur ad quatuor digitos nigra, quatuor digitos ultra albicante, fuſco colore intermixto, rotunda eſt, et ſenſim attenuatur. Mas foeminae per omnia ſimilis. In infimo ventre prope crura poſteriora, pellis eius dupla eſt, et exterior rima ſciſſa duo et ſemis digitos longa, facitque quaſi burſam pomi aurantii maioris capacem. Eſt autem haec burſa intus piloſa, et continet mammas in interiore pelle ad ventrem octo papillis, burſae autem

autem os arcte clauditur, ut non appareat, niſi duobus digitis diſtendatur. Haec burſa ipſe uterus animalis eſt, nam alium non habet, uti ex ſectione illius, inquit *Marcgravius* comperi, in hac ſemen concipitur, et catuli formantur: et haec ipſa, quam deſcribo beſtia, ſex catulos vivos et omnibus membris abſolutos, ſed ſine pilis in hac burſa habebat, qui etiam hinc inde movebantur, quilibet catulus duo digitos erat longus, in ea tamdiu retinentur, donec ipſi ſibi victum quaerere poſſunt, interea tamen interdum progrediuntur foras, et iterum ingrediuntur. *Teſtes* ſub ano habebat interius iacentes. Pellis eius facile detrahi poteſt, ut vulpina aut leporina, modo in ventre incidatur. Foetet animal inſtar vulpis aut Martis. Mordax eſt. Veſcitur libenter gallinis, quas rapit ut vulpes, et arbores ſcandendo avibus inſidiatur. Veſcitur quoque ſaccari cannis, quibus ſuſtentavi per quatuor ſeptimanas in cubiculo meo, tandem funi, cui adligatum erat ſe implicans, ex compreſſione obiit. Tantum Marcgravius. Invenitur in Dariene Braſilia et Florida, et nova Hiſpania. Videtur quidem ei Ximenis Tlaquatzin deſcriptio competere, quin Nierembergius Cerigonam Braſilienſibus vocari ſcribit, icon tamen, quam Nierembergius exhibuit, ab icone Marcgravii plane differt, ut ex collatione unicuique apparere poteſt. Sed nunc Ambroſini Vulpiſimia, vel Simivulpa huic, ſi iconem ſpectes ſimilis eſt. Ideo in muſtellarum numero repoſuimus, icone hic adiecta. Ut ut ſit, cauda huius animalis, magni eſt in Medicina uſus. Drachmae pondere ex aqua vicibus aliquot ieiunis hauſta, mundat ureteres, calculos expellit, venerem excitat, lac generat, colicis doloribus medetur, parientibus prodeſt, partum accelerat, et ſi maſticatam imponas partibus quibus ſpinae infixae, extrahit illas. *Tai-Ibi*, quod Luſitani *Cachorro do mato* appellant, animal eſt corpore tereti et oblongo. Veſtitur pilis albis ſplendentibus, qui in extremitatibus nigricant. Caput habet vulpino aemulum, os acutum, barbam felinam, oculos conſpicuos et prominentes, nigros, aures ſubrotundas, molles, graciles, albas, teneras, ut charta mollis. Cauda in exortu ad quinque digitorum longitudinem pilis veſtitur albis, in extremitate nigricantibus, reliqua pars maior ad finem usque, corio tenui, ſquamoſo, albicante, inſtar exuviarum ſerpentis cincta eſt. Caro graviter foetet, comeditur tamen. Pili tenui cuticulae inſerti ſunt, quae ſalvo corio craſſiore detrahi poteſt.

Marcgrav Hiſt. Braſil l. 6. c. 2.

PUNCTUM II.

De Tamandua-gvacu, Tamandua-i, et Coati.

Marcgrav Hiſt. Braſil l. 6. c. 4. De Laet. Ind Occid. p. 551. et 618.

Tamandua-gvacu animal eſt canis lanionum magnitudine, Abbevillanus molem equi attribuit, capite tereti, promuſcide longiſſima, ore acuminato edentulo, lingua tereti, viginti quinque aut ſeptem digitorum, immo duo pedes et ſemis ſubulae inſtar, longa, quam in ore duplicatam gerit. Oculos habet parvos, nigros. Aures ſubrotundas, caudam inſtar muſcarii hirtam, ſetis equinis conſtantem, unius ferme pedis latitudine, qua diducta ſe totum poteſt tegere, crura teretia. Pedes anteriores quatuor habent ungues recurvos, duo in medio maximos, duo et ſemis digitos longos, et ad utrumque latus minores, volam pedis rotundam. Pili capitis et colli breviores et antrorſum verſi, anteriora albis veſtiuntur, ad tactum omnes aridi ſunt. Tardum eſt in currendo animal, et formicis veſcitur. Tamdiu enim illarum tumulo linguam imponit, donec ab iisdem obſideatur.

Taman-

Tab: LIX

Simia .

Affe .

1 .

Cynocephalus .

HundsKopff .

Mommenet . 1 .

Simia . 2 .

Cynocephalus . 2 .

Pertrand .

Cercopitheci

Cercopithecus

Cagui Braſil .

Cajtaia .

Cercopithecus barbatus Guin .

Iuya ſive Cariguebeiu
Lutra Indica .

Cuandu ſ. Ourico cachiero .
Eÿſern Vercken .

Capy-bara. Porcus fluviatilis Braſ:



Marcgr. H. B. l. c. *Tamandua i* eſt vulpeculae Americanae magnitudine. Caput habet acuminatum, rotundum, conum acutum repraeſentans, paullum infra incurvatum, os nigrum, anguſtiſſimum, edentulum, oculos parvos, nigros, aures erectas, unum circiter digitum longas. Pilos totius corporis duros, ſplendentes, et ex albo flaveſcentes. Linguam inſtar ſubulae teretem, octo digitos longam, quae quaſi canali inter inferiores genas incumbit. In prioribus pedibus quatuor ungues incurvos. Ferox eſt animal, ſed mordere non poteſt. Baculo tactum poſterioribus pedibus inſidet ut urſus. Tota die dormit, capite ſub collo et anterioribus cruribus abſcondito, noctu vagatur. Quando bibit, pars per nares iterum exſilit. Quum mactarem hoc animal, inquit Marcgravius, maximam partem excoriatum adhuc vivebat, quamvis octiduum inediam toleraſſet. In rene ſiniſtro ſuperius proceſſum triangularem inveni, per duplicem tenuem membranam reni adnexum, in inteſtinis multos teretes lumbricos, valvulas cordis inſignes, veſicam fellis magnam. Corium eſt craſſum. Caro vulpinam olet, et non comeditur. Marcgr. B. l. 6. c. 6. *Coati* eſt Braſilienſium vulpes, magnitudine felis, cruribus et manibus brevibus Cercopithecorum. Caput habet acuminatum, vulpinum, aures ſubrotundas et breves. Oris partem inferiorem ſuperiore breviorem, promuſcidem longam et acuminatam, nares amplas quaſi fiſſuras, oculos nigros, caudam ſuo toto corpore longiorem, quam ſuperius erectam geſtat et incurvatam, cuius pali annulatim variegati cum umbra et ochra. Quando comedit, anterioribus pedibus tenet cibum. Arbores velociter conſcendit ad ramorum extremitates. Habui aliquando eiusmodi animal cicuratum, inquit De Laet, et valde domeſticum et mihi amicum, ita, ut ad os meum enitteretur, et ex illo cibum caperet, ſed cum caudam ſuam praerodere coepiſſet, non potuit ab ea abſtineri, ita, ut illam tandem pene totam conſumeret, et moreretur.

CAPUT II.

De Simia.

Nomen. Simia ſeu Simius, vel a depreſſis et ſimis naribus, (σιμος Graeca vox eſt) vel quaſi mima, quod facile hominem imitetur, Latinis dicitur. Feſtus *Clunas* appellavit. Bartholomaeus Anglicus quaſi Simeas, id eſt, hominibus ſimiles dici voluit. Apud Graecos vocatur πίθηξ, πίθηκος, πίθων, παρὰ το πιθίσται, quod facile ad humanarum actionum imitationem perſuadeatur; ἠμιμῶ, quaſi geſticulator, ἄριμος, veteri Hetruſcorum lingua, βάτης, quod facile arbores ſcandat; καλλίαρ Laconibus, Gyraldus καλλείαν vocari obſervavit. Tam prona corporis parte piloſa eſt, quam ſupina. Pilo craſſiore veſtitur. *Nares*, aures, dentes, tam primores, quam maxillares, hominis more habet. *Cilium* in utraque palpebra praetenue et prolixius, inferiore inprimis. In *pectore* binas mammarum papillas; et brachia hominis modo, ſed hirtiuſcula, quae et ipſa et pedes, ut homo inflectit. Manus, digitos, ungues, hominis ſimilia, etſi rudiora, efferatioraque. *Pedes* ipſi ſui generis, ſunt enim velut manus maiuſculae, et digitis ut manus conſtant, medio longiore.

Anglic. de rer. proprie.

Deſcriptio Ariſtot. H. A. l. 2. c. 8.

giore. Veſtigium etiam manui ſimile eſt, niſi quod in longum ſe porrigat, et volam referens tendat ad poſtrema. Calloſius hoc ſui parte extrema eſt, et calcem inepte atque exiliter imitatur. *Lacertos* habet et femora proportione cubitorum et tibiarum brevia. *Vmbilici* loco, qui eminere ſolet, durum quid. Partem corporis ſuperiorem multo maiorem, quam inferiorem. Carent natibus utpote quadrupedes, cauda utpote bipedes. *Internas partes* ſi ſpectemus, *cor* habet pyramidale, quamvis cuiusdam cum duobus acuminibus repertum ſit. Venae et arteriae per brachia perinde ac in homine diſtribuuntur. Vena, quae in dextram cordis aurem fertur, moxque in eius ſinum dextrum penetrat, in iis ſupra aurem cordis ſita eſt. Quae a cava propagantur, et in renes inſeruntur, ampliſſimae ſunt, poſt deferuntur ad teſtes. Muſculi temporales ſunt exiles et debiles. Auris ſubſtantia immobilis. Carnoſi, qui nates integrare ſolent, ridiculi ſunt. Etſi vero in multis partibus homini aſſimiletur, in multis tamen quoque differre certum eſt, nempe in muſculis thoracis et brachia moventibus, in iis, qui cubitum et femur agunt, in manus interna ſtructura, in muſculis digitos pedis moventibus, in tendine pedi ſublato, in colo, meſenterio, et pulmonis quinto lobo venam ſuſtinente. Sed et in oſſibus ab humano ſceleto diſcrepat. Ad lumbos enim ſex vertebrae conſpiciuntur, humeri articulus plurimum eſt a thorace abductus, crura non recta ad ſpinam tendunt, ideo, dum bipes incedit, claudicat. *Pedes* habet concavos, et digitos valde fiſſos. Plura apud Aquapendentem occurrunt. In plaga Orientali, et aliis calidiori coeli ſubiectis naſcuntur. In Lybia, Mauritania, parte Caucaſi montis, quae in mare rubrum porrigitur, regno Baſman, et caeteris. Omne latifundium, quod inter Aegyptum, Aethiopiam, et Lybiam diffunditur, omni ſimiarum genere repletum eſt. In Indiae montibus, tanta earum copia ut ſaepe Alexandri exercitui terrorem incuſſerint. In regno Baſman captae, et mactatae, excepto mento depilantur, et aromatibus conditae exſiccantur, mercatoribusque venduntur, qui alio translatos pro homunculis marinis venditant. Montanis tamen potius, quam planis delectantur. Ideo montes Eniſae, prodente Leone, frequentant. Herbis et tritico delectantur, ideo ad maturas ſpicas magno comitatu incedunt. Pediculos quoque humanos, vermes et araneos vorant. Inter fructus pomis et nucibus potiſſimum fruuntur, at reperto in iis amaro cortice, totum abiiciunt, ſed et carnium ſagina delectantur, a quarum eſu pilos deponunt. Vinum etiam bibunt. De *generatione* pauca occurrunt. Natalis Comes circa aequinoctium vernum commiſceri, et circa ſolſtitium aeſtivum duo catulos parere prodidit. Aelianus quoque binorum foetuum meminit, quorum unus carior ulnis geſtetur, alter contemtus penes matrem inambulet. Solent tamen quando in urbes ducuntur, in ſexum muliebrem furere. Amicitiam gerit cum cornice et cuniculis, cum gallo, teſtudine, torpedine, et limacibus diſſidet. Cornix, ſedulo ipſius ſpeciem admiratur. Cuniculos aliquando in Anglia, apud virum nobilem, contra muſtelas defendit. Ob antipathiam matricidae culeo inſuto, gallus ſimia et vipera addebantur, ut ſimia gallum perſequeretur, vipera gallum fugiens, in hominem ſaeviret. Teſtudinem in capite pueri conſpicata Romae quaedam, ita exhorruit, ut prae timore, alvi et veſicae excrementa redderet. Si limacum corona eidem circumponatur, nec eas comprimere, nec attingere audet. Laborat hernia, propter omentum ponderoſum, morbo comitiali, atrophia, inflammatione hepatis, ſplenis, veſicae etc. Galenus valde emaciatam diſſecuit, et caeteris partibus illaeſis in pericardio tumorem praeter naturam

Galenus Comm. 3. ſupra Hippocr. de articulis.

Galen. de uſu part. l. 16. c. 6.

Veſal. de fabrica corpor. humani.

Aquapend. de ſenſib. l. 2. c. 8.

Locus.

Leo Africae l. 3.

Cibus.

Generatio

Ambroſ. Hiſt. Diſimia git. l. 2. c.

Porta Phytognom. l. c. 8.

Galen. l. aff. l. c. 2.

ram

ram invenit, qui humorem, qualem hydatides emittere ſolent, continebat. De morſu nihil dico. Viroſum eſſe tradunt, et Avicennas, emplaſtrum ex cinere cum melle et amygdalis amaris imponit. Natu-
Natura et Ingenium. ram, mores et ingenium quod ſpectat, in maxillarum cavitatibus cibaria condunt, indeque ſenſim ad mandendum manibus expromunt. Adeo petulantes ſunt, ut et leones illorum clunibus affixae, exagitent. Iniuriae diu meminiſſe prodidit Albertus, facile obliviſci alii. Manſuefactae catulos ſuos omnibus oſtendunt. In naeomenia exultant, in interlunio ſumma triſtitia afficiuntur. Statim atque per tactum, aut mortem, aut morbum putridum deprehenderint, inuſitato narium ſtrepitu perſonant. Ideo Crollius credit, Medicos ſphygmicam ab hoc
Aelian. H. A. l. 7. c. 27. Plin. H. N. l. 8. c. 34. animali edoctos. Aliquando transverſo latere facilius gradiuntur. Inventae, quae aurigae munus obibant, latrunculis cera effictis ludebant. Fuit quaedam, quae cum infantem a nutrice lavari et faſciis involvi videret; abſente, eundem denudatum in ferventem aquam abluendi gratia impoſuit, et interfecit. Quae Pareus de ſimia in aedibus Ducis Somei habet, vide apud Ambroſinum. Dum, quae venatores facere vident, imitantur, facile capiuntur. Nunquam ita manſueſcunt, quin facile fiant rabidae. Delectantur quidem puerorum et canum luſu; ſed non cuſtoditos ſtrangulant, vel ab alto praecipitant. Vi-
Vſus. no inebriantur. Zabeces et Zygantes Africae populi, iis veſcuntur, ut Herodotus prodidit. Carnem frigidam et auſteram Rhaſis iudicavit.
Porta Phyſiogn. l. 1. c. 17. Cor aſſum et cum melicrato coctum memoriam acuit, quod Porta ſignaturae adſcribit. Quantum ad *dif-*
Ariſt. H. A. l. 2. c. 8. *ferentias*, forma, colore, iubis et magnitudine diſcrepant. Ariſtoteles in caudatas, ſine cauda, et canicipites diſpeſcit, quod et Oppianus ſequitur. Plinius, coloris albi apud Orſeos in India vagari aſſeveranter ſcribit. Marcus Polus, quasdam erectas incedere humano more, prodit. Huc pertinet *Orang - outang* Indorum, ex Angola delatus, et Friderico Henrico Arauſionenſium Principi donatus, quem Tulpius, *homi-*
Tulpius obſerv. l. 3. c. 56. *nem ſilveſtrem* vocat. Erat quadrupes, longitudine pueri trimi, craſſitie ſexennis. Corpore nec obeſo, nec gracili, ſed quadrato: habiliſſimo tamen ac perniciſſimo. Artubus tam ſtrictis, et muſculis adeo vaſtis, ut quidvis auderet et poſſet. Anterius undique glaber: at pone hirſutus ac nigris crinibus obſitus. Facies mentiebatur hominem: ſed nares ſimae et aduncae rugoſam et edentulam anum. Aures vero nihil diſcrepare ab humana forma. Uti nec pectus, quod ornatum utrimque mamma praetumida, erat enim ſexus foeminei. Venter habebat umbilicum profundiorem, et artus cum ſuperiores, tum inferiores, tam exactam cum homine ſimilitudinem, ut vix ovum ovo videris ſimilius. Nec cubito defuit requiſita commiſſura, nec manibus digitorum ordo, nedum pollici figura humana, vel cruribus ſurae, vel pedi calcis fulcrum. Incedebat multoties erectus, nec minus gravate attollebat, quam transferebat, qualecunque graviſſimi oneris pondus. Bibiturus prehendebat canthari anſam manu altera; alteram vero vaſis fundo ſupponens, abſtergebat madorem labiis relictum. Cubitum iturus inclinans caput in pulvinar, corpus ſtragulis firmiter operiebat. Tantam habere animi confidentiam Rex Sambacenſis retulit, ut non ſemel in viros armatos impetum faciat. Foeminarum tam ardenti flagrant deſiderio, ut ſaepe raptas conſtuprent. In Guinea ſcribit P. Iarricus, eſſe quasdam, quae inſtar famuli in pila tundunt, quaecunque in ea imponuntur, quae aquam a fluviis in hydriis capite domum deferunt, ita ta-
Nieremb. H. E. l. 9. c. 45. men, ut ubi primum domus fores attigerint, illico hydriis exonerandae ſint, alioqui eas excidere, caſuque iſto frangi.

Dicuntur *Baris*. Toroſi ſunt et robuſti. In India meruit etiam quaedam ſimia alba divinos titulos. Reliquias Zeilan ſervavit, dentem duntaxat. Praeda tandem, inquit Nierembergius, fuit, Conſtantini Proregis Luſitani, cum barbari Principis theſauros cepiſſet, inter quos et dens ille fuit. Tanta ſummorum Regum reverentia et divinitatis opinione, habebatur, ut ſingulis annis a Pegu mitterentur legati, magnis onuſti donariis et muneribus, ut ſolum permitterentur, in argilla quadam aromotica, quam in auro cuſtodiebant, inprimere ſigillum eius, ut abſentiam tanti pignoris divini, eiusdem adoratione vel ſolum per umbram ſolarentur. Deinde conſcius Rex Pegu captum a Luſitanis ſacramentum ſuum, miſit ad Conſtantinum legatos, onuſta navi mercibus, et auri cruciatis trecentum millibus pro redemtionis pretio. Plerique Luſitani donandum cenſuere, exacta maiori ſumma, usque ad millionem expectabant. Et quidem Rex ille plus dediſſet, at noſter Rex, in auguſtia aerarii, praetulit lucro pietatem, atque ut omnibus conſtaret, publico conſeſſu iuſſit dentem afferri, agnoſci, extrahi e locupletiſſima theca, gemmis et auro exornata, deinde manu ſua in aereum mortarium iacit, tundi iubet usque ad pulviſculum, mox pulverem in ignes ad hoc praeparatos diſlipat, ut in fumum evanuerit.

Nieremb: N. C. l. 9. c. 46.

CAPUT III.

De Cercopitheco.

Nomen. Ambroſin. de Digit. l. 2. c. 6.

Cerpopithecus caudatum ſimiarum genus eſt. Unde nomen ſortitur. Graecis eodem vocabulo venit. κέρκος caudam, πίθηκος ſimiam ſignificat. Dicitur et κῆπος, quod vocabulum alii κῆβος, κεῖλος, et κῆτος efferunt. Non deſunt, qui a voce graeca κέφος levis vocari putent, quod hoc animal ob miram levitatem, in diverſas partes ſaliat. Albertus Mamonetum vocat, Itali Spingam, Celtae ἀεράνας. De *deſcriptione* dum in genere de eo agimus, non eſt, quod ſimus ſolliciti, in ſpecie de iis acturi, ſingulas deſcribemus. Genitalia nobis delineavit Aurelius. Inveniuntur in Aethiopia, et quidem, ſi Plinium attendimus, nigris capitibus pilo aſſinino, in ſilveſtribus lavae, et regni Congo, in India ſupra Emodos montes, quod Strabo ſcripſit, in monte editiſſimo, urbi Aden Arabiae vicino, in omnibus denique continentis Indiae locis. In Malabar viliſſimo pretio venduntur, quod nuci indicae, a qua ad incolas magnum commodum, infeſti ſint. Cenſentur eſſe inter παμφάγους, ſed quando deſiderio carnis premuntur, propriam caudam arrodere ſolent. Crocodilos adeo acerbo odio proſequuntur, ut pelle ipſorum viſa fere exanimentur. In Orientali India, quae Luſitanis ſubeſt non tantum comeduntur, ſed et in morbis, tanquam ſaluberrimi exhibentur. In deliciis propter mimicos geſtus haberi, notum. Oſſa tuſa et hauſta dolores Gallicos, evocato ſudore levant. De *Ingenio et Moribus* ipſorum ita eleganter *Nierembergius* ſcripſit. Omnes, inquit, pene filiorum caritate inſignes ſunt, amplexu graves. Veſcuntur fructibus arborum et ovis avium. Ebibunt plures lotium et ſordes ſuas. Nonnunquam videntes hominem ſolum, deſcendunt ad ludendum cum eo. Omni ſunt aſtu induſtrii. Mirificum eſt, arborum ſtipites, quas conſcenderunt, in viatores torquere et iaculari, tranſilire flumina caudis invicem apprehenſis, et ab arboribus fluviis vicinis vibratas,

Deſcriptio

Locus.

StraboGeogr. l. 15.

Nieremb. H.E. l. 9. c. 44.

Cercopithecus Major seu Manticora .

Papio . Pavion 1 .

Papio . 2 .

Cercopithecus .
Meer Katz .

bratas, tamdiu, donec extremus oppoſitae trans amnem arboris ramum abripiat, quo affixo arbori, catena ſimionem utrimque protenditur. Deinde cum is, qui in altera parte haeſit, tuto ſe affixit, vociferatur ſignum iam notum ipſis, quo audito, alter extremus ſe ſolvit, ita omnes transmittuntur. Super omnia ſagitta aliove telo confoſſi, viciſſim quantam poſſunt, ne dicam quantam ſolent homines hominibus, opem ferunt, admotisque foliis muſcove arborum vulneri, ſanguinem confluentem callent ſiſtere, atque ita vitam, ſi fieri poſſit, tueri. Educunt filios, ſingulos pariunt, circumferunt, amplexu tenaci adhaereſcentes mira pietate et amore erga prolem, atque id iuxta montium verrucas, et ſumma cacumina, ubi venatores pyram conſtruunt maizio circumdatam, adiecto lapide cacalotetl ſive corvino, cuius eſt natura, ſi igne calefactus fuerit, tonitru edere, atque diſſilire. Accurrunt cercopitheci, iuxta incubant, edentes ſparſum cacacoatl, ſed terrente eos ſubito in illos emiſſo lapide, obliti filiorum, ac velut expertes luminis, aufugiunt, deferentes ſobolem cariſſimam venatoribus praedam. Deportant quoque in tergoribus prolem, donec commode iam ſibi poſſit providere. Complectitur filiolus matrem manibus per collum, pedibusque per ſpinam. Magna aliquibus pernicitas, fere volucrium ritu occupant arbores, transvolantque ab una in aliam. Viſus eſt, qui tranſcenderit uno impetu fluvium. Plura de calliditate dixi alibi, pauca adhuc hic appendam, et diverſa. Simiarum duces, quando agmen aliquod noſtrum tranſire ſentiunt, nec enim pauci, ne dicam ſoli, auderent, plebeia multitudine variarum ſpecierum convocata, procurrunt obviam, et clamoribus horrendis ex arbore in arborem tranſilientes, noſtros, quacunque gradiuntur, inſecutae, mille ſcurrilitatibus et geſtibus mille derident, caudatae praeſertim, finguntque ſaepius velle turmatim noſtros impetere, ſed ubi ad arborum iam truncos demiſſae, vident ſagittas et ſclopetas, quas expertae ſunt aliquando, aptari, ac in ſe dirigi, vento velocius ad arborum culmina reſultant, ibi conqueſtibus rabidis emiſſis, dentibus frendent minabundae. Tantam eſſe illarum dexteritatem inquiunt, ut diſcuſſas in ſua corpora ſagittas evitare ſciant, et manu prehendere, ac ſi ſponte porrectas acciperent, ſclopetarum tamen globulos non ita disiicere didicerunt, quibus multas iuniores, forte non ita ſagaces, noſtri extinxere. Quando ſociam vident aliquam de ſuo grege praecipitem ruere vulneratam, a noſtrisque tolli e terra, tanto fremitu ac ſtrepitu tonant et replent aethera, ut mille leonum rugitus et tigridum totidem ſuperent runcatus. Sed unum eſt auditu gratiſſimum. Quaeque ſimia, quando iam captant arbores aſcenſu ſuo, lapides quotquot una manu geſtare poteſt, ore etiam aliquot ſupportat, indeque lapidibus certant in transeuntes, quando aut ſagittas, aut ſclopetas in eas iaculari ceſſant noſtri. In vetulam melampo maiorem, caudatam ſimiam, ſagittarius e noſtris tetendit ſcorpionem, expectaturam ſe ſimulavit ſimia, ſed ubi iam dirigi oculo clauſo ſagittam vidit, iaculato in ſagittarium lapide, faciem acriter contudit, et dentes illi dicitur confregiſſe. De novo tamen ſtratagemate poenas cercopithecus dedit, quo enim tempore lapis ad ſagittarium decidebat, ſagitta in ſimiam aſcendebat. Interfectam comederunt in deliciis. Comediſſent et bufones, aut ſi quod deterius, tanta illos fames urgebat. Quod de occurſu in milites fertur, occaſionem puto dediſſe priſcis, ut ſimios aliquos vetuſti orbis homines putarint ob ſimile ſtratagema. Haec natalitia Cynocephalorum fabulis. Aliquando putavi et pygmaeorum fortaſſe fuiſſe, adeo in pluribus ſimulant humanos actus. Illud mirum commercii quodammodo capaces eſſe. Iohannes Ardenois ſcribit, magnam familiaritatem contrahere ſimios cum barbaris, pro argento

cum illis ludere, deinde ex lucro parato invitare ad tabernam, et ſolvere pretium vini numerata pecunia. Fortaſſe maior eſt caliditas, quam ab oculato teſte accepi. Aderat inter milites Havanae, dum luderent, ſimius obſervabat illum, qui plus lucraretur, haerebatque eius lateri donec colludium largiretur pro more. Si nolebat, pugnis ſimius caedebat, ſi donaret ſtatim ad tabernam convolabat, et manu acceptum vas porrigebat vendenti vinum, ut ſibi infunderet. Coronato calice tunc ebibebat, mox ſolvebat pretium, colludio tradito, et recedebat, quod ſi excederet pretium colludii, expectabat, ut rurſus venditor infunderet merum, quod bis aut ter repetebat pro valore argenti. Ioſephus Acoſta alium narrat miſſum ad tabernam, non prius tradere ſolitum pecuniam, quam acciperet lagenam plenam, quam adverſus pueros tutabatur, fugans eos correptis per intervalla lapidibus, et quamvis vini avidus potor eſſet, illibatam tamen Domino referebat. Idem mulieribus fuco ornatis valde infenſus, diſcerpebat crines et cultum. De *ferocia* illud admirandum, quod Petrus Martyr prodidit hac hiſtoria, animalia nutriri in ara Cariai eadem, quae iam diximus, ſed unum reperere naturae longe diſſonae, id eſt grandi cercopitheco par, cauda longiore procerioreque. Cauda ſuſpenſus, et robur, ter quaterve ſe devolvens, captando, ex ramo tranſiliit in ramum, et ex arbore ſeſe proiecit in arborem, ac ſi volitaret. Arcuarius e noſtris unum ſagitta confixit. Vulneratus ſeſe deiicit cercopithecus, hoſtem vulneratorem rabidus adoritur. Stricto enſe agit in pecus venator, lacertum cercopitheco abſcidit, cepitque mancum ferociter renitentem. Ad claſſem perductus, inter homines parumper manſuetudinem induit. Dum ſic ferreis vinctus catenis ſervatur, e littoribus adducunt aprum venatores alii, cogebat namque carnium deſiderium nemora perluſtrare, cercopitheco aper, et ipſe ferox oſtenditur. Setas excutit uterque. In aprum cercopithecus furibundus ſalit, cauda circum ligat aprum, cum ſervato a venatore victore ſuo lacerto, guttur apri prehendit, reluctantem ſuffocavit. Aſtuto etiam ſtratagemate ſuo uſum alium ſimio Hiſpali, quem volebant occidere, ille per domorum tecta fugax, vidit ſe a ſagittario peti. Deſcendit illico per feneſtram quandam, et caſu obvium infantem ab incunabulis corripiens, complexus eſt, iterumque ſe tectis reſtituens, quoties ſagittarium videbat, obiiciebat pro clypeo infantem. Conſcius erat, non emiſſurum ſagittam cum periculo innocentis. Tantum Nierembergius. *Differentiae* Cercopithecorum ſunt variae, ſeu magnitudinem, ſeu colorem, caudam, et alia ſpectes. Scribit Megaſthenes referente Aeliano, in Praſſiana Indorum regione vagari maximis canibus non inferiores, caudamque quinque cubitorum longam trahere. *Coloris* ratione, alii ſunt nigri, alii cinerei, caeſii, varii. Scaliger aliquos nigros cum maculis albis, alios gilvos, alios furvos, alios fulvos obſervavit. Caudam alii longiorem, alii breviorem habent. Caeterum optime mihi in *Barbatos*, *Erectos*, *Leoninos*, *Moſchatos* et *Ambiguos* diſtingui poſſe videntur. *Barbatorum* aliquot ſunt genera. Qui *Guariba* apud Braſilienſes dicitur, caprinam et rotundam habet. Ipſe magnitudine eſt vulpis noſtratis, facie elata, oculis nigris, ſplendentibus, auribus brevibus ſubrotundis, cauda longa et verſus extremitatem nuda, quam ſemper torquet, pilis totius corporis nigris, longis, et ſplendentibus. Maximo numero in ſilvis inveniuntur, ibique horribilem clamorem excitant. Singulis diebus, inquit *Marcgravius*, ante et poſt meridiem ſemel atque iterum conveniunt. Unus eorum minor in medio et altiori loco reſidet, reliqui paullo inferius circumſident, tunc praecinit ſuperior alta voce et ſigno manu dato, reliqui omnes accinunt, tamdiu cantiones prorogantes, donec ſuperior

Aelian. H. A. l. 7. c. 20

Marcgra. Hiſt. Natur. Braſil. l. 6. c. 5.

ſuperior iterum manu ſignum det, tunc omnes uno momento ſilent, et ſuperior grandi voce cantionem finit. Catulos ſuos in dorſo geſtant in ramis arborum diſcurrentes. Mordax animal, nec domari poteſt. Dantur et alii nigri ingentes, qui longam, nigram, et villoſam barbam habent. Nigritam mulierem ſi ſolam offendere, vi adactam ſtuprant. Quem Cluſius deſcripſit, hoc peculiare habebat, quod eius ſatis longa cauda in floccum deſineret, leonum ritu. Guineenſis ille, qui in Congo vocatur *Exquima*, piloshabet fuſcos, ſed per totum corpus quaſi aduſtos, fuſcis punctulatim albus inſpergitur. Barba, quae egregie alba, capillis duo digitos longis paſſis, et quaſi pexis conſtat. Iratus os ample diducit, et mandibulas celeriter movet. Ad hunc referri poteſt *alter* magnitudine par, qui in utraque gena, magnam copiam pilorum longorum ex albo flaveſcentium, inſtar magnae barbae hircinae, utique et ad utramque aurem tenet. Crura et pedes nigri. Ludit et clamat ut alter. Ambroſinus trium icones exhibet. *Primum* Callitrichen eſſe putat, quem in alio coelo, quam Aethiopico vivere poſſe negat. *Alter* quoque ipſi congener eſſe videtur. *Tertius* facie eſt ſenis, cauda longiſſima nigra. *Erectum* nobis Geſnerus prodidit, facie, cruribus, et membro virili hominem aemulantem. Stando magis perſeverat, ideo nomen dedimus: pueros et mulieres non ſecus amat, ac homines ſuae regionis, conaturque, ſi vincula effugerit, palam cum illis concumbere. Tantae eſt induſtriae, ut aliqui homines, minus ingenio valere dicantur. *Leoninorum* aliquot ſunt ſpecies. Prima eſt illa, quae Braſilienſibus *Cagvi*, Congenſibus *Pongi* dicitur, eſtque *maior* et *minor*. Maior obtinet magnitudinem cercopitheci Cay, cui et aliquo modo ſimilis eſt. Facies illi rotunda, leonina, aures nigrae et pilis nudae, os leoninum, oculi nigri. Cauda unum pedem et quatuor digitis longa, et pilis rufis veſtita. *Maior*, leonem quoque facie refert, capite parvo, et vix pomum minus aequante, naſo exiguo, oculis tenens, dentibus acutiſſimis, auribus ſubrotundis, cauda decem digitorum longa, ex albo quaſi et fuſco annulata. Velociſſimus eſt in ſaliendo, et veſcitur pane, farina Mandioca et aliis. Totum corpus longitudinis eſt ſex digitorum. *Altera* eſt quae *Sagovin* dicitur, forma, quantum ad collum, roſtrum, anterioremque corporis partem, leoninae ſimilis, ſed adeo delicata, ut navis in mari agitationem nullo modo ferre poſſit. Praeterea adeo ſuperba, ut ob leviſſimam occaſionem inedia potius et cibi abſtinentia, vitam finire cupiat, quam minimam moleſtiam perferre. Quem Nierembergius vidit et deſcripſit, a Roderico Lincio advectum, erat ſciuro minor, et adeo delicatulus, ut villoſa pelle fovendus eſſet. Roſtrum et capitis pars anterior, leoninam quodammodo formam referebat, fuſcoque colore, cui rubedo permixta erat praedita. Aures albicantibus villis erant hirſutae, quibus ruber color etiam admixtus, guttur et pectus longioribusvillis, partim fuſcis, partim albis tecta habebat, reliqui pili per corpus ſparſi nigri et albi, radiati a dorſo ad ventrem alternis erant diſpoſiti. Cauda etiam, quae longa erat, ſimilis coloris pilis alternatim erat tecta, venter nigris pilis tectus. Crura breviores albi pili quadam rubedine infecti tegebant. Pedes in quinque digitos, non valde longos fiſſi, albis unguibus erant praediti, fortaſſe nullus elegantior. *Moſchatus*, Braſilienſibus *Caitaia* dicitur. Pilo eſt longiore ex albo flaveſcente, capite ſubrotundo, fronte haud elata, aut pene nulla, naſo parvo et compreſſo, cauda acuata. Altiſſima voce clamat, et facile ad iram commovetur. Memini me apud Generalem Wardenburgium ex Braſilia reducem Amſtelodami vidiſſe. Eſt et alia huius ſpecies pilo magis fuſco, inſtar Zobellinorum. Ad *Ambiguos* ſpectant, *Macaqvo* Congenſium, *Cay* Braſilienſium, et *Guineenſis*

Nieremb. Hiſt. Exot. l. 9. c. 44.

Marcgra. Hiſt. Braſil. p. 227.

Marcgra. Hiſt. Braſil. l. 6. c. 5.

Marcgrav Hiſt. Braſil l. 6. c. 5. *neenſis* alius. *Macaqvo*, colore eſt lupi, naribus bifidibus elatis, capite urſino, natibus calvis, cauda arcuata. Longitudo corporis a capite ad caudam, unius pedis et ſupra, craſſities ubi maxima, unius pedis et novem digitorum. Clamat, hah, haha. Penem habet humano ſimilem. *Cay* apud Touvoupinam butios eſt frequentiſſimus, puſillus, et nigri coloris. Maxima ex parte in ſilvis verſatur, et potiſſimum peculiaribus arboribus inſidere ſolet, ferentibus ſiliquas perinde craſſas, ut noſtrae maiores fabae, quarum fructu veſcitur. *Guineenſis alius* pilo eſt ex umbra gryſeo, fuſcae et flavo ex umbra admixto, fere ut in dorſo leporino, capite parvo, et cauda longa.

Lerius Hiſt. Americam c. 10

CAPUT IV.

De Cynocephalo, Papione, et fera Vpalim.

Nomen. *Cynocephalus* a canino capite nomen accepit, quaſi κυνες κεφαλη, Geſnerus Tartarinum alicubi vocat, quod primum ex Tartaria hoc animal advectum ſit. Aelianus κυνοπρόσωπον dixit, quod faciem caninam habeat. Ariſtoteli forte eſt χοιροπίθηκος, ſeu ſimia porcaria. Eiusdem ferme formae eſt, cuius ſimia caudata, at in corporatura, craſſior, validior, et magis efferatus, faciemque caninam a natura adeptus eſt. Strabo faciem Satyro ſimilem ei tribuit. Foeminis ſua natura excidit, ut palam expoſitam extra corpus vulvam, per omnem vitam ferant. Reperiuntur in Aethiopiae partibus, ſi Solino fides, in regione Arabiae a Dira usque ad Auſtri cornu, et praecipue in ultimo promontorio, ſi Straboni. Aelianus montes ſupra Dachinabadem ipſis tribuit, Herodotus regionem, quam Aratores in Lybia verſus occidentem habitant. *Cibus* ipſis idem cum ſimiis. Fructus teſtaceos dum edunt, involucra reiiciunt. Carnibus quoque et aſſis, et elixis veſcuntur, illis inprimis, quae ad delicias in culina paratae ſunt. Vini potionem non recuſans. *Vox* iisdem rudis et varia. Aliquando acutum ſtrident, aliquando ululant. Orus latrare dixit. Ad *naturam* et *mores* Cynocephalorum pertinet, quod facile ad iram effundantur, quod nunquam a petulantia ſint alieni, praeterquam quod teſte Plinio, ſimiis ſint efferatiores, quod inſtinctu quodam naturali ducti, Aeliano auctore, tempore aequinoctii, ſingulis horis diei ac noctis mingant, et clamorem quendam edant, quod denique mas in interlunio, nec comedat nec quopiam intueatur, ſed faciem in terram deiiciat, foemina vero, etiam ſanguinem e genitali emittit. Lunae exorienti congratulari dicuntur. Ideo in ſacris ab Aegyptiis nutriebantur, ut inde tempus Synodi luminarium ſcire poſſent. *Ingenio* quoque ſunt ſingulari, et proxime poſt elephantinum ad humanum accedens. In Aegypto diſcunt ad quemlibet epiſtolas deferre. Obſervavit Bellonius, qui nummos hero deferendos, manu protenſa, a ſpectatoribus exigebant. Referri ad Cynocephalos poteſt, tum illud animal cuius Alvarez in Aethiopico itinere meminit, tum illud, cuius Cluſius. *Illud* vervecem magnitudine aequat, et inſtar leonis hirſutum eſt, gregatimque in monte ſecus locum Calote dictum incedit. *Hoc* corpus villis longis cineracii coloris obſitum habebat, caudam cercopitheco breviorem, roſtrum longum, extima parte obtuſum, nates glabros prorſusque depiles, et ſanguineo colore refertas, ac ſi cutis ab illis detracta fuiſſet. *Papio* Germanis Pavvon, animal eſt, ex deſcriptione Geſneri, magnum, hirſutum, horrendo capite, brevibus cruribus, cauda fere vulpina, ſed admodum brevi et plerumque erecta. Pedes ſunt humanis ſimiles, et proceritati corporis minime reſpondentes. Tam eſt ſolutiſſimum animal, ut ad foeminarum conſpectum effer-

Geſner. in Append. quadrup.

Deſcriptio.

Locus.

Strabo Geogr. l. 15. Bellon. Obſerv. l. 2. c. 52.

Cibus.

Vox. Aelian. H. A. l. 6. c. 48

Aelian. H. N. l. 6. c. 5.

Ambroſin. Hiſt. Digit. l. 2. c. 7

Ambroſin. Hiſt. Digit. l. 2. c. 7

Tamandua guacu .

Ai sive Ignavus .

Tatu seu Armadillo .







efferveſcat. Veſcitur pomis, piris, et aliis arborum fructibus, aliquando panem et vinum pro potu appetunt. Foemina geminos, marem nempe et foeminam unica paritura, ut plurimum eniti ſolet. *Fera Vpalim* cercopitheci Aethiopici eſt magnitudine. Pellis quaſi cocco tincta rubet, maculis aliquot in locis conſperſa. Caput inſtar globi rotundum. Pedes rotundi et lati, nocuis unguibus vacui. Mauri carnem aſſulis verberatam ut tenerior evadat, comedere ſolent. Quibus cibariis delectetur, ignotum.

ambroſin. iiſt. Di- it, l. 9. c. 9

CAPUT V.

De Ignavo.

Duas Ignavi ſpecies nobis auctores prodidere. Primam Luſitani *Perillo ligero*, ſeu Caniculam agilem per antiphraſin vocant, aliquando *Priguiza*. Magnitudine eſt mediocris vulpis noſtratis. *Collo* brevi, duo ad ſummum tres digitos longo, *capite* parvo et ſubrotundo, *ore* turbinato non amplo. *Dentes* habet inſtar agni, nec acutos, *naſum* glabrum, elatum, nigrum, *oculos* parvos, nigros, ſomniculoſos, *auriculas* nullas, *caudam* obtuſam figura panis ſacchari. *Vngues* in ſingulis pedibus tres, ex albo flaveſcentes et deorſum incurvatos, ſuperius arcuatos, inferius excavatos. Totum corpus prolixis et duo digitos pene longis pilis eſt veſtitum cinerei coloris, taxi ſimilibus, ſed mollioribus et cum albedine miſtis. Animal eſt ignaviſſimum, et tardiſſimi inceſſus, adeo, ut eum in vivo cum admiratione Cl. de Laet, obſervarit. In arboribus lentiſſime rependo progreditur, ibique habitat, foliis arborum veſcens. Nunquam bibit. Vocem iiii rariſſime edit. Arctiſſime quae ſemel unguibus apprehendit, tenet. Pluviam etiam levem metuit. In diſſecta foemella obſervatum, cor motum ſuum, corpore avulſum, per ſemihorium retinuiſſe, placentam uterinam conſtitiſſe multis particulis carneis, inſtar ſubſtantiae renum, rubicundis, magnitudinis variae inſtar fabarum, in quas per multos ramulos vaſa umbilicalia inſerta erant. Foetum, pilos, dentes, ungues habuiſſe. Cor foemellae, inquit Maregravius, duas inſignes habebat auriculas, cavas. In ventriculo os ſuperius duo digitos transverſos a pyloro, eratque in altera parte ventriculi, ubi ſuperius alias communiter os eſſe ſolet, proceſſus inſtar inteſtini ſpithamae longitudine, ſed nullum exitum habens. In ventriculo plane viridis materia foliorum arboris comeſtorum inveniebatur. Papillas duas in pectore. Corium ſolidiſſimum et tenax. Animal, addit idem, ſine dubio vivax. Inteſtinis enim omnibus exemtis adhuc ſe movebat, et pedes contrahebat. Icon, quam adiicimus, paullo longius collum exhibere, de Laetius, qui vivum vidit, teſtatur. Addunt quidam tanta pertinacia adhaereſcere, ut niſi mortuus non avellatur. Hernandus unius diei ſpatio vix quinquaginta paſſus pertranſire poſſe dixit, nocte duntaxat ſonitum edere, poſterioribus ſillabis ſenſim magis ac magis gracileſcentibus, et in arboribus viginti aliquando dies nullo cibo aſſumto commorari, obtuſo denique viſu praeditum eſſe, addidit. *Altera* ſpecies, quae Lerio *Hay* dicitur, ſimiae habet faciem, cutem hiſpidam et villoſam, crura hirſuta, ternos in ſingulis pedibus acutos et oblongos ungues. Capta ſine difficultate curatur.

Marcgrav iiſt. Braſil .221.

uſ. in uctar. xoticor.

Nieremb. H.E.l.9 c.15.

CAPUT VI.

De Taxo.

Ambroſin. Hiſt. Digitat. l. 2. c. 11.

Taxus nullum proprium apud Graecos nomen habet. Latinis dicitur etiam Daxus, ut Alberto, forte a Graeco δασὺς hirſutus et villoſus, Meles ſeu Melis, Melus, ut Bartholomaeo Anglico, Melo et Melotus, ut Iſidoro, ſeu propter membrorum rotunditatem ſeu propter aliud quid. Eſt animal fele maius, et vulpe, ad cuius naturam accedit, humilius, pelle villoſa, rigida, coloris leucophaei. *Pilos* plures habet albos, quam nigros. *Caput* in medio nigrum, in lateribus album, *dorſum* latum, *dentes* acutiſſimos. *Crura* ſiniſtri lateris, ipſi, quidam breviora aſſignant, ſed experientia reclamante. Reperiuntur paſſim, in locis montanis Italiae, Helvetiae, et aliis. *Victitant* crabronibus et vermiculis, pomis et uvis, quorum eſu autumno potiſſimum pingueſcunt. Cuniculorum tamen carne apprime delectantur, tum anſeribus, pullis et aliis avibus. Foetus more vulpium in utero gerunt, et cum luna ternos orbes compleverit, pariunt. Adventante autumno quandoque duo, interdum tres enituntur. Summa taxis cum vulpibus antipathia. Hi enim, ubi egreſſos obſervavere, latibula eorum excrementis conſpurcant, et foetore replent, ut alia exſtruere cogantur. De *natura* et *moribus* habe, pellem adeo denſam gerere, ut ictui reſiſtat: naſum tam imbecillem, ut violato moriatur. Ideo forte Plinius, has beſtias diſtenta et ſufflata cute morſibus canum et ictibus hominum reluctari ſcripſit. A canibus aut aliis feris vexatus ſemetipſum reſupinat, atque dentibus et pedibus repugnat. Brevitatis pedum conſcius non longe a latibulo digreditur. Urgente bruma occultatur, et ſomno pingueſcit. Ad focum hieme adlatus, in carbones ſe coniicit, ut Carolus Stephanus obſervavit. Creſcente luna adipem eius augeri, decreſcente minui, interlunio eadem deſtitui, incertum. Morſus eius exitialis, quod crabronibus et aliis venenatis victitet. *Ingenium* in quibusdam oſtendunt. Dum latibula effingunt, ignavum effoſſae terrae vectorem conſtituunt, et poſtquam ſupra ſupinum extenſis cruribus terram accumulavere, per pedes mordicus apprehenſos, extra antrum educunt, idque toties repetunt, donec latebrae latitudo habitatoribus ſufficere poſſit. Tantam palearum et foliorum proſternendo ſibi lecto, unica vice, capite et pedibus intra foveam ducunt, quantum homo ſub brachio deferre non poſſet. Latibula cum duobus oſtiis fabricant. Flante Auſtro ſeptentrionale aperiunt, flante Borea, auſtrale. Victum pro hieme colligunt, qua durante, dum mas, an ad vernum tempus ſit duraturus dubitat, ne foemina ad ſatietatem comedat prohibet. Quando in ſenio excaecantur, tunc ex fovea ad paſtum non egrediuntur, ſed ſe invicem nutriunt. Dum in eminentiori colle deprehenſi venatores ſentiunt, pedes anteriores ſupra capita ponunt, corporeque in globum redacto, more urſorum, ſeſe praecipitant. In Italia, Germania, et aliis regionibus, habentur Taxorum carnes in deliciis, inprimis ſi autumno capti fuerint. Apud Helvetios cum piris coquuntur. Savanorola porco ſilveſtri aſſimilat, Platina carni hiſtricum. Quantum ad *medicinam*, adeps taxi per clyſterem infuſus, dolores nephriticos mitigat, mammarum ſciſſuris prodeſt, in compoſitionibus arthriticis adhibetur. In membris contractis oleum commendatur, cuius parandi rationem Veckerus docet. Sanguis ſiccatus leprae medetur, ſi Carolo Bouillo credimus. In peſte cum ſale et cornibus animalium deſtillatus offertur. Lonicerus diebus tantum canicularibus deſtillat, et drachmas duas praeſcribit. Geſnerus com-

Deſcriptio.

Locus.
Cibus.

Generatio.

Antipathia.

Natura et Mores

Plin. H.N. l. 8. c. 28.

Olaus Magnus l. 18. c. 18.

Vſus.
Bruier. de Re cibaria L. 13. c. 3.

Vecker. l. 2. Antid. Special.

compoſitionem, quae recipit ſanguinem taxi, terram Armenam, crocum, et tormentillam, ſaeviſſima peſte feliciter adhibitam, ſe legiſſe ſcribit, Cinis ſupprimendo ſanguini inſervit. Nihil de cerebro, teſticulis, et dente vel pede ſiniſtro, quem brachio ſubligatum memoriam iuvare, Albertus prodit, dicam. Ex pellibus taxorum olim quoddam genus veſtis texebatur, quae ab humeris usque ad lumbos pendebat.

Differentiae. Ex iisdem canum collaria conficiuntur. *Differentias* ſi attendas, Olaus *domeſticorum*, qui ludicri, et *ſilveſtrium*, quorum ſetae rigidae mentionem facit. Communiter in *caninos* et *porcinos* diſtinguuntur. Ambas in agro Matiſconenſi ſe accepiſſe, adfirmat Bruierinus. *Canini* rictu ſunt canino, latibula in locis ſabuloſis fodiunt, et quidem ſine multis cuniculis, et cadaveribus, illisque cibis, qui canibus in deliciis veſcuntur. *Porcinos* Carolus Stephanus ſubalbidos et caninis maiores facit, et circa oſtium cavernae, parva prius roſtro excavata fovea, excrementa deponere ſcribit. Addit Geſnerus, radicibus, fructibus, et omnibus, quae ſues adpetunt, veſci. In regione Americana quoddam animal vagatur nomine *Heyrat*, quod beſtiam mellis avidiſſimam ſignificat. Colore eſt caſtaneo, magnitudine cati. Quotidie apum opificium inquirens, in arboribus verſatur. Poteſt ad taxum referri. *Quaupecotli*, et *Tzcuintecuani*. Illud animal eſt duo plus minus dodrantes longum, roſtro prolixo, tenui, verſus ſuperna contorto, prolixa item cauda, pilo longo, circa alvum candente, caetera fuſco aut atro candentique, ſed circa dorſum nigriore, atris pedibus et incurvis unguibus. Miteſcit facile, vorax eſt, nullis eſcis oblatis parcit, placidum eſt item, ac mille modis blandiens, ſed ignotis noxium. Reperitur in nova Hiſpania et gaudet montibus. *Tzcuintecuani*, ſeu Cynodeticus, eſt huic congener, non ſolum magnitudine et moribus, ſed etiam roſtro, quod praelongum eſt ac tenue, et pedibus. Color albus eſt, maculis nigris ac magnis diſtinctus. Nomen habet a mordendo. Vivit non longe a mari Auſtrali. Hiſce congener eſt *Tlalcoyotl*, animal piloſum, duas ſpithamas longum, unguibus melis, cruribus brevibus, nigro veſtitis pilo, breviſſima cauda. Caput habet parvum, roſtrum tenue et longiuſculum, caninos exertos, corpus album in fulvum vergens, ſed dorſo ac ſuperna capitis parte et colli nigris, lineaque diſtinctis candenti. Victus eadem ratio, quae quanperotli.

Nieremb. Hiſt. Exot. l. 9. c. 43.

Nieremb. l. 9. c. 77.

Nieremb. l. c. c. 73.

CAPUT VII.

De Caſtore.

Nomen. Caſtor, Graecis κάστωρ, nomen ἀπὸ τοῦ γαστέρος, id eſt a ventre invenit, ὑπογάστριον γὰρ τὸ ζῶον, καὶ σχεδὸν ὅλον κοιλία, quod fere totum hoc animal venter ſit. Ridiculi, qui a caſtrando deducunt, quaſi venatoribus viſis, conſcius ſe propter teſticulos peti, eosdem dentibus evellat, et abiiciat. Parvos enim habet et ſpinae adhaerentes, qui ſuperſtite ipſo, avelli non poſſunt. Dicitur et *Fiber*, non tam quod circa extremas fluminum ripas aſſidue verſetur, et fibrum antiqui extremum dixerint, quam ab Aeobeo φιβρὸς mollis, quod molles pilos habeat. Lutram abiisdem extremis fluminum oris dici, quae Priſcis lytrae, falſum. Diverſa enim ſunt animalia. Bellonio eſt Ariſtotelis *Latax*, ſed falſo. Diſtinguuntur enim. An Orchia dici poſſit, non decido. Quidam Semipiſcem ob vitam amphibiam dixere.

Ambroſ. Hiſt. Digit. l. 2. c. 13.

Salmaſ. in Solin.

Deſcriptio Colore eſt ex albo cinereo in dorſo nigricante, pilo quam taxi ſubtiliore, qui, quo nigrior, eo pellis pretioſior. *Dentes* habet acutiſſimos, quibus ligna ſecat, anteriores rubidos. *Pedes* priores caninis ſimiles, poſteriores propter membranam interiectam anſerinis, quibus in natando utitur, utrosque quinque digitis

Plin. H.N. l. 8. c. 30. gitis conſtantes. *Caudam* piſcium ſimilem fecit Plinius. Secundum eundem, in maiore ſeſquipedalis

Pellon. Hiſt. Aquat eſt, ſenos digitos lata, duo craſſa, quatuor interdum librarum pondo, ad margines in tenuitatem deſinens, membrana glabra et livida contecta, ſuper quam lineae quaedam, ſquamas piſcium mentientes, incredibili artificio depictae ſunt. In inguinibus geminos habet tumores ori anſerini magnitudine, utrinque unum, membrana ſua concluſum. Inter hos pudendum reſidet. Tumores hi, folliculi ſunt membrana contecti, in quorum medio meatus, ex quibus liquor pinguis et ceroſus exſudat, quo admoto ore deterſo, corporis, quas contingere poteſt partes, velut oleo oblinit, non aliter, ac aves quaedam, quibus ſupra podicem veſicula eſt, liquorem pinguem et olei aemulum continens, eundem roſtro exhauriunt, et pennas perungunt, ne ſub dio morantes, madefieri poſſint. Teſtes non eſſe, vel exinde colligere licet, quod nullus ab his conſpiciatur meatus. *Partes* internas ſi ſpectemus, lingua, corde, ventriculo, inteſtinis, et hepate in quinque lobos diviſo, porco potius, quam alteri animali ſimilis eſt. *Fel* ſub minoribus iecoris lobis latitat. *Splen* parvus pro magnitudine corporis iudicatur. *Renes* magni, tanquam vituli anniculi, et copioſa pinguedine obducti. *Veſica* ſuillae ſimilis. *Teſtes* parvi et ſpinae adhaereſcentes. Foemina, obſervante Matthiolo, unico tantum meatu, et parit, et egerit, et mingit, uteri et veſicae cervicibus illuc concurrentibus. In ſecto Caſtoreo, comperit Geſnerus, ſubſtantiam in folliculo flavam, ſolidam, cerae ſimilem, acrem et minime terream. Ipſum unius librae pondere fuit. Comperit et genitale, quod unico oſſiculo conſtabat. Invenit in utroque tumore et alium folliculum, ſubſtantiam melleam et foetidam putreſcentis caſei inſtar, continentem. Habetur et in foeminis, ſed adeo exiguum, ut vix unciam ponderet. In quo Bellonius calculos ovi magnitudine invenit, adulteratum ſine dubio erat. Reperiuntur Caſtores, apud Burgundiones circa Matronam fluvium, Sequanos in agro Cabillonenſi, Lotharingos, Auſtrios, circa Danubium, ubi Liberi nominantur, in Helvetia, circa Arulam, Ruſam, et Lomagum fluvium. In Polonia quoque, Ruſſia, Pruſſia, et Italia, ubi potiſſimum Padus in mare ſe exonerat. Denique circa fluvios Ponti, unde optimum caſtoreum venit, et in Hiſpania. Aquas ſeptentrionales potius, quam Rheni, Danubii, et alios, qui continuo navigiorum decurſu ſollicitantur, frequentare, Olaus Magnus auctor eſt. Ubicunque autem degit, amphibium eſt animal. Ideo vicinas ſ ttoribus cavernas ponit. Veſcitur foliis arborum, corticibus item almi, populi et aliorum. Salices tamen platyphilli maxime, ob ſummam amaritiem appetit. Piſcibus veſci Albertus falſo prodidit. Nam Pelicerius Epiſcopus Monſpelienſis frequenter vivos et mortuos apponebat, quos tamen nec olfacere quidem voluerunt. Ineunte aeſtate, quo tempore Delphini conſtellatio una cum ſagittario occidit, in libidinem ſolvuntur. Tempus parturae finis autumni eſt, quo folia delabi ſolent. *Vocem* Iulius Pomponius, cum per Onomatopaeiam exprimere non poſſet, ſcriptis mandavit, vagitum infantis apprime repraeſentare. *Naturam* et *mores* ſequentia teſtantur. Non prius mordere deſinunt, quam fragorem oſſium audiverint. Quando domi aluntur, tantus ipſis pudor, ut nec ſtercore, nec urina domum inquinent, ſi non patet egreſſus, querulantur. Tanto amore foetum proſequuntur, ut quaedam, portis et clavis evulſis, ex alto ſe praecipitem dederit, quod ab Epiſcopo Monſpelienſi Pellicerio proditum. Pedibus anterioribus, tanquam manibus ori cibum admovent. Alvo, propter arborum cortices, quibus veſcuntur ſtipata, ſeu quod parum fellis ad inteſtina confluat, partes poſteriores ſaepe in aqua madefaciunt. De avulſione teſtium, dum venatores fugit, quod dicitur, falſum eſt, nataque inde opinio, quod eas tam aſtute occul-

Locus Scalig. Exerc. 215. Bruier. Rei Cibariae l. 18. c. 4.

Cibus.

Generatio.

Naturae Mores.

Ael. H.A. l. 13. c. 47.

cultet. *Ingenium* ſingulare habere, obſervatio dedit. Nam cum ligna ad exſtruenda habitacula convehunt, ſuper ſenes reſupinatos eadem artificioſe inter crura componunt, eosdemque arreptis caudis ad deſtinatum locum trahunt. Senibus dorſum mirum in modum glabreſcit. Illi, qui Scythis *ſervi* dicuntur, poma legunt, et cortices caedunt; alii ſupra duorum iunctorum dorſum, crate ex bacillis compoſita, poma et cortices ſuperimponunt. Iidem nigris, qui et *domini* vocantur captis, luctum et greſſu et facie indicant. Ligna caeſuri, ſemper eadem ſemita a fluvio ad arborem gradiuntur, arboremque non prius relinquunt, quam totam dentibus diſſecuerint, et prope caſuram, ne opprimantur, ſingulis ictibus ſuſpiciunt. Aedificia denique, quandoque in loco altiori, aliquando in decliviori, prout amnis undare ſolet, conſtruunt. Mutant ea pridie, quam fluminis aqua augeatur. *Vſus.* Carnes non ſunt inſuavis guſtus, ſi omnem viroſitatem apparatu depoſuere. Partes anteriores de calore participant, poſteriores, teſte Matthiolo, tanta ſcatent frigiditate, ut ad inſtar teſtudinum terreſtrium, ieiunii tempore admittantur. Cauda apud Lotharingos in deliciis eſt, et ſaporem muraenae bene praeparatae refert. Aſſatur a quibusdam, et pauco zingibere conſpergitur. Geſnerus ſaporem carnium thunni vel anguillae prae ſe ferre ſcribit. In *Medicina*, Caſtorei, fellis, coaguli, urinae, caudae et pellis uſus eſt. *Caſtoreum*, quod ſecundum Dioſcoridem, multis naturalibus tunicis circumdatum, liquore intus velut ceroſo, guſtu acri, et odore gravi, eligendum eſt; quod ab animali in vigore aetatis conſtituto, extrahendum eſt, et extractum, cum melleo liquore, in tunicis contento, exſiccandum; quod denique ad ſeptennium vires obtinet, in morbo comitiali, lethargo, in aceto acerrimo cum ruta decoctum; vertigine, ſi eo cum ſemine viticis, ex oleo roſaceo vertex perungatur; oblivione chronicos morbos inſequente prodeſt. Cum ammoniaco et aceto mulſo aſthmaticis opitulatur. Singultuoſis a plenitudine vehementer ſuccurrit. Colicam affectionem ſedat. Gonorrhoeam in ſucco viticis et aceto decoctum, cataplaſmatis inſtar pectini et genitalibus adplicatum, ſiſtit. Ad invandam conceptionem ſuffimenti ex eo genus, Rondeletius commendat. Omnes uterinos affectus a frigidis cauſis procedentes, inprimis ſuffocationem compeſcit. Puerperii excrementa purgat. Opium optime corrigit. Plurima denique medicamenta, aquas nempe, pilulas, extracta, olea, unguenta, cerata ingreditur. *Fel* venerem ſtimulat. *Coagulum* in morbo comitiali incredibili adiumento eſſe ſolet. *Vrina* contra venena datur. *Cauda* inteſtinorum vulneribus medetur. Cinis *pellis* cum pice liquida combuſtae, ſucco porri mollitus, ſanguinem undiquaque manantem, excellenter ſupprimit. Eadem paralytici utiliter veſtiuntur. *Dentes* de collo ſuſpenduntur, tanquam amuletum contra caſum. *Pinguedine* piſces ineſcantur. Ex pilis mollioribus galeri et tibialia fiunt. Ex pellibus apud Gelonos populos rhenones. Circa differentiam nihil plane occurrit. Scythae in *nigros*, *rufeſcentes*, et *ex utrisque mixtos* diſtinguunt; illos *dominos*, hos *ſervos* adpellant. *Differentia.*

CAPUT VIII.

De Lutra.

Ambroſ. Hiſt. Digit. l. 12. c. 13.

Lutra, quae et *Lytra* Varroni, vel ἀπὸ τοῦ λύειν ſeu ſolvendo, quod arborum radices ad fluminum ripas ſitarum diſſolvat, vel ἀπὸ τοῦ λούειν, a lavando, quod piſcem in aquis inveſtigando, frequenter ſe in aqua abluat, nomen ſortita eſt. Graecis vocatur ἔνυδρις, ab aqua, quod in eadem degat; Aeolibus ἐλύδρις, unde forte Lutra. Suidas cum ea Ictim confundit. Silvaticus Hydrian perperam vocavit. Gaza Lutria vertit. Aetio eſt κύων ποταμίος, canis fluviatilis, quod canis inſtar praedam in aquis requirat.

Nomen.

Suidas l. 57.

Deſcriptio Corpore eſt, quam Caſtor graciliore et longiore, capite canino, dentibus inſtar canis venatici, forma oris quadrata, unde τετραγωνοπρόσωπος dicitur, auribus Caſtoris, cauda oblonga, terete, et in faſtigium deſinente, vulpinis cruribus, paullo tamen craſſioribus, pedibus poſterioribus planis et membrana communitis, pelle denique minus, quam Caſtoris ſpiſſa, frequenti et brevi pilo conſperſa, nonnihil ad caſtaneae colorem accedens. Reperiuntur paſſim in Europa. Sed et in America haud parva ipſorum copia, in Canada inprimis. Maxime vero circa fluenta et lacus degunt, et quia cavernas quoque ſibi effodiunt, inter amphibia reponuntur. Braſavolus copioſiores in agro Neapolitano ſtabulari prodidit. Veſcuntur piſcibus, quorum tantam copiam interdum in cavernas deferunt, ut aeris infectio metui poſſit. Veſcuntur et mollibus herbarum cacuminibus, fructibus arborum et corticibus. Agricola hiberno tempore ad paſtum egredi ſcribit. Ad *naturam*, *mores* et *ingenium* referri debet, quod in urinando aerem per intervalla exortis naribus hauriunt, ne ſuffocentur: quod in antro veluti tabulatum ex ramis et virgis conſtruunt, ſuper quo, ne madefiant noctu cubare ſolent, et quod per aliquot milliaria ex aquae rivulo piſcinae odorem excipiunt. Facilius etiam auram ſecundo flumine hauriunt. Ieiunae curſum amnis ſuperant, ſaturatae cum aquae fluxu delabuntur. Piſcinam ingreſſae mira agilitate meliores piſces aggrediuntur, et in omnes, quamvis devorare non poſſint, ſaeviunt. Facile cicurantur, et ad certum ſignum in aquas ad piſces capiendos ſe coniicere edocentur. In Suecia, ad coqui nutum piſces ex piſcina in culinam deferunt. Carnes in Germania et Gallia a ruſticis comeduntur, ſed ſunt craſſae, lentae et pituitoſae. Geſnerus etiam Carthuſianis concedi ſcripſit. In Medicina praeſtat ſuum uſum. Nam *adeps* medicamentis digerentibus infarctae et exaſſatae ad tollenda articulorum vitia, teſte Hollerio, perutilis eſt. *Sanguis*, ſi Aelianum ſequimur, cum aqua et aceto mixtus, nervis humanis intumeſcentibus conducit. *Teſtes* in morbo comitiali a quibusdam laudantur, caſtoreo tamen minus ſunt efficaces. *Iecur* in furno toſtum ad diſenteriae ſuppreſſionem commendatur. Sedilia ex *pellibus* haemorrhoides levant. Pelles ipſae paralyſi, vertigini, et capitis dolori conducunt. Calceamenta ex iisdem dolores pedum mitigant. Ex iisdem apud nos chirothecae villoſae ad aeris iniuriam coercendam, conſuuntur. Nec non ex pelle integra, cum capite, pedibus et cauda ſemimanicae hiemales fiunt. Circa *differentias*, nihil fere occurrit. Congeneres videntur Lutrae, *Saricouieme*, et *Carygueibeiu*, animalia Americana. *Saricouieme*, non excedit magnitudinem felis; pilo eſt molli, leucophaei coloris, pedes membranis quibusdam fulciuntur. Amphibia eſt. *Carygueibeiu*, alias *Iiya*, eſt magnitudine canis mediocris, capite obrotundo quaſi felino ſed acutiori, auribus obrotundis, et quae inferius ſitae ſunt,

Locus.

Cibus.

Pellon. Aquatil. l. 2.

Natura et Ingenium.

Scaliger. Exerc. 215.

Vſus.

Bruier. de re cibar. l. 13. c. 31.

Ambroſ. Hiſt. Digitat. l. 2. c. 13.

Marcgr. Hiſt. Braſil. l. 6. c. 9.

Lin A 134

Vitulus Marinus .
See Kalb .

Lutra . Otter .

Castor . Fiber .
Biber .

Lonx Lonza .

Hijstrix . Dornschwein stachelschwein

Herinaceus . Igel sewIgel .



ſunt, cruribus et pedibus cercopithecorum more. Quinque digitos quilibet habet, quorum interior brevior reliquis. Pilis tegitur ad tactum mollibus haud longis. Totum animal atri eſt coloris excepto capite, quod obſcure fuſcum. In gutture maculam habet flavam. Vivit gammaris, piſcibus, et farina Mandiocae in aqua madefacta. De *Su*, quod Ambroſinus ad Lutram redegit, alibi agemus.

CAPUT IX.

De Ichneumone.

Ambroſin. Hiſt. Digit. l. 2. c. 4.

Ichneumoni nomen ab ἰχνεύω, inveſtigando, quod noxia diligenter inveſtigans, alimenta a venenis optime diſtinguere valeat, impoſitum eſt. Albertus *ſuillum* appellat, quod pilis ſuillis induatur, et perperam *Ibin*, et Anſchycamum. An Avicenna Thyamonem dixerit, ignoro. Manardus Alcaſim vocatum putat. Graecis eſt ὗλλος, porculus, ſeu ſullus, quod more ſuis roſtrum dum inveſtigat, ſemper in terra habeat. Hodie teſte Bellonio, *mus Pharaonis*, ſeu Aegypti vocatur. Aelianus, *murem Indicum* dixit. Alii *Lutram Aegypti*. Magnitudine eſt felis, ſed longior, *pilis* inſtar pili lupini duris, albicantibus ſeu ſubflavis per intervalla, et leucophaeis. *Roſtrum* habet nigrum, ſuillum, *auriculas* breves et rotundas: *crura* nigra, quinque in pedibus poſterioribus *digitos*, quorum poſtremus ab interiori parte perbrevis eſt. *Caudam* longam, et circa lumbos craſſam. *Teſtes*, linguam, dentes, felis inſtar. Meatum denique extra foramen excrementi peramplum, undique pilis cinctum, pudendo muliebri non diſſimilem, quem, magno urgente aeſtu, loco excrementi interim clauſo, aperire ſolet. Hinc ſcriptores omnes indiſcriminatim Ichneumones et mares et foeminas eſſe arbitrati ſunt. Sola Ichneumonem Aegyptus proferre creditur. Ideo Ichneumonem Aegypti vocavit Ariſtoteles. Haberi tamen et ex altera parte montis Atlantis, ad Nili capita. Vitruvius prodidit. Amphibium eſt animal, et ad Niloticas ripas commoratur. Veſcuntur muribus, ſerpentibus, limacibus, lacertis, chamaeleonte, ranis, et aliis huius generis. Aves, et inprimis gallinas vehementer adpetunt. Hepate crocodilorum delectari, et ideo in dormientium ventrem irrepere, communiter proditur. Ideo etiam ſingularis inter Ichneumonem et crocodilum antipathia eſſe creditur, cuius ova in littore inventa frangit, Aegyptiorum, ne tot crocodili naſcantur bono. Adverſatur etiam aſpidi, et omni ſerpentum generi. Ventum maxime abominatur. Ideo eo flante gradum ad latibula accelerat. Mures et ſerpentes, more felium et muſtelarum depopulari, ideo in Aegypto cicurantur, adſiduis colluſionibus gaudere, ne frigore laedatur, caput inter genitalia abdere, et Echini terreſtris inſtar, in pilam ſe contorquere; conſpecto aliquo animali pilos erigere, et magno etiam ſe cani opponere, felemque tribus dentium ictibus ſtrangulare, omne animantium genus, equos etiam et camelos adoriri; tot numero foetus, quot canes eniti, ad *naturam* et *mores* ſpectat. Quae de utroque ſexu apud Aelianum extant, et quomodo victi muliebria pati neceſſe habeant, fabuloſa ſunt. *Ingenium* multa teſtantur. Praedaturus ſe in poſteriores pedes erigit: praedam vero conſpicatus, tranquillo per humum tractu ſe promovet, et tandem magno impetu adoritur. Hoſtes ſuos, nunquam niſi advocatis ſociis aggreditur. Contra aſpidem dimicaturus, in luto prius volutatus, in ſole apricatur, donec quaſi loricae munimentum acqui-

Nomen.

Bellon. obſerv. l. 22. c. 22.

Deſcriptio

Locus.

Ariſt. Hiſt. l. 9. c. 5.

Cibus.

Oppian. Cyneget. l. 3.

Antipathia.

Aelian. H. A. l. 9. c. 1.

Natura, Mores, Ingenium.

Ariſtot. H. A. l. 6. c. 35.

Ariſtot. H. A. l. 9. c. 6.

acquirat, ſi lutum deſit, aqua madefactus, in pulvere ſe volutat. Gnarus teneras ſibi nares, ſolo caudae flexu in acerrima dimicatione eas tuetur. *Vſus.* Inſervit et in Medicina. *Lotium* cum vaccae nigrae lacte propinatur contra dolorem colicum. *Cinis* pellis combuſtae in aceto maceratus adverſus ſerpentum ictus facit, ſi eo homines illinantur. *Pilorum* ſuffumigatio, contra lumbricos facit. Aegineta l. 4. c. 58.

CAPUT X.

De Muſtelis.

ARTICULUS I.

De Muſtela vulgari.

Ambroſin. Hiſt. Digitat. l. 2. c. 15. Muſtelarum duo ſumma genera inveniuntur. Sunt aliae *vulgares*, aliae *ſil-veſtres*. Hic de prioribus agemus. Nominis originem quidam a mure et telo deducunt, *Nomen.* ut ſit quaſi mus longus. Telum a longitudine dictum, omnium fere Lexicographorum placitum eſt. Alii a mure et τῆλαι, quod eſt longe. Figulus a μῦς et φέλλω ſurripio, quod mures e cavernis ad ſe trahat. Graecis antiquis dicitur γαλέη, et in proſa γαλῆ, ἀπὸ τοῦ γάλακτος a lacte vel candore, quod hoc animal vel ſecundum ſe totum vel ſecundum partem candidum ſit: quibusdam κιρδὼ, quod vulpi ob aſtutiam convenire ſuperius diximus, recentio- *Deſcriptio* ribus νυμφίζα. Circa *deſcriptionem* nihil ſingulare occurrit. Vulgaris iſta in lateribus et dorſo eſt rutila, raro ſubflava, circa guttur ſemper alba. Corpus ei tenue, cauda brevis. Albertus de candida ſcribens dicit, Ermineum eſſe animal candidum, figurae muſtelarum, et in extremitate caudae nigerrimum. *Dentes* habet minores, quam mures, *cor* parvum, ſed in comparatione ad alia animantia ſatis ma- *Locus.* gnum. Inveniuntur paſſim: ſed albae, in regionibus ſeptentrionalibus inprimis. In Mauritania ſunt praegrandes. In territorio Tarteſi urbis extra Herculis columnas maximae, ut Suidas auctor eſt. In Iava loco ſilveſtria incolunt. In Pordeſelene inſula limites non transeunt. In Boeotiam delatae aut pereunt, aut ſtatim aufugiunt. In cavernis, petrarum fiſſuris, foenilibus, et ſtabulis habitant. Eſt ex animalibus πάμφαγον. Veſcitur ut *Victus.* plurimum muribus, et talpis. Non abhorret a ſerpentibus. Inſidiatur veſpertilionibus. In columbariis Plin. H. N. l. 29. c. 4. ova abſorbet, et avium interemtorum ſanguinem ſugit. Defunctos Aelian. H. A. l. 12. c. 22. invadit, et eorum oculos effodit. Lepores denique invadit. Viſa, quae eum ore tenebat. Ore parere vul- *Generatio.* garis fabula eſt, ex illa, quae de Galanthide Alcmenae ancilla in muſtelam a Iunone converſa, conficta. Uterum habere certiſſimum eſt. *Antipathiam* cum corvo et cor- *Antipathia.* nice gerit, quod harum avium ova abſorbeat. Gallinae audita muſte- Arift. H. A. l. 9. c. 1. larum voce fere exanimantur. Cum catis decertat. Cum ſerpentibus congreditur, ramo rutae vel ſoncho munita. His deſtituta, opprimitur. Ad *naturam* et *ingenium* *Natura.* ſpectat, quod earam fimus, ſi per agros et ſilvas liberam vitam agunt, moſchum redoleat, quod ratione aetatis varium colorem induant, catulis viſum deperditum herba quadam reſtituant, facile cicurentur, inprimis ſi dentes allio confricaveris, maiora etiam animalia adoriantur, caveas duobus foraminibus munitas exſtruant, quorum alterum Septentrionem, alterum Auſtrum verſus obvertitur, foetus ſpatio unius diei in diverſa loca transferant, cum ſerpentibus denique nonniſi ruta vel ſoncho munitae congrediantur. Quia in rabiem concitatur, morſus eius lethalis eſt.

Ideo

Ideo et vaccarum ubera, ſi ea attigerit inflammatione corripiuntur. Oleum in quo muſtela computruit, remedio eſt, vel ſi locus affectus pelle eiusdem ſicca confricetur. *Vſus.* Ariſtides Locrenſis eius morſu periit. Mexicani eas *in cibis* adhibent. Galenus ſale conſperſas et exſiccatas, carnibus leporinis reſpondere ſcripſit. Galen. de Theriaca ad Piſon. c. 9. Quantum ad *medicinam*, *cerebrum* exſiccatum adfert haut parvam epilepticis utilitatem, teſte Galeno. *Ventriculus* coriandro impletus demorſis a ſerpentibus auxiliatur, apud Dioſcoridem. Dioſcor. l. M. l. 2. c. 24. *Pulmo* in pulmonis affectionibus efficax eſt. *Iecur* vertigini et epilepſiae prodeſt. Quia decreſcente luna minui dicitur, creſcente augeri, epilepticos quoque, teſte Glyca iuvat. Glycas l. 1. Annal. *Fel* contra omnia veneficia ſalutare depraedicat Plinius. Matthiolus eodem cum ſucco foeniculi mixto, in auferendis oculorum nubeculis, et in cute emaculanda utebatur. *Virga* exſiccata ſingulare eſt ſtranguria laborantibus remedium. *Teſticuli* et *uterus*, more lapidis aetitis, foetum in utero cohibere dicuntur. *Sanguinem* cum ſucco arnogloſſae in mitigando podagrae dolore extollit Lonicerus. Galen. de compoſ. medic. l. 1. c. 3. c. 2. Galenus parotidibus eundem illinit. *Fimum* melle exceptum et cum farina lupinorum vel foenu graeci mixtum, ad ſtrumas diſcutiendas magnifecit Matthiolus. Eſt et *tota* in uſu. Dioſcorides ſale inveteratam, detractis inteſtinis, contra venenatorum morſus commendat. Pulverem exſiccatae in morbo comitiali adhibuit Galenus. Matthiolus crematae cinere aqua ſubacto et illito vehementes capitis dolores mulcet, et oculis caligantibus iniecto, ſuffuſiones emendat. Marcellus ad catarrhum in fauces deſcendentem, eandem die Iovis, Luna decreſcente, in olla rudi ita cremat, ut in pulverem redigi poſſit, quem cum melle mixtum patientibus exhibet. De *uſu in variis*, conſule Ambroſinum. Apud Portam legimus, Porta Phyſiognom. l. 6. c. 4. ſemina roſae cum ſeminibus ſinapi et pede muſtelae intra ramos arboris infoecundae ſuſpenſa, eandem in foetus reſolvere. Geſnerus tradit equum a ſubito et pernicioſo morbo, Tach Germanis dicto correptum, portione pellis muſtelina exhibita, a veterinariis liberari. Quidam ſemina cineribus muſtelae permixta per agros ſpargentes mures a ſegetibus abigunt. Alii in copioſa aqua fervefaciunt, et decoctionem poſtea ad fugandos mures a campis feliciter adhibent. Circa *differentias* variant auctores. *Differentiae.* Plinius appellatione Muſtelarum et Ictida et Galen complexus, duas ſpecies conſtituebat, alteram in domum tectis errabundam et domeſticam, alteram in agris et nemoribus verſantem et ſilvaticam cognominabat. Carolus Figulus, vulgaris duas ſpecies ponit, alteram totam albam, *Hermellani*, alteram ſecundum pectus et ventrem, *Viſelam* dictam. Figul. in Dialogo de Muſtela. Ad easdem referuntur ſequentia. *Roſola* Alberti ſeu *Guiſela*, cuius excrementum odoriferum eſt. *Quadrupes digitatum* variis maculis inſignitum et Salamandra dictum, forte quod ob colorum varietatem Salamendrae ex genere lacertorum aſſimiletur. *Girella* muris genus in Auſtria, magnitudine muſtelae. Pelliones Itali nigri rutilique coloris pellem parvam ex regionibus frigidis delatam oſtendunt, hancque Roſoleum vel Romulum nuncupant. Alii *Chiurcam* inter muſtelas connumerant. Georgius Agricola in genere Muſtelarum *Vormelae* animantis Viverra ſeu Furone minoris meminit, et Cardanus *Lardironi*. Idem Genettam quandam muſtelam eſſe ſtatuit. *Chiurcam* vero ita Scaliger deſcribit. Viverrae inquit, eſt facie et magnitudine, capite vulpino, ſub terra habitat, foecundiſſima eſt, duodenos parit exiguos. Cauda ei tenuis pene glabra. Ipſa pilo atro. Catulos in burſa ſub alvo obtenſa ſecum fert. Eſt et *Africana muſtela*, quae apud Cluſium ita deſcribitur. Nieremb. Hiſt. Exot. l. 9. c. 32. Erat, inquit, hoc animalculum maioris muris ſeu gliris non prorſus adulti magnitudine, corporis forma muſtelam et ſciurum quodammodo referens. Nam capite et cauda longis pilis praedita ſciurum

aemulabatur, illam quidem attollens, minime tamen ſupra caput retorquens ut ille, ſed in altum nonnunquam valde explicans. Comedens clunibus ſciuri inſtar inſidebat, anterioribus pedibus cibum tenens et verſans. In utraque mandibula binis longioribus dentibus in anteriore rictus parte erat praeditum, aures fere orbiculares habebat, et pilorum colorem varium a ſpadiceo, fuſco, et albo, ſingulis coloribus a capite ad caudam, ſecundum corporis longitudinem virgatim et radiatim excurrentibus. Summa venuſtas erat in cauda, ſimilibus coloribus etiam virgatim diſtincta, cum ut dicebam, illam interdum valde explicaret pavonis caudae pene inſtar. Pedes in quinque digitos erant diviſi, quaternos antrorſum ſpectantes, eorumque binos medios longiores, quintum autem brevem calcari non diſſimilem retrorſum ſpectantem. Omni cibo ipſi obiecto indifferenter veſci intelligebam, praeſertim vero pane delectari, ferox non eſſe, ſed facile cicurari et domeſticum fieri, ut libere nullo vinculo adſtrictum, quo vellet vagari, permitti poſſet. In navi, qua vehebantur, tam cicura haec animalia evaſere, ut nautarum ſinum et caligas ſubirent. Nierembergius muſtelam Lybicam vocat.

ARTICULUS II.

De Muſtela ſilveſtri et Putorio.

Ambroſin. Hiſt. Digit. l. 2. c. 16.

Muſtela ſilveſtris, quibusdam Furo, Furus et Furunculus ſeu Furectus, ſeu quod more furis noctu ſurripiat; ſeu a fureo, id eſt, obſcuro colore, quod ſubterraneos meatus et cuniculos ingrediatur et effodiat, dicitur: aliis Viverra, quod vi verruncet, id eſt animantes a cuniculis expellat. Graecis eſt ἰκτὶς, et per aphaereſin κτὶς, forte ἀπὸ τοῦ ἰκτίρω ab ave huius nominis, cuius colorem pilus eius aemulatur. Grapaldus pholitam vocat, Geſnerus pholeutam, et recte legit. φωλεὰ apud Graecos luſtrum eſt. Auctor de natura rerum, colorem ei eſſe inter album et buxeum medium, ventre albo, oculis rubicundis, muſtela domeſtica maiorem. Ariſtoteles corporaturae catelli Melitenſis facit, in pilo vero, forma, albedine partis inferioris, multum a Muſtela vulgari diſcretam. In Italia, Gallia, et Germania non reperiri Geſnerus prodidit. In Africa tantum eſſe, Strabo. In Anglia haberi multi perhibent. *Victitat* melle, piſcibus, columbis, et carne cuniculorum, quam maximopere adpetit. Foeminae libidine correptae, niſi ſe mari commiſcuerint, inflatione correptae pereunt. Coeunt more felium. Septem vel octo catellos unica paritura edunt, dum tamen ſpatio quadraginta dierum utero geſſerint. Foetus poſt partum per triginta dies caeci ſunt, et die quadrageſimo poſt acceptam viſionem ad venationem proficiſcuntur. Ad iram provocatae excrementa alvi odorata egerunt. Cicurati in capſis ligneis plurimum temporis dormiendo conſumunt. In Gallia Narbonenſi utuntur eis in cuniculorum venatione: alibi in extrahendis de nidis parietum, inacceſſis inprimis aviculis. Pertinet ad eam Viverrae in inſula Zeilan genus, ſerpenti coronato inimiciſſimum. Quoties adverſus eum dimicat, radicem ligni colubrini praemordet. Nec alterius eſt generis animalculum illud, quod Agricola *Hameſter* vocat. Maius eſt muſtela domeſtica. Color dorſi leporinus, ventris niger, et laterum rutilus. Pedes breves. Multa frumenti grana in ſpecum congerit. Ager Thuringiae eis abundat. *Putorius* ab odore nomen ſortitus eſt. Semper enim putidum ab ore halitum emittit.

Nomen.

Deſcriptio

Locus.

Victus.

Generatio.

Differentiae.

Cluſ. Exot. l. 1.

Agricola de animal. ſubterran.

Ambroſin. Hiſt. Digitat. l. 2. c. 17.

Qui-

Mustela . Wieſel

Putorius . Iltis .

Martes . Marter .

Martes .

Taxus ſuill9

Porcellus Indicus
alius .

Hystrix .

Quidam ichtim dixere, quod piſcibus valde delectetur. Scaliger catum foetentem, ni fallor, dixit. Corpore Marte eſt ſimilis, ſed maior. Circa collum anguſtior, circa imum ventrem latior, in cauda et cruribus nigrior, et ad latera flavior. Pellis duplici pilorum ordine conſtat. Alii ſunt breviores et flavi, alii longiores et nigri. Crura ſiniſtri lateris breviora eſſe, a quibusdam creditum, ſed ipſa αὐτοψία repugnat, *incolunt* horrea, ſtabula, ſilvas, et ripas. *Victitant* muribus, gallinis, avibus, quibus ſtatim caput auferunt, piſcibus, ranis, etc. Tempore vernali pelles graviſſime olent: hieme non item. Albertus meminit cuiusdam muſtelae, quam *noerzam* vocat, magnitudine martis. Pili ad colorem lutrae accedunt. In remotiſſimis nemorum penetralibus latet, et putidum odorem de ſe emittit.

CAPUT XI.

De Marte et Muſtela Zibellina.

Ambroſin. Hiſt. Digit. l. 2. c. 18.

Martes a ferocia nomen accepit. Eſt enim Martia. Alii Martam et Marterum vocant. Nonnulli Foinam, Gainum, et Sciſmum. Dentes habet candidiſſimos inaequales et aſperos. Canini in utraque mandibula eminent, quibus ſexigui diverſae altitudinis interiiciuntur, qui inciſorum munus obeunt, cum hac tamen differentia, quod inciſores mandibulae inferioris perexigui ſint. Molares, quorum octo, ſunt ſerrati, triangulares quidam. Ultimi in ſuperiore oris parte multo caeteris interius

Zootom. Democr. p. 317.

ſunt, nempe in ipſo palato Severino circa interiore ſequentia ſunt obſervata. Sub cutem *fibrae* nerveae extentae, numero et ſitu coſtis omnibus reſpondentes. *Coſtae* autem num. 14. *membrana* nulla carnoſa, *muſculi* abdominis inter duas peritonei tunicas, ideo videtur peritoneum craſſum et denſum, non minus, quam cornea tunica oculi bovini. In longitudine per eam lineam, quae reſpondet umbilico carnoſum erat, ſed non late et in infima ſui parte. *Omentum* ventriculo inferne adnexum inteſtinis et lieni, ſed *lien* parviculus ſatis parte ſiniſtra ventriculo adpenſus, omenti parte adalligante. *Ventriculus* amplior, quam pro puſillo corpore, conſtans duplici tunica, ſed externa albidior et levigata interna, utraque tenuis. *Inteſtina* retrorſum adnexa ſpinae per membranam. Nullum caecum inteſtinum, uniformia omnia. *Veſica* urinaria oblonga, tenuis, ſed ventriculo magis, recto inteſtino incumbens. *Hepar* ſeptem fibris conſtans, quarum infirma quaedam trifida, velut pes pulli, media ſic triangularis figurae, venae cavae per membranulam parvo ſpatio adnexa. *Ren* dexter ſuperior. *Emulgens* ſiniſtra longior, quam dextra, utraque ab arteria magna enaſcens, a vena cava non item, dubius tamen ſum et neſcio, num per iniuriam non obſerim. Ad cavam venam hinc et hinc *glandulae* ſubrubrae ſeu flavae, ſed dextra ſuperior adnexa hepati per venularum ſurculos. *Vena cava* multos ſpinae ramos mittit per lumbarium muſculorum intercapedinem, ſic et *magna arteria* cavae ſubdita. *Vaſa ſpermatica* a renum medio deſcendunt, ſed parte ima finduntur utrinque quorum alter ramus continuus teſti fit, abdomen extra pervadens. *Penis* a ligamentis coccygis naſcens cartilagineus et durus inſtar oſſis, ſumma ſui parte contortus, ut terebella, amictus ſua tunica, quae iuxta ſui principium valide adhaerebat, in extremo perforatus, ut acus, ureter dexter inſertus veſicae ſuperius, quam ſiniſter, nervus ſubtiliſſimus deſcendit rectus adalligatus dextero lateri cavae venae, inferens ſeſe in principium cavae.

Nervulus item alius latere ſiniſtro deſcendit ad orificium ſuperius oeſophagi. *Diaphragma* ad fines hepatis oblique deſcendens eadem illi parte connexum. Inſeritur vena cava in dextrum ventriculum cordis prope auriculam dextram, quae nigra et plena ſanguine, maior, quam ſiniſtra, haec autem alba et exanguis. Eadem cava varie in pulmonem conſpergitur parte dextra. Arteria magna inſerta in ſiniſtrum cordis ventriculum, dum ſe contorquet ac flectit ad inferiora. Vena cava dextrorſum pulmonem parum ſupergreſſa ſeſe contorquet et divaricatur in ſex ramos, fitque ἄξυγος, aſcendit eadem ſuperne ad utramque mandibulam inferiorem. Pulmo dextrorſum quatuor conſtat fibris minoribus, ſiniſtrorſum duabus maioribus. In Septentrionalibus regionibus ut plurimum inveniuntur, in Germaniae Alpibus, quae meridiei et Italiae obvertuntur. Incolunt magnorum aedificiorum tecta, nec non faginas et abietinas ſilvas. Retulit quidam ruſticus Geſnero, ſe in praealta abiete Martem cum quatuor catulis comprehendiſſe. Gallia Martibus abietum caret, ex Polonia deferuntur aliquando colore fuſco diluto. Dicuntur praeter cibos muſtelis ſuetos, frutibus etiam veſci. Excrementa Moſchum redolent. Facile cicurantur. Habebat cicurem Geſnerus, canis quo cum nutriebatur amantiſſimum, quem in itinere ſequi ſolebat. Vinculis ſoluta circa aedes vagabatur, et ſemper redibat, ſupina quoque cati ritu ludebat. Infida tamen eſt, ideo nonnulli ſuadent, ut canini dentes amputentur. Pellis eſt in uſu. Ex illa, quae ſub gutture, ſalutares capiti pilei concinnantur. In Canada mulieres infantes ſuos eis inſuunt. Duae ipſius ſunt *ſpecies*. Altera *domeſtica* pilo fulvo nigricante veſtitur, excepta ea gutturis parte, quae albicat, quam pelliones Fainam vocant. Eſt corporaturae felis, ſed paullo longior, cruribus ungulisque brevioribus. Per rura vagatur, gallinas iugulat, et ova exhaurit. Altera eſt *ſilveſtris* pilo clariore et molliore, gutture luteo. Ex his aliae ſilvas fageas, quernas, et ilignas inhabitant, aliae piceas et abiegnas. Circa lacum Bregantinum dicuntur verſari, quae noctu lucent. *Muſtela zibellina* Ariſtoteli ex quorundam ſententia ſub nomine *Satherii*, ſub *Cebali* Nipho venit. Alciatus *murem Sarmaticum* et *Scythicum* vocat. Agricola paullo minorem Marte facit, totam obſcuro colore fulvam, praeter guttur, quod cinereum eſt. Inveniuntur in partibus ſeptentrionalibus et extremis Moſcovitarum ſilvis; ſed et in Lithuania, alba Ruſſia, et locis mari Cronio vicinis, ut et in Lanceruca Scandinaviae ſilva. Praeſtantiſſimae ſunt pelles, quas Tartari et Lapones mittunt. In regni Congani provincia quadam copiam ipſarum dari, deſcriptionis Guineae hiſtoria teſtatur. Inſidiantur aviculis, dum in opaco ſaltu latitant. Animalia ſunt natura agilia et ſemper inquieta. Obſervatum eſt pelles ipſorum in imo arcae repoſitas et aliis veſtibus onuſtas, poſt triduum plus minus in ſummum aſcendiſſe. Si manibus tractentur ſemper aequales remanent. Praeſtantiores, quibus pili longi, et ad nigredinem vergentes. Soli expoſitae corrumpuntur. A blattis praeſervabis, ſi ſaepe concutias, et ramis abſynthii involutas, reponas. Pretium illis ingens, quadraginta pelles mille coronatis emtas vidit Agricola. Semimanicam hiemalem ex iisdem concinnatam quadringentis libris Bononienſis monetae Ambroſinus. Incolae Obdoriae eas idolo ſua Zlata baba dicto, offerunt. Magni Tartarorum Chami tentoria, iisdem ſubduci, M. Paullus Venetus teſtis eſt.

Ambroſin Hiſt. Digitat. l. 2. c. 19.

Renod. l. 3 Pharmacop.

Differentia.

CA-

CAPUT XII.

De Genetta, et Animali Zibethi.

Ambroſ. Hiſt. Digit. l. 2. c. 21.

Animalis, quod *Genettam* vocamus, nomen unde deſumptum ſit, ignoratur. Quidam, quia Hiſpanicum eſt, ab aliquo ibidem loco appellatum, credunt. Alii *catum Hiſpaniae*, quidam *genethocatum* vocant. Nonnulli *pantheram minorem* Oppiani opinantur. Minor eſt vulpecula. Corpus totum maculis nigris eleganter diſtinguitur, nam reliquum fuſcum, vel cano fuſcum permixtum eſt. Tota pellis molli et denſo pilo et lanuginoſa, non ingratum odorem ſpirat. Reperitur in Hiſpania, et quidem circa aquoſa loca, ut inde victum quaerant. Semimanica hiemalis ex illius pellibus conſtans, viginti quinque, immo triginta libris monetae Bononienſis venditur. *Animal Zibethi*, quod antiquis forte ignotum eſt, moderni Graeci *Zapetion*, Scaliger *catum zibethicum*, Ludovicus Romanus *felem zibethi*, alii *ſivettam* ſeu *civettam*, et *catum ſilveſtrem*, Gyllius pantherae genus, quae veteribus haec ſola odorata ferebatur, Bellonius *hyenam veterum*, vocant. Armatur dentibus et pilis aſperioribus. A capite ad initium caudae integrum hominis brachium adaequat, altitudo crurum uſque ad pedes, ad trientem brachii reducitur. Magnitudinis fere eſt vulpinae, colore lupino maculis nigris reſperſo inſignitur. Folliculum circa inguina geſtat, in quo odoramentum Zibethum dictum, colligitur. Rondeletius addidit, rictu eſſe oblongo inſtar taxi, linguae non tam ſcabrae, ut felis. Reperiuntur in Pegu, regno Congitano, China, Cambaia, ſilvis Aethiopiae, quod apud Leonem Africanum legimus. Advehuntur et ex Aegypto, ubi copioſum partum enituntur. Ex Hiſpania in Italiam deferri, non male Gardanus ſcripſit. Delectatur crudis carnibus et muribus ſilveſtribus. Romae apud Cardinalem Galeottum carne pipionum alebatur. Comedit etiam dulciaria et oryzam cum ovis, in China, lignum dulce, quod Comaron vocant, ſi id animal eſt, cuius Pigaffetta in itinerario ſuo meminit. Adeo cicuratos Romae et Mantuae vidit Scaliger, ut innoxie ſupra humeros ab hominibus geſtarentur. Conſul Florentinorum Alexandriae adeo mitem habebat, ut cum hominibus colludens, naſum, aures, labra, dentes ſine noxa apprehenderet. Ab ineunte aetate humano lacte educabatur. Excrementum, quod ex loculo circa extremam abdominis partem intra femora, cavernis et anguſtiis inſtructo dimanat, primo eſt album, teſte Fallopio, progreſſu temporis ſubluteum, tandem nigreſcens. Primis diebus hoc odoramentum grave eſt, namque mirandum in modum ferit, concretum et aeri expoſitum, ſuavitatem gratiſſimam acquirit. Nonnulli ſperma animalis eſſe voluerunt. Colligitur cochleari argenteo, aereo, vel corneo, ſingulo quoque die drachmae unius pondere. Maiorem zibethi copiam fundit, ſi, antequam colligas, virgula exagitetur, ut in iracundiam praeceps feratur. Alii ſponte certo anni tempore incaleſcere, et liquorem odoriferum e genitali eiaculari ſcribunt. Collectum in vaſe corneo melius et diutius, quam alio ſervatur. Sunt quidam Ulyſſipone nobiles, quorum ex zibetho reditus, ad mille et quingentos aureos aſcendunt. *Vſum* tam in Medicina, quam alibi habet. In Colica affectione granum unum umbilico inungitur, pane calido ſupra poſito. A Crollio in vertigine et apoplexia commendatur unguentum, cuius compoſitionem et hic ſuccus ingreditur, extremitatibus narium, temporibus, et vertici illitum. In uteri ſuffocationibus pudendo affricatur. Adulteratur felle bubulo, ſtyrace liquida, et melle. Parantur ex eo pulveres Cyprii, ſapones, aquae, olea, eſſentiae, ſuffitus, de quibus conſule Ambroſinum.

Ambroſ. Hiſt. Digitat. l. 2. c. 22. Scaliger. Exerc. 211.

Rondelet. Pharmac. l. 3. c. 16.

Bellon. obſer. l. 2. c. 20.

Maiol. Colloq. 7.

CAPUT XIII.

De Lepore.

Iſidor. Origin. l. 12. Varro. de L. D. l. 3. c. 12. *Nomen.*

LEpus Iſidoro dicitur quaſi Levipes, ob currendi celeritatem, vel quod molliſſime propter villoſos pedes incedat, aliis ab Aeolibus Boeotiis, qui antiqua voce animal hoc, λέπορι indigitabant, deſcendit. Dicitur autem ita quaſi λεῖως περιὼμενος, quod lubrice eat, nec facile ſit eum apprehendere, aut retinere. Scaliger tamen λίπορις, et λιπόρις legit. Aliis Graecis dicitur λαγωὸς, λάγειος, λαγὼς Atticis, λαγὲς Ionibus, ut Euſtathius docet. Vocatur et δασύπους, a pedum villoſitate, δρομαλὸς, πτὸξ, et ταχὺπης, ſine dubio, a curſus celeritate. Cretenſes Lepores κικῆνας vocant. Albertus Leporem, Trochum Ariſtotelis interpretatus eſt. In *deſcriptione* non eſt, quod immoremur. *Caput* habet breve et rotundum, *collum* anguſtum, rotundum, molle, oblongum, *aures* ſublimes, *ſcapulas* rectas et laxas, *pectus* non carnoſum, *ſpinam* teretem, *ventrem* depreſſum, *crura* levia, quorum priora exiguo intervallo diſtinguuntur, poſteriora, infra genu inſtar literae Λ divaricantur, *corpus* denique totum flexile. *Interiores* partes ſi ſpectes, *cor* ipſi datum maximum, illis vero, qui circa Briletum, Thernen, et in Cherſoneſo ad Propontidem vagantur, quique in Sycino agro circa Bolbam verſantur, duplex iecur, ſeu quod revera tale ſit, ſeu quod adeo fiſſum eſt, ut duplicati iecoris faciem repraeſentet. *Oculi* ſub angulo anteriori cartilago latior eſt, vermiforme corpus cerebello poſtremum, corpus concameratum in aliis non obſervatum, os auriculae tenue pellucidumque, ut felis. Inter animantia dentata, unicumque ventrem habentia, ſolus coagulum obtinet. Reperiuntur paſſim, tam calidis, quam frigidis regionibus. Ex Lybia albos delatos reliquit Pauſanias. In inſula Indica Mazzua dicta, tanta ipſorum copia, ut ab incolis paſſim interimantur, ſi Ferdinando Lopezio credimus. In Atho quoque monte tot, ut Ovidio in proverbium abierint. Incolunt tam culta, quam inculta, iſta tamen praecipue, quae a venatotibus non frequententur. In Ithaca non eſſe, nec vivere illatos prodidit Ariſtoteles. De *victu* leporum ita eleganter Bargeus:

Deſcriptio Plin. H. N. l. 11. c. 37. Zootom. Democr. p. 3094 Ariſtot. de partibus animal. l. 3. c. 15. *Locus.* Ovid. l. 2. de arte amandi. Ariſt. Hiſt. A. l. 8. c. 29. *Victus.*

Decerpunt laeti turgentia gramina campi,
Et culmos ſegetum, et fibras tellure repoſtas
Herbarum, et lento morſus in cortice figunt.
Arboris, atque udos attondent undique libros,
Nec parcunt ſtrato pomorum, aut glandis acervo,
Aut viciae, aut milio, aut procerae frondibus ulmi,
Praecipue gratae ſilveſtria gramina menthae.
Quaeque colunt riguas inculta ſyſimbria valles,
Et vaga ſerpilla, et pulegi nobile gramen
Percipiunt.

Bargeus Cyneget. l. 3.

Commiſcentur averſi, ut omnia animantia, quae retro urinam mittunt. Solvuntur quocunque tempore anni in libidinem, Xenophon tamen et Pollux verno potiſſimum tempore congredi ſtatuunt. Poſt primum congreſſum ſuperfoetat, ut vere Poeta ſcripſerit,

Generatio.

Prolis amans, gignit foetus, lactatque tenellos
Dumque ſuperfoetat, dum parit, usque coit.

Non eſt ergo mirum, catulos praegnantes in diſſecto lepore inventos, quod apud Aelianum legimus, nec mirum, Aſtypalaeam ex geminis leporibus, tempore Antiochi Gonatae, brevi tempore, tot leporibus fuiſſe refertam, ut intra annuum ſpatium, plures ſex millibus caperentur, ut apud Athenaeum legimus, totamque Geronem Scarii maris inſulam

Athen. Dipnoſ. l. 9.

Lepus . Haſe .

Lepus Cornutus .



Cuniculꝰ porcellꝰ Indicꝰ . Kaninich : Kuniglein .

ſulam olim leporibus vacuam, intra breve tempus a praegnante lepore, foetu occupatam fuiſſe. Enituntur in locis nemorum ſecretioribus, nunc duo, interdum tres, aliquando quatuor catulos. *Sexum*, ſic optime agnoſces, ſi conſideraveris, foeminam eſſe capite oblongiore, corporatura craſſiore, auribus oblongioribus, et pilo dorſi leucophaeo, ad nigredinem vergente, canibusque perſequentibus ſemper ſuam regionem currendo circumambire, et per eundem locum pluries tranſire, marem vero humeros habere rubentes, in quarum medio pili oblongiores obſerventur, caput brevius et obtuſius, pilos barbae et palpebrae longiores, aures breviores et latiores, canibus perſequentibus recto itinere ſe committere, et quandoque ad decem millia paſſuum currere. *Inimicitias* gerunt cum aquilis, corvis, muſtelis, vulpibus et canibus. *Vivunt* ad ſeptennium. Aetas ex cavernis vel potius fiſſuris ſecus foramen excrementorum colligitur, ſi Archelao et Alberto credendum. *Vocem* habent acutam. Philomelae auctor gemitum adpellat. Ad *naturam* pertinet videndi facultas eximia, nam dum dormit, oculos apertos tenet, auditus acerrimus, nam et ad leviſſimum foliorum motum concitatur et fugit, utitur etiam auribus tamquam incitamento ad curſum, quibus eundem dirigit et moderatur. Dormiturientes, ne cavernae locus deprehendatur, huc illuc diſcurrentes, veſtigia primo diſturbant, tandem magno ſaltu in cavum proſiliunt, ubi decumbentes, femen ilibus ſubiiciunt, cruribus prioribus ut plurimum iunctis, et auribus ſuper utrumque humerum demiſſis. Cavernis egreſſi, libentiſſime ſerenis diebus apricantur. Loci natalis tam ſunt amantes, ut nullum peregrinum admittant. Facile cicurantur, et nimis pinguefacti, intereunt, at levi data occaſſione vincula effugiunt, et ad priſtinos mores redeunt. In ſilvis raro pingueſcunt, forte quod ſibi metuant. Ad *ingenium* ſpectat, quod hieme impendente cubilia in locis apricis conſtituunt, aeſtate ad Aquilonem cubant, quod ad pabula longinqua proficiſcuntur, ut longo curſu exerciti, pedum celeritatem firment, quod, ut venatores fallant, per flexuoſas incedentes vias, frutices omnes evitant, ne pili iisdem affricati, odorem canibus praetereuntibus praebeant, quod ubi ſegnes ad perſequendum canes vident, lento gradu properant, ubi urgere, citatiſſimo curſu feruntur, quod denique a venatore agitati inter glebas, quae ſunt eiusdem ſecum coloris, ingenioſe latitant. In *cibis* eos Iudaeis guſtare nefas, at apud gentiles, poſtquam ab Attalico Cydonienſi ad epularum apparatum deducti ſunt, in deliciis ſemper fuere, adeo inter mattyas caro leporina poneretur, formoſitatemque vultus conciliare crederetur. Ideo certe Alexander Severus, ut in Lampridio legimus, ſingulis diebus comedebat, et aliquod huius veſtigium apud Martialem ad Galliam habeamus. Caeterum cuius ſit caro haec temperamenti, non eſt, quod multis diſquiramus, ſola diſtinctione res confici poterit. Bimeſtres, trimeſtres, et ad ſummum ſemeſtres, optimi ſunt ſuci, et facilis concoctionis. Anniculi et adultiores craſſum ſanguinem generant. Viſi tamen venatores, quorum quotidianus leporina cibus, qui tantum abeſt, ut moerore diſtraherentur, ut etiam laetitia perfunderentur. Quod autem Cato Cenſorinus oleribus et carnibus leporinis aegrotos ali voluit, de catulis forte intelligendum eſt. Meliores vero iis, qui ad aquas degunt, illi, qui in montoſis et planis habitantes, ſerpillo, pulegio, et aliis veſcuntur. Maxime etiam urgente bruma in cibis commendantur. Praeparandi rationem vide apud Ambroſinum. In *medicina* nulla fere pars eſt, quae uſum non praebeat, immo et excrementa eidem inſerviunt. *Caput* uſtum cum adipe urſino aut aceto alopeciae mederi, Galenus reliquit. *Cerebrum* dentitionem infantum promovet, ſi gingivae ſaepius eo illinantur,

Sexus. *Inimicitia* *Aetas.* *Vox.* *Natura.* *Ingenium.*

Martial. l. 5. Epig. 30

Bruierin. l. 13. de re cibaria.

Galen. l. 11. de ſimpl. med. facult.

tur, ex vino potum, urinae incontinentiam cohibet. *Cor* quartanariis adligatur, pulvis ficci cum tertia parte mannae thuris epilepticis a Sexto in vino albo propinatur, ſeptem dierum ſpatio. *Pulmo* oculis dolore affectis ſuperponitur. *Hepar* coeliacis cum vino auſtero propinatur. *Fel* ſaccaro exceptum gemmas et oculorum nubeculas delet. *Coaguli* ſi ab animali, quod nondum quicquam praeter lac deguſtavit, et ad ſolem vel in fumo exſiccatum eſt, magna praeſtantia. Fluxu dyſenterico laborantibus a Dioſcoride propinatur. Spinas partibus infixas extrahit, ſi cum thuris polline, et viſco querno miſceatur. Ad punctiones ſerpentum adhibetur. Viri congreſſum et foeminae conceptionem iuvare perhibetur. Dioſcorides potum foetum necare ait. *Renes* coctos in lithiaſi Matthiolus exhibet. Inveterati et pedibus adligati podagram levant, ſi Olao Magno fides eſt. Ex *matrice* medicamentum ad foecunditatem concitandam Quercetanus parat, eadem in veſicae malis commendatur. *Carnem* in oleo frixam Albertus in dyſenteria et inteſtinorum ulceribus per clyſterem infundit. Iisdem *ſanguinem* aſſatum Dioſcorides propinat, quidam cum farina hordeacea miſcent. *Lac* mulieres foecundas reddit. *Adeps* extrahendis ſpiculis cum floribus fabarum inſervit. *Dens* adpenſus dolorem dentis mitigat. *Talus* ſeu oſſiculum illud in poſteriori ſuffragine leporis, in colica affectione funiculo ex pilis leporinis a Marcello adligatur, pulvis adverſus colicam feliciter bibitur, a Trago mulieribus ut facilius pariant, in liquore ſtillatitio pulegii propinatur, in epilepſia cum viſco querno, margaritis, corallis, et ſemine paeoniae praeſcribitur. Urinam denique in lithiaſi valide provocat. *Pellis* ceratum ad hernias ingreditur. *Pili* coercendo ſanguini undecunque mananti inprimis ex naribus confert. *Pedes* a vivo abſciſſi in dolore podagrico adplicantur. *Vrina* hydropicis cum ſpica nardi utiliter propinatur. *Stercus* a mulieribus geſtatum conceptionem impedit, ſi quibusdam credimus: ſi Matthiolo, ſubtus immiſſum nimios menſium fluxus cohibet, et humentem uterum exſiccat. *Totius* cremati pulvis, ex vino tepido, calculoſis propinatur. Ad eundem affectum Montagnana electuarium componit, eidemque lapidem iudaicum, et ſpongias in lapillis repertas addit. *Differentiae* a colore, quantitate, pinguedine eo loco ſumuntur. Ratione *coloris*, ſunt alii cyanei, alii in terris nigris fuſci, alii in rubris rutili. Oviedus in America quosdam vagari ſcribit, quorum dorſum leporini eſt coloris, reliquum corpus album, latera leucophaea. Obſervati, ut Plinius prodit, albi in Alpibus, et in ſummis Ananiae vallis montibus. Geſnerus quoque candidum vidit, cum pilis in ſummitate aurium nigris, carnemque caeteris teneriorem expertus eſt. *Magnitudinem* quod ſpectat. Elymaei vulpes corporatura adaequant. In Macedonia et Gallia trans Alpina ſunt magni, in Italia et Hiſpania minores. *Pinguiores* in Pannonia inferiore, quam Italia Manardus obſervavit. Quantum ad *odorem*, dicitur quoddam Leporis genus ita moſchum redolere, ut canes perſequentes in furorem agantur. A *loco* ſunt montani, campeſtres, paluſtres, Italici, Gallici, Hiſpanici, Indici. *Montani* a caeteris nigritia, magnitudine, ferocia, et denſiore pilo diſcrepant. *Italici*, ſecundum Varronem, ſunt primis pedibus humilioribus, dorſo pullo, et ventre albo. *Gallici*, ut plurimum candidi viſuntur, *Hiſpanici* cuniculos complectuntur. De *Indicis* ita Nierembergius: leporem *Citli* vocant Barbari novae Hiſpaniae. Similis noſtratibus eſt forma atque alimento, ſed auriculis pro corporis magnitudine longiſſimis latiſſimisque. Intexi ſolent eius pili ac indigenis veſtibus et linteis, quibus utuntur palliorum loco. Braſilienſes *Cotias* nominat animalia quaedam magnitudine et forma, et ſapore leporum, ruſo colore, parvis auribus, cauda fere nulla.

Montago. Antidot. l. 2.

Differentiae

Plin. H. N. l. 18. c. 555

Ambroſin. l. 2. De Digit. oviparc. 23.

Nierembg. Hiſt. Exot. l. 9. c. 8.

Maiores

Maiores ſunt eiusdem fere ſpeciei, quos *Pacas* vocant, roſtro tereti ad faciem felis, fuſco colore, candidis maculis interſtincto, neque carne tantum, ſed et corio ipſo praetenero, ideo in delicatiores epulas expetuntur. Amatus Luſitanus quoque tradit: animal facie et magnitudine leporis in India vagari, quod incolae tamdiu baculis caedunt, donec moriatur. Mortuum pelle nudant, et carnem ex ictibus lividam conterunt, manibusque quaſi ad paſtam redigunt, quam pellibus eiusdem animantis involutam, Moſchum nominant.

CAPUT XIV.

De Cuniculo.

Nomen. Quadrupes, quod *Cuniculum* dicimus, a cuniculis, quos ſub terra fodit et inhabitat, nomen ſortitum eſt. Ab aliis vocatur lepuſculus, ab Aeliano parvus lepus. Recentioribus Graecis eſt σύναξ, aliis δασύπους, quem Plinius a cuniculo et lepore diſtinxiſſe videtur. Strabo Geogr. l. 3. γωρύχους λαγιδας lepores foſſores nominavit, nec non λιβηρίδας, forte a voce λιβηρὶς, quae Graecis antiquis ὁ τῆς ὄφεως γῆρας, ſerpentis ſpolium. Hinc Cuniculus recens natus et adhuc impilis, *liberis*, *laberis* et *laurix* adpellatur. Hermolaus in Dioſcoridem *Adapis* nomine indigitavit, forte a vocabulo ἀδάπανος, quod rem, quae minime poteſt conſumi denotat. Foecundiſſimi enim ſunt. Erotianus λιμοπούον vocavit, quod annonae penuriam faceret. Circa *deſcriptionem* non eſt, quod laboremus. *Deſcriptio.* Notiſſimum enim eſt animal. In ſecto ſequentia Severino ſunt obſervata. *Muſculi* omnes abdominis inter duas peritonaei tunicas diſpoſiti, firme ipſis adhaerentes. Inteſtinum rectum ſatis exile. *Cor* exile, *hepar* magnum, renes magni, *lien* oblongus magnitudine reſpondens parvae hirundini, gallinacei, παρήπαρ figura cultri calcearii cum manubrio latro, medium inter latas fibras hepatis. *Ventriculus* figura parum varius a ſuillo, ſimillimus vero muris et gliris. *Cyſtis* exigua affixa hepati. *Caecum* uno palmo vulgari et amplius magnitudine reſpondens communi pollici, cellulatum et cum adpendiculo trium digitorum, aut amplius ſatis exili. Proceſſus *lumbarium vertebrarum* longiuſculi, quos intercurrunt inſignes interni muſculi. In inſula Ebuſo generari negat Plinius, at alibi plurimi reperiuntur in Germania nempe, Gallia, Italia, Mauritania, Moſcovia, Polonia, etc. Scaliger circa Moſaiſcum Moſcovitarum oppidum innumeram cuniculorum multitudinem ponit. Maximus tamen eorum in Hiſpania proventus. Balearibus inſulis, olim devoratis meſſibus non vulgarem famem attulerunt. Apud Zelandos quoque in ipſo Oceani aditu, immenſa vis cuniculorum conſpicitur, qua poſt ſolſtitium brumale tota Brabantia alitur. Veſcuntur gramine, trifolio, braſſica, lactuca, cichoreo, rapo- Carol. Stephan. Agricult. l. 9. c. 2. rum putaminibus, pomorum corticibus, et baccis lauri inprimis. Sanguine humano citiſſime pingueſcunt, ſed ab omni humiditate abhorrent. *Semeſtres* vel potius anniculi congrediuntur, et ſingulis menſibus in calidis regionibus concipiunt. Niphus a quodam eorundem altore accepit, foeminas binos et ternos enixas, poſt quatuordecim dies iterum totidem peperiſſe. In Germania tamen et Italia brumali tempore raro enituntur. Quinos et ad ſummum novenos in lucem edunt. Nonnulli in hoc animantium genere, tam marem, quam foeminam parere fabulati ſunt. Foemellae per ſpatium unius diei ſupra viginti lac catellis praebent. Si quis eos manibus pertractet indignantur, et vel deſerunt, vel laedunt, vel etiam interimunt. Mares etiam libidine ſtimulati foetus enecant, et inprimis, ſi foeminae liberis nutriendis intentae, eos refugiant.

Locus. *Victus.* *Generatio.*

Zootom. Democrit. p. 327.

Natura et Ingenium. *Naturam* et *ingenium* ſequentia detegunt. Saltu captum evadunt. Locum, ſi quid in eo periculi ſenſerint, deſerunt, migrante vero uno, reliqui quoque gregatim abeunt. Ruminare compertum eſt. Sibi invicem aliquando ita aemulationis ſtudio infeſti ſunt, ut alter alterum quandoque auribus, quandoque pedibus mutilet. Facile tamen manſuefiunt. Obſervavit Cardanus quendam, qui canes ultro perſequebatur. Terram aſſidue fodientes ſpecus multifores ſibi parant. Quare M. Varro reliquit, in Hiſpania non incelebre oppidum in loco arenoſo aedificatum adeo a cuniculis ſubrutum fuiſſe, ut incolae alio migrare coacti fuerint. Ex cuniculis nonniſi mane et veſperi egrediuntur, nec longe ab iisdem abſcedunt. Foveas, in quibus ſtabulantur, arena cooperiunt, ne a tranſeuntibus deprehendi poſſint. *Vſus.* Caro cuniculorum tenerior eſt leporina, iuniorum inprimis. Primus Hiſpanus quidam in eſcam menſis adpoſuit. Cicures in Hiſpania contemnuntur, quod nutrimenti ſaporem concipiant. Agreſtes in deliciis habentur. Durantes primo elixari iubet, poſt herbis odoriferis et pinguedine ſuilla confici. Quantum *ad medicinam*, pinguedo nervos mulcet et nonnullis urinae affectibus praeſto eſt. Adhibetur combuſtus ad curandam ſynanchen a Marcello, de quo vide *Differentiae* Ambroſinum. *Differentiae* cuniculorum a *colore*, *magnitudine*, *extis* et *loco* ſumuntur. *Coloris* ratione ſunt albi, nigri, flavi, cinerei, variegati, candidis, nigris, vel rutilis maculis ſtellati. *Magnitudo* ſi ſpectetur, vidit Valerianus Veronae apud circulatorem noſtris quadruplo maiores et mira corporis obeſitate. In Betica Plinius geminis extis eſſe putat. *Nieremb. H.E.l.9 c.8.* Quantum *ad locum* ſunt animalia quaedam in India Utiae dicta, magnis ſoricibus ſimilia et cuniculis aemula. An a Thracicis et Macedonicis cuniculis differant, quas Scaliger leporino pilo, brevioribus auriculis, corpore craſſo et compacto, cauda longa et ad ſciurinam accedente deſcripſit, iudicandum lectori relinquo. Alii mures Pharaonis, quidam Indicos lepores vocant. Ex Indicis cuniculis ſunt etiam illi, quos *porcellos Indicos* nominamus. Magnitudine ſunt cuniculi noſtratis, ſed cruribus brevioribus, cum digitis ſenis in pedibus anterioribus et quinis in poſterioribus. Dentes iis, ut in muribus, cauda nulla, roſtrum acutum, aures parvae et rotundae et ſetis potius, quam pilis veſtiuntur. Vox nonnihil ad grunnitum porcellorum accedit. Veſcuntur omni herbarum genere, fructibus, pane et avena. Multorum ſaepe menſium ſpatio ſine aqua aluntur. Foemellis ſeptenis vel novenis mas unus ſufficit. Ritu cuniculorum ſuperfoetant. Hieme quoque catulos non caecos ante ſexageſimum diem enituntur. Duo mares praeſente foemina praeliantur. Adiecimus et alterius cuniculi Indici iconem. Nieremb. Hiſt. Exot. l. 9. c. 7. Nierembergius novem cuniculorum Indicorum ſpecies facit. Prior, inquit, eſt *Pactli*, ſeu Hiſpanicus, ſi in pinguibus verſetur agris, non minus iucundam praeſtat, quam apud Hiſpanos alimoniam. Secundus eſt *Eliztactotli*, ſeu candens pectus. Tertius *Cuitlatepotli*, ſeu brevis caudae. Quartus pertinet ad Peruinos vocatur *Tocanthoctli*, talpae Mexicanae, quam Tucam vocant, figura. Quintus *Quauhtochtli*. Sextus *Metochtli*. Septimus *Cacatochtli*. Octavus *Cuitlatepotli* alter. Ultimus vero ac nonus a rubeo fulvoque colore, quo variat, nuncupatur *Hapaztochli*. Omnes forma nonnihil inter ſe diſtant, ideo diverſis adpellantur nominibus. Nutrimentum noſtratium alimento eſt inſuavius ac durius. Haec ex manuſcriptis Doctoris Franciſci Hornandi. Lubet adiicere alterius manuſcripti ſententiam de cuniculis Hiſpaniolae. Erant inquit Anonymus auctor cuniculi forma et cauda marina, licet aliquantulum minores, quam Caſtellani cuniculi. Caro idonea et iucunda. Degunt inter herbas et in montibus non ſub terra. Quatuor eorum ſpecies, quidam Quemi dicti, in maiores et duriores, alii Utiae, alii Mohlas,

alii

alii curies, hi parvuli, delicatiores et ſalubriores. Huc pertinent *Viscachae*, cuniculi genus, quod feles imitetur prolixitate caudae. Amant nives, quos ibi etiam inquirit gula. Pilus olim gratus, in pretio et uſu.

Nieremb. Hiſt. Exot. l. 9. c. 9.

CAPUT XV.

De Sciuro.

Primus, qui hoc animalculum Sciurum vocavit, Oppianus eſt, qui Antonini Caeſaris temporibus vixit. Nomen videtur a σκιὰ, id eſt, umbra, et οὐρὰ cauda, quod ſibi cauda umbram faciat, ſortitum. Dicitur et ἱππουρος καὶ καμψίουρος, forte ἀπὸ τοῦ κάμπτειν flectendo, quod clunibus inſidens caudam ſupra dorſum flectat. Quidam ἐλεὸν nominavere, quod nomen gliri proprie competit. Latini communiter vocant Sciurum, quidam *Nitelam*, ut in Gloſſographo vetere extat, a nitendo, quod in ſcandendis arboribus nitatur: Vincentius *Pirolum*, Albertus etiam *Spiriolum*, Belluacenſis *Scurulum* a currendo. Ex murium eſt genere. *Dentes* inferiores longiores habent, et caecum inteſtinum, quod ventriculo magnitudine reſpondet. Ubique fere reperiuntur, maxime tamen in tractu Septentrionali, ubi colore pulcriores ſunt. Pomis, caſtaneis, nucibus avellanis, faginis, pineis, glandibus etiam veſcuntur, et tempore aeſtivo cibos pro hieme in cavernis condunt. Tempore verno coeunt, et inter altiſſimos arborum ramos ex bacillis et foliis arborum nidos ſibi conſtruunt. Catuli poſt tertium vel quartum diem nidum deſerere dicuntur. Tres vel quatuor ſimul pariunt. *Naturam* et *ingenium* in eo oſtendunt, quod inſtinctu quodam naturali priorum pedum miniſterio pro manibus utuntur, quod aliquando ita cicurantur, ut ſcurriliter ganniant, quod dum gradiuntur, caudam poſt ſe trahunt, ſedentes ſupra dorſum eandem erigunt, et in ſaliendo ab eadem tanquam ab ala adiuvantur, quod in ſolis ardoribus ſe eadem inumbrant, quod amnes tranaturi, cortice conſcenſo, eadem pro velo utuntur, quod denique tempeſtate praeviſa, obturatis unde ſpiraturus eſt ventus cavernis, ex altera parte fores aperiunt. Adparantur a quibusdam in cibis, apud Velleios populos inter lautitias cenſentur. Adeps emollit, et in aurium dolore mirum in modum a Galeno commendatur. Dentibus praeſtigiatores in praedicendis futuris utuntur. *Differentias* a colore et loco mutuari placet. *Colorem* ſi ſpectes, in Germania intra primum aetatis annum nigri ſunt, cum adolevere rubent. In Polonia leucophaeum colorem cum rutilo admixtum habent. In Ruſſia cinerei toti conſpiciuntur. In Podolia tradente Cromero, vagantur animalia ſciurorum magnitudine, quae in cavernis degentia, variis et maculoſis pellibus inſigniuntur. Quantum ad *loca*, ſunt Sciuri, qui Mures Pontici et a colore varii dicuntur, ſunt Getuli, et Indici. *Mus Ponticus* a Ponto ita dicitur Ariſtoteli et Plinio, quod ex regionibus circa Pontum olim ad uſum et veſtitum peteretur. Matthiolus videtur *Murum Laſſicum* nuncupare, alii Venetum vocant, Poloni Popieliza. Eſt in candido cinereus, nec adeo amplam caudam ac ſciurus vulgaris gerit. Eiusdem cum ſciuro naturae. Tempore hiberno profundo ſomno opprimitur. Sunt alii in dorſo magis cinerei, alii magis rutili. *Getulus* mixti eſt coloris ex rufo et nigro, ab armis ad caudam per latera et dorſum, albae et fuſcae lineae alternatim certis diſtinctae intervallis elegantiſſime depingunt. Minor eſt paullo vulgari ſciuro et aures habet demiſſas, capiti fere aequales, orbiculares, et per cutis ſuperficiem deductas, in longum caput ranae capiti adſimilatur. *Indicorum* ſunt quinque vel ſex ſpecies, de quibus ita Nierembergius: prior Quauhtechallotl ſpecies dicitur *Tliltic* ſive *Tlilocoteqvillin*,

Ambroſin. de Digit. Vivip. l. 2. c. 26.

Nomen.

Deſcriptio.

Locus.

Cibus.

Generatio.

Natura.

Vſus.

Bruier. l. 13. de re cibar. c. 29.

Differentiae.

Ambroſin. Hiſt. Digitat. Vivip. l. 2. c. 27.

Nieremb. H. E. l. 9. c. 34.

lin, cognomine ſumto a corporis et caudae colore, nempe nigro, et a pinubus, quas incolit. Veſcitur pomis, quae ex arboribus decerpit, in earundem cavitatibus reconditis ſervatisque in hiemales alimonias, ubi etiam ſobolem educat, et nihil non abrodit. Verſutus eſt, paſſerum voces ſonat, et caudam, qua ſe totum aperit, lanigeram geſtat. Miteſcit facili opera, et quibuslibet alitur nutrimentis. Dum comedit, poſterioribus inſiſtit pedibus, ac ori cibos admovet prioribus, attollens maiori ex parte caudam, aut corpus eadem, niſi in curſu tegens, tunc enim protendit illam. Iratus eiusdem pilos erigit. Adiunguntur eorum pelles internis veſtium partibus, caloris conciliandi atque ornamenti gratia, fugata ad eum modum hiemalis rigoris ſaevitia. Secundus *Quauhtechallotl*, *Quapachtli* aut *Cortic-Oloteqvilin*, a luteo alvi colore dictus, in duplam fere creſcit magnitudinem, alboque, nigro et fuſco colore promiſcue tegitur, ſi ventrem excipias, qui pallens eſt, aut fulvus, quemadmodum attigimus, et caudam gerit praelongam piloſamque, qua ſe interdum operit. Vivit in terrae foraminibus et antris incluſus, in quibus etiam educat prolem. Veſcitur Indico frumento, quod ab arvis raptum in hiemem recondit. Verſutus eſt velut et reliqui, nec unquam cicuratur, aut congenitam deponit feritatem. Tertius *Techallotl* dictus, caudam fere depilem geſtat, ac breviorem, nec dodrantem vincit longitudine. Non cicuratur, ſed ſemper mordet atrociter, et corrodit oblata omnia. Fuſco et candenti colore promiſcue tingitur, et poſterioribus quoque innixus pedibus, oblatam edit alimoniam, ſed praecipue maizii ſpicas adprehenſas anterioribus. Oculi ſunt magni, ſi illos cum caeteris partibus conferas. Vivit in antris, quae unguibus facile excavat, conſternitque lana, goſſypiove et quovis alio ſtramento molli, ac paſſeres voce imitatur. Quartus *Thalmototli* dictus, ſpithameus eſt, caputque et oculos habet pro corporis amplitudine maxima, caudam vero longam piloſamve, et lineis albis, fuſcis ac nigris interſtinctam, qua ſe eodem, quo alii modo tegit. Color totius corporis varius eſt, et aliquando in fulvum inclinans, caetera praecedentibus ſimilis. Quintus dictus *Quimichpatlan*, ſeu mus volans, fuſco pilo nigroque promiſcue tegitur, qui prope brachia ac crura prolixior eſt, ac parvarum volucrum forma, cuius gratia tanta celeritate in has et illas arbores ſeſe vibrat, ut volare dicatur. Eſt autem caeteris minor, parvo et murino capite, magnis auriculis, nec alia, quam caeterae horum animalium differentiae utitur alimonia. Caudam eius uſtam ac redactam in pulverem, et in corpus ſumtum, aiunt parientes iuvare. Eſt et aliud genus *Tztactechalotl* vocatum, caeteris forma ſimile, prolixitateque et lanuginoſa cauda, capite, collo et clunibus deſuper fulvis, cauda per alterna intervalla cyanea, ſubalbidaque, ſed fulvis diſtincta lineis, caetero corpore ſubalbido, unde nomen habuit.

CAPUT XVI.

De Glire.

Ambroſin. Hiſt. Digit. l. 2. c. 29. *Nomen.*

Glirem a pinguedine nuncupatum putavit Iſidorus. Gliſcere enim, creſcere et pingueſcere ſignificat. Tota is hieme in cavernis degit et pingueſcit. Graecis dicitur γλαὺς, quod antiquioribus addito gamma, γήλαιος, unde forte glis. Vocatur ita, ſeu ab ἴλη, quoniam in ſilvis et locis apricis degit, ſeu ab εἰλέω quod in arborum foraminibus per integram hiemem circumvolutus et ſoporatus maneat. Alii λαγώιον quaſi lepo-

Glires . Ratten .

Mures .
Meuse .

Sciurus .
Eichhorn .

Mus avellanarius .
Haſelmaus .

Nulmaus .

Talpa . Molckworff .

Mus araneus .
Spitzmaus .

M. Noricus .
Groſſe Haſelmaus Zyſſelmaus .

Tal-68-55. 137

Mus alpinus. Marmota
Murmelthier.

Sciurus Getulus

Glis Aldr.

Mus Indicus

Ichneumon s. lutra
Ægypti.

Mus Muscatulus



leporem dormientem vocaverunt, quidam μυοξον, quasi rictum in comparatione ad alios mures magis acutum habeat. Est rostro, ut dixi oblongiori, acutioribus auriculis, cauda non aeque villosa, ventre medio magis protuberante, quam in sciuro, latere et tergo cinerei prorsus coloris, quamvis subrufi aliquando in ventre capiantur. Non tantum in silvis, sed et sub tectis rusticis stabulantur. In Hibernia non haberi proditur vulgo, nec alibi in illis aedificiis, quae ex lignis Hibernicis structae sunt, quod me, falsum experientia docuit. In montibus conterminis Goricienſi agro, et in Alpibus Carniolae, Carinthiae, et Styria, maxima illorum foetura. Vescuntur glande fagina, nucibus regiis, pomis, et aliis. Poma tamen edere quidam negant, aperire duntaxat, ut nucleis fruantur. Quantum ad *naturam* et *ingenium*, hieme in cavis arborum stertendo pinguescunt, et tam altum trahunt somnum, ut igne vix revocari possint, immo dissecti tanquam mortui iaceant, nec citius membra moveantur, quam in aquam ferventem coniecta fuerint. Aestivo tempore congrediuntur, et autumno suos foetus edunt. Parentes senio confectos insigni pietate nutriunt. Murium ritu, aedes ruinosas, trimestri etiam spatio, antequam collabantur, deserunt, quod earum compagem sensim dissolvi praesentiant, Senectus hiberna quiete finit, cum tantummodo sextum aetatis annum excedant. Omnes aliquando eiusdem silvae congregantur, et si aliqui monte vel flumine discreti ad eos accedunt, praeliantur invicem. Aliquid venenati habere, constans auctorum opinio, vulgatumque in cauda illud haerere, urinamque super partem aspersam, illam usque ad ossa putrefacere, vulnusque insanabile reddere. Epiphanius foetus a vipera excaecari, et nutriri, sic venenatos reddi, scribit. Q. Scaurus primus in sumtuosis coenis carnem glirium adponi iussit. Apud Romanos in lautitiis habebantur, hinc et gliriariorum constructio. Optimi a mense Octobri ad Ianuarium censentur, quod tum valde pingues sint. Durantes iuniores in cibis commendat. In *medicina*, invenit quoque locum. Carnis esu bulimo laborantes liberantur. Pinguedo ad conciliandum somnum plantis pedum inungitur. Excrementa in liquore aliquo pota calculos discutiunt: eadem cum aceto et rore marino alopeciam sanant. Cinis combusti ad claritatem oculorum prodest, si Plinio credimus. Sunt aliquot eorundem *genera*. Est Bruierino referente, apud Allobroges, Sabaudos, et agro Tarantesio animal, quod saxa rupesque incolit, magnamque anni partem dormiendo consumit, in cibis gratissimum. In Orientalis Indiae tractu quodam sunt Nefrendis magnitudine, qui domos subruunt, et muros perfodiunt. Ibidem sunt alii pilo rubicundo, odorem moschi spirantes. In Chiapa est animalculum, cuniculi magnitudine, gliris forma: prolem dorso vehit, cum victum quaeritat.

Descriptio

Locus.

Cibus.

Natura et Ingenium. Aristot. H. A. l. 8. c. 17.

Vsus.

Differentiae.

Nieremb. H. E. l. 9 c. 75.

CAPUT XVII.

De Muribus.

ARTICULUS I.

De Muribus domesticis.

Ambrosin. Hist. Digitat. Vivip. l. 2. c. 30.

Mures in Domesticos, Agrestes, Avellanarum, Araneos, Alpinos, et Aquatiles dispescimus. *Domesticus*, Latinis Mus, Ratus et Sorex dicitur. *Mus*, a Graeco μῦς descendit. *Ratus* maioris nomen est,

Nomen.

eſt, a rependo vel rapiendo Graecis nuperis ῥίσκος. *Sorex* vel a ſono, quem in rodendo edit, vel quod in modum ſerrae res praecidat, aut quod ex putri ut plurimum materia naſcatur. Σορὸν enim apud Graecos putridum ſignificat. Apud Graecos plurima occurrunt nomina. Μῦς, unde mus, dicitur communiter. Scholiaſtae Nicandri lingua Aeolica ὕραξ, quoniam roſtrum ſuillo perquam ſimile habet. Σμίνθες Heſychio et Varino. Ἄργιλος Thracibus, *Deſcriptio* λαμὰς aliis. *Deſcriptione* externarum partium non opus eſt aliqua. Ariſtot. H. A. l. 3 c. 1. Plin. H. N. l. 11. c. 37. Ariſtoteles et Plinius quantum ad interiora cor maximum habere, felle aliquando carere retulerunt. Alibi apud eundem habemus, in ſolis cornutis animalibus, altera tantum parte dentatis, quibus daſypodes, veſpertiliones, et mures utrinque dentati adduntur, ineſſe uterum acetabula habentem, et potiſſimum tempore, quo foetus in utero continetur, a quibus per media vaſa pendet embryo. In iisdem a M. Severin. Zootomiae Democrit. p. 323. Aurelio Severino ſequentia obſervata ſunt. *Auricula cordis* dextra longe maior eſt ſiniſtra, inquit, et illa nigra velut cruor. Ad orificium ventriculi ſuperius proceſſus quidam circularis revolutus in ſeipſum, parte qua ventriculum reſpicit, ſimilitudinem habens avis, qui collum et caput in pectus reflectit et condit. *Vena cava*, ubi primum ab epate exſurgit, amplo ſuo initio, mox vero exilior et perpetuo aequalis aſcendit. Caecum habet inteſtinum, figuram habens ventriculi ſuilli, magnitudinem et circumferentiam paullo minorem. *Teſtes* habet non minores pullo vel grandiuſculo omnino, aut magno ad corporis rationem. Credo etiam, addit, epididymida deſcendere inferius, quam ipſi conditi teſtes, eſtque dexter venoſior, quam ſiniſter. *Ren* dexter vicinior cavae, quam ſiniſter. *Veretrum*, qua proxime terminatur, cartilagineum et trifido acumine compoſitum, ni fallor reliquum duobus nervis. Glanduloſas habet proſtatas ad veſicae cervicem inſignes. Diaphragma media ſui parte pellucidum, oblongum et rotundum. Teſtium ſyſtema ibidem vide. Diſſecuit idem aliquando et murem praegnantem. In eo uteri cornu dextrum quatuor foetus continebat, in ſiniſtra duo, ſua unicuique placenta rotunda ante umbilicum diſpoſita contectaque. *Locus.* In Paro inſula nullas eſſe ſcripſere quidam, in Scotia circa caſtellum Slani, maior ſi importetur interit, ſi Hectori Boetio credimus. In Peruana quoque olim, nulli ex Hiſpania cum mercibus delati ſunt. *Cibus.* Frumento, leguminibus, pane et carnibus veſcuntur, ſaepe caepas et allia deguſtant, ex pluribus caſeis optimum. Sorbent quoque vinum, et lambunt oleum. Fame impulſi, in ſeipſos ſaeviunt. Foeminae ſaepe ſolo ſalis lincta implentur. Ideo Plinius generationem eorum lambendo conſtare dixit, non coitu. Coire tamen certum, et unico partu, plures catulos eniti. Ex una genitos CXX. tradiderunt, apud Perſas vero praegnantes et in utero parentis repertas. Generantur et ex domorum ac navium ſordibus. Hinc legimus in India Orientali vermes quosdam inſtar digiti craſſos, ex putri materia in arundinibus naſci, quorum alii paullo poſt in papiliones, alii in mures degenerant. In nonnullis quoque Ioniae civitatibus, ob Maeandri fluminis inundationem, tanta copia murium teſte Pauſania orta eſt, ut incolae alio migrare coacti fuerint. Ex putri natos non generare, et ſi generant, vim prolificam in filiis ceſſare, Cardanus prodidit. *Vocem* Homerus per ἐξολολύζειν expreſſit. *Antipathiam* exercent cum elaterio, ſcilla, colocynthide, muſtela, accipitre, felibus, etc. *Sympathiam*, cum maiorana ad cuius radicem in morbo confugiunt et cum ſuibus. Muris enim iecore in ficu ſuibus dato, nullo edito grunnitu porrigentem ſequuntur, huiusque experimenti periculum Pierius Valerianus Patavii fecit. De *natura* et *moribus* haec pauca occurrunt. Acris, nempe,

Generatio. Plin. H. N. l. 10 c. 65. Aelian. H. A. l. 6. c. 37.

Antipathia et Sympathia

Naturae Mores.

nempe eſſe auditus, et lumen noctu odio habere, quod oculorum aciem perſtringat, in officinis aurariis et ferrariis micas metallorum devorare et ſine dubio concoquere. Theophraſtus apud Plinium auctor eſt, in Gyaro inſula cum incolas fugaſſent, ferrum quoque roſiſſe eos, id quod natura quadam et ad chalybas facere in officinis ferrariis. Aurariis quidem in metallis, ab hoc alvos eorum excidi, ſemperque futurum id deprehendi. Urina alicui parti aſperſa eandem erodit, ſi Arnoldo credimus. Plures in aquam delabentes, mutuas inter ſe caudas mutuo tenent, ut uno exeunte omnes evadant. Albertus in inferioris Germaniae partibus murem ſe conſpicatum tradit, qui nutu ſui magiſtri candelam tenendo lumen miniſtrabat. *Differentias* magnitudo, color, pilus, odor et locus ſuppeditant. *Magnitudinis* ſi habeatur ratio, Ariſtoteles mures in Arabia ſoricibus longe maiores ſcripſit. Vitriacus in Orintis partibus vulpibus pares. Americus in inſula quadam maximos invenit. Quantum ad *colorem* aſinini ſunt plerique, ſunt tamen et cinerei, alii etiam nigricant, alii ex fuſco ad rufum tendunt. Vidit Geſnerus albiſſimum in Germania menſe Aprili captum rubicundis et prominentibus oculis, barba multis et oblongis pilis hirſuta. Vidit et Scaliger alium oculis igneis et candore inſignem. Albertus quosdam albos, eosque ſalaciſſimos et, in quorum excrementis albi lapilli inveniantur, reperiri ſcribit. Si *pilos* attendamus, molliores alii habent, duriores alii et ſetarum inſtar. Plinius in Cyrenaica regione, Aelianus apud Aegyptios pilis erinaceorum acutis indutos inveniri produnt. Apud Herodotum, ἐχῖνες, genus quoddam murium leguntur. Si *odorem*, iucundi odoris a quibusdam excrementa deponi Ruellius auctor eſt. Eſt et in Italia genus quoddam, quod Moſchardinum dicitur. *Rationem loci* ſi ſpectes, vidit Bellonius, hyoſcyami ſemine tantummodo victitantem, dorſo cinereo, ventre candido, corpore oblongo, cauda prolixa et ore mucronato. Apud Scholiaſten Ariſtophanis ſunt σκάλοπες dicti. In Cappadocia apud Varinum quoddam genus μυέξις vocatur.

in. H.N. l. c. 57.

Scalig. Exerc. 59.

Aelian. H. A. l. 15. c. 26.

Ruell. H. Plantar. l. 4.

Differentiae.

Ariſtot. H. l. 8. c. 28.

ARTICULUS II.

De Muribus Aquaticis.

Ambroſin. de Diit. Vivip. l. c. 31.

Nomen.

Mures ſilveſtres ruſticam vitam ducunt. Servius Nitedulas, Marcellus mures ſubterraneos nominare videtur, quod terram pedibus fodiendo cuniculos ſibi faciant. Graeci ἀγρωσίους ſi per culta vagantur, ἀγρίους ſi per nemora, vocant. Nullibi eorum maior copia, quam in Aegypto. Iuxta Thebaidem poſt Nili inundationem ſole humum calefaciente, variis in locis ex terrae hiatu innumeri prodeunt. Bellonius inter Gazara et Belba tantam multitudinem vagari ſcribit, ut niſi ab avibus Perenopteris devorarentur, omne ſeminum genus abligurirent. Vorant lupulorum, paſtinacae, et omnium leguminum radices. Cinarae maxime expetunt An. MCCLXXI. adeo depopulati fuere frumenta, ut magna exinde annonae caritas ſubſecuta fuerit. In Boreali regione ſub nivibus latitantes vermibus, Cardano prodente veſcuntur. Gignuntur in quibusdam locis poſt repentinos imbres, aut fluminis inundationem. Muris pars anterior conſpicitur formata, poſteriore informi. Aliquando et ex ſemine propagantur. Ex Ariſtotele habemus, accidiſſe, ut, cum agricolae pridie metendum ſtatuerint, poſtridie totam ſegetem a muribus conſumtam invenirent. Caleni vidimus, inquit Niphus, quod unica nocte totum campum ſegetibus maturis refertum mures agreſtes abſumſerint.

Aelian. H. A. l. 6. c. 21

Locus.

Cardan. de rer. variet. Generatio.

Cibus.

In

In Cantabria quidam accepta mercede mures venabantur. Aeoli et Troiani, murium agreſtium abundantia vexati, Sminthio Apollini ſacrificarunt. Aliquando ex cuniculis egredi, eosdem ſub terrae ſuperficie ſtruere, et bipalio apertos mox reparare, laeſos, ad chondrillam confugere naturae ipſorum eſt. Reducuntur ad eos plurimi, inprimis autem *mus avellanarum*, *araneus*, *alpinus*, *aquaticus*, et *coyopollin Nierembergii*. Nam de ſoricibus, qui caudam in extremo villoſam gerunt, et praeter alios ſtridet, nec non beſtiola Olao *Leem* dicta, quae per repentinos imbres de coelo decidit, et donec herbam renatam guſtaverit, vivit, nec non mure Napelli, quem napello vivere Matthiolus ſcribit, non eſt, quod dicam. *Mus avellanarum*, qui aliquibus Plinii ſorex eſt, aliquibus mus corylinus, duplex eſt, *maior* nempe, et *minor*. Illum Geſnerus vivum aliquot dierum ſpatio nutrivit, et refert, forma et magnitudine ratto adſimilari, colorem murinum per tergum et per latera magis rufum, praeſertim vero in capite habere, auriculis magnis glabris, et ventre candido praeditum eſſe, pedibus eſſe rubicundis, cauda tota hirſuta, oculis maiuſculis eminentibus nigerrimis, barba partim alba, partim nigra, ab eo denique animali domeſticorum odorem emanare. *Minorem* Albertus rubicundi coloris eſſe ſcribit. Eſtque vel *odoratus* rarior, Muſchardinus Italis, vel inodorus frequentior. Quidam *Luciolum* nuncupant, quod illius oculi maxime lucidi eſſe videantur. Valde eſt muri araneo ſimilis, nec forte a mure peregrino Hieronymi diſcrepat. Nidificat inter ramos coryli, vel Eupatorii Avicennae Cannabinae nuncupati. Nidi forma ab Ambroſino exhibetur. Tam cavernas arborum, quam terrae latibula incolit, inque iis nucibus avellanis veſcitur. Quidam a fine autumni ad initium veris dormire, et quidem continuo ſcribunt, alii et ex his qui nutrivere, interpolato ſomno corripi. *Mus araneus* a figura nomen muris, ab agilitate, ſuper tenſum filum, vel aciem gladii impune ambulare poteſt aranei accepit, ſi Sipontino credimus, ſi Geſnero, a venefica facultate, ut piſcis quidam araneus vocatur. Graecis eſt μυγάλη vel μυγαλή. Muſtela eum multo minorem, colore ad cinereum declinante, et dentibus tenuibus Aetius praedicat, brevem et gracilem caudam Albertus, roſtrum vero longum et acutum Matthiolus ei attribuunt. Oculos in comparatione ad totum corpus tam puſillos habet, ut Plinius eum obtuſa acie praeditum crediderit, et Nicander μυγαλέην τυφλὴν, Vegetius murem caecum adpellaverit. Colore eſt partim fuſco, partim rufo cum albo ventre. Roſtrum habet porcinum pilis refertum; caudam in comparatione ad alios mures duplo minorem. Dentes Ambroſinus ita deſcribit: dentes inquit, quos in illo mure conſpeximus, anteriores in utraque mandibula duo erant exerti, inter maxillares nullus locus extabat vacuus, ſed omnes continuati, maxilla unicum tantum habebat punctum longiuſculum. Secundus omnium minimus tria habebat puncta, adeo exigua, ut viſum omnino effugerent. Subſequebantur maxillares quatuor, quorum priores tres maiores dividebantur in tria puncta, quarti vero punctum adeo perexiguum erat, ut difficulter videretur, quatuor tamen aſperitatibus aliquantulum eminentibus inſigniebatur. In oris parte inferiori, praeter quatuor dictos, caeteri ſunt ſine ullo ſpatio continuati. Quocirca omnes numerum vigeſimum quartum explebant. Ultra Apenninum non haberi atteſtatur Plinius, at ſecundum Matthiolum in univerſa Italia, et praecipue in Tridentino agro, Germania quoque habentur. Hieme in ſtabulis verſantur, aeſtate hortos et loca fimo bubulo repleta frequentant. Veſcuntur herbarum radicibns, ſed carduos praecipue eſculentos, magno agricolarum detrimento devorant.

Differentiae.

Ambroſin. Hiſt. Digitat. Vivip. l. 2. c. 32.

Geſne-

Geſnerus cadaveribus quoque veſci audivit. Veneno in agro Tridentino carere Matthiolus prodidit, ab orbitis rotarum maxime abhorrere Barbarus. Acutiſſimam in comparatione aliorum murium habet vocem, ſed quia hallucinantis viſus ſegnis. Morſum ipſius venenatum eſſe vel exinde colligas, quod a fele captus, non comedatur. Praegnantis, praegnanti maius parit incommodum. *Mus Alpinus* a loco in quo degit, nomen accepit. Hermolaus Marmotam vocat. Nonnulli Graeci ἀρκτομῦν, ob ſimilitudinem, quam cum mure et urſo gerit. Albertus ad eum Empetram refert, ſed quid hoc animalis ſit, hodie ignoratur. Capite leporem refert, magnitudine cuniculum, auresque tam breves habet, ut vix ſupra pilos emineant, vario oblongoque pilo inſtar taxi veſtitur. Caudam habet brevem, pedes unguibus acutis armatos, quibus alte terram effodit. Hieme quandoque ita pingueſcit, ut monſtroſe intumeſcat. Nonnulli addunt, dentes eius anteriores eſſe leporinos, et ſi forcipibus ſecentur, una nocte renaſci. De *Interioribus* obſervationes Severini hae ſunt. Teſtes aliquantulum ſuperiores. Caecum peramplum ventriculi modo, interne aſperum et reticulatum, in quo vulva inſignis introrſum externe. Hepar multifidum ſeptenis lobis diſtinctum, quorum maior vergit ad ſiniſtram partem, reliqui ad dextram, omnes a ſe invicem diſtincti. Cyſtis fellis cholidochi valvula ad duodenum. Splen longus hirundinis maioris modo. Ureteres non recto ductu deſcendentes a renibus, ſed dorſo haerentes et exigui. Frequentiſſimi in Annanienſibus Tridentini ſoli montibus conſpiciuntur. In nivoſis quoque et frigidioribus Germaniae partibus verſantur. Veſcuntur fructibus, lacte inprimis, quod more porcellorum ſugunt. Ideo ſaepe in paſtorum caſis deprehenduntur. Cicurati edunt pulmentum, panem, piſces et alia quae illis obiiciuntur. Circa feſtum Nativitatis Dominicae terra effoſſa dorminentes deprehenduntur, nec citius expergiſcuntur, quam a ſolis vel ignis calore reſoluti. Levem ob cauſam metu conſternantur, indignabundi, argutam, ſibilantis fiſtulae inſtar, vocem edunt, vel aeris mutationem praenunciant. Odore ſunt tam gravi, ut vix aeſtate perferri poſſit. Nec deeſt ipſis ingenium. Appropinquante hieme foenum et paleas in latibula convehunt. Unus ſtratus humi foeno oneratur, alii cauda onuſtum in cryptam pertrahunt. Duo foramina in uno quoque latibulo parare ſolemne ipſis eſt, per quae in unum locum tendunt, et iuxta unum excrementa deponunt, et per aliud in cryptam ingrediuntur. Adventante frigore meatum ingreſſus claudunt, exaſperato, aliud adeo obturant, ut ne bipalio quidem penetrari poſſit. Circa finem Septembris in cryptam ingreſſi, conglobati, ſeptem pauciores vel plures, ſed impari plerumque numero, ſuper ſtramine ad vernum usque tempus ſtertunt. Reliquis egreſſis, cryptae cuſtos adſiſtit, et ex alto ſpeculatur. Si quid obſervaverit, voce acutiſſima monet. Sic ad cryptam concurrunt, ipſe ultimus ingreditur. Sereno duntaxat coelo colludunt, obmurmurant, et aliquando obſervante Stumpfio, canicularum inſtar latrant. Cicures dentibus pediculos hominis, ſimiae inſtar venantur. Veniunt apud Alpium incolas in cibum, inprimis circa hiemis initia. Aſſantur, coquuntur in iure nigro, et ſale inſperſi infumantur. Puerperis etiam conceduntur. Pinguedo nervos contractos emollit, et illita umbilico ſomnum conciliat. Ventriculus colica laborantibus utiliter imponitur. *Muris aquatici* meminit Ariſtoteles in Mirabilium libro. Bellonius ipſi tres meatus adſignat, unum pro fecibus, alterum pro urina, tertium pro foetu. Si Cluſium ſequimur, magnitudine ad talpam accedit. Coloris eſt fuſci praeter ventrem, qui pilis ex albo cinereis veſtitur. Villis tegitur denſis et mollibus. Caput pro ratione reliqui corporis eſt parvum, pars ſuperior

Ambroſin. Hiſt. de Digitat. Vivip. l. 2. c. 34.

Aurel. Sev. Zootom. Democrit. p. 325.

Ambroſin. l. d. c. 35.

Bellon. Adquatil. l. 1.

Cluſius in Aud. Exotic.

perior roſtri prominula. Dentes quatuor, in utraque maxilla bini, ſed in inferiore minores et obtuſi. Oculi vix conſpicui. Rictus latera longis cinereis villis obſita. Cauda rariſſimos pilos habet, et oſſeo quodam nervo mediam ſecundum longitudinem ſecat. Poſteriores pedes anterioribus ſunt longiores et magis plani, et membrana quadam, prout in palmipedibus cernitur, contegunturtur. Ad Strymonem et Nilum frequentiſſimi ſunt, et ſerenis noctibus vagantur. Geſnerus in parvulis rivis verſari ſcribit. Ariſtoteles Luſis Arcadiae in fonte quodam. Veſcuntur plantis aquaticis, frugibus, et piſcibus. A Magis olim Zoroaſtrem ſecutis mal. Daemonis eſſe putabantur, ſi modo de muribus iſtis et non teſtudinibus id ſumendum eſt. In nonnullis Galliae locis in cibo adhiberi, proditum a quibusdam. De *Coyopollin* ita Nierembergius. Vocant Indi Coyopollin parvum animal, muris mediocris magnitudine, aut paullo maius, cauda vero auriculis et roſtro Tlacuatzin ſimile, nam cauda et pro manibus utitur, et natus matrem cum metuit, ſtringit amplexu. Cauda eſt craſſior murina, firmiorque, venter ex albo palleſcit, auriculae ſunt translucidae, pedes et crura candida. Educat in arboribus ſobolem. Poſſet ad genera Tlacuatzin referri, niſi alicui praeplaceat pertinere ad mures, aut eſſe ſui generis. Invenitur in montibus tepoplanicis. Caeterum crocodilis quoque cauda pro manu eſt, illa nimirum arripiunt praedam, belluas, homines.

Nieremb. H.E.l.9. c.3.

Plutarch. Sympoſ.4. quaeſt. ult.

CAPUT XVIII.

De Talpa.

Ambroſin. De Digit.Vivip. l.2 c. 36.

Nomen.

NOmen Talpae huic animali, quod deſcripturi ſumus Latini indidere, ſeu a Graeco θάπτω inhumo, quod aſſidua terrae effoſſione ſeipſam quaſi inhumare videatur, ſeu quod caecum ſit, quod Graeci τυφλὸν vocant, ſeu quod ſe perpetuo θαλπῇ, id eſt foveat, ſub terra, ſeu a Chaldaico טלפ findere, quod terram findat. Graecis dicitur σπάλαξ et ἀσπάλαξ, παρὰ τὸ σπᾶν, quod terram unguibus aſſidue vellicet: Nicocli σκάλοψ: Varino σιφνὺς, quod terram fodiendo evacuet, σίφνον terram, et σιφνίειν Varinus interpretatur. Volaterranus, et alii nuperi auctores Graece blactam, ἀπὸ τοῦ βλάπτειν, id eſt a nocendo vocant, ſed perperam.

Deſcriptio.

Deſcriptionem quod attinet, Scaliger muri non valde ſimilem ſcripſit. *Corpore* latiore et depreſſiore, *pedibus* quodammodo urſinis, cruribus breviſſimis, *capite* bufonino. Albertus quinque digitos in *pedibus* anterioribus, quatuor in poſterioribus habere ſcripſit: Geſnerus, quintum ita introrſum ſpectare, ut minus curioſe ſpectanti occultetur, reliquit. Palma anteriorum pedum lata et manui ſimilis, *collum* inter crura anteriora breviſſimum et prope nullum, *pili* breves, denſi, et in nigredine ſplendentes. *Interna* et *Anatomica* ſi ſpectes, *dentibus* binis et anterius coniunctis caret, ſed inſtar canis et muſtelae utrinque ad latera ſingulos eminentiores habet. *Pulmones* cum multis fibris ſeparatis, nullo inter ſe communi principio cohaerentibus, una cum corde, verſus inferiorem ventrem ſiti ſunt. *Crura* anteriora ex duobus conſtant oſſibus, quae in os humeri inſeruntur. Sic fortius beſtia haec fodit, poſteriora crura habent os, quod paullo infra genu in alia duo dividitur. M. Aurelius Severinus haec de internis in talpa mare habet. Viſcera inquit omnia, ſicut in aliis quadrupedibus. I. Praeterquam, quod nullum colon, inteſtinaque reliqua fere uniformia, nullum enim caecum. II. *Teſtes* intro conditi, ſicut in daſipodis, colore tamen nigro, neque in loco, qui proxime renibus eſſe ſolet, ſed a lateribus veſicae, in infima abdominis cavitate. III. *Renes* con-

Severin. in Zootomia Democrit. p. 317.

coniuncti proximae venae cavae pusillo, sive spatio emulgentium. IV. *Fel* pro corpore maiusculum, cum conspicuis cholidochis. V. *Ventriculi* ianitor linea quadam transversa, veluti ligatus atque distinctus. VI. Vasa ferentia suffulta, si recte memini, ureteris. VII. Larynx, qualis in testudine terrestri, mutum enim animal. VIII. Observata in *interna aure* duo, malleolus et incus, mire perpusilli, os inter medium duobus aurium ossibus egregie pumicosum. IX. Processus inferioris *maxillae* utrique tres. X. Vera equidem sunt, quae scribit Plinius de *oculis* talpae. Visuntur enim ipsi in suo loco nigri toti, contecti cute pusilli, quale est semen Psyllii, nullii ipsis inserti nervi optici, quantum mihi advertere licuit, nec satis scio, num fungi videndi munere possint, non eam solam ob causam, quod tecti corio sunt, verum quod multa eis adhuc desint, quae necessaria sunt. Omnino autem existimarim, vestigia haec esse oculorum potius, quam oculos vere, in quibus ludere voluisse naturam adpareat atque ostendere, non deesse sibi facultatem oculos fingendi, quando velit, aut verius fortasse fingimus haec ipsi. Rursus et in alia talpa Anno MDCXVII. observata haec. *Panniculus carnosus* totus et mire commissus cuti. Cerebrum pro ratione magnum et bene distinctum et exornatum. Auriculae non sunt externae, interna penitus abdita, cuius ossicula tria supra modum perpusilla, intestina funiculi simplicissimi modo exilia. *Locus.* In Thessalia adeo humus talpis familiaris, ut suffossum ab iis ibi oppidum quidam prodiderint. In Orchomeno agro, prodente Aristotele, frequentissimae vagantur. At in Lebaica nullae sunt, nec illatae effodiunt, forte propter soli duritiem. *Cibus.* Lumbricis praecipue vescuntur, ideo stercoratis et sterquiliniis gaudent. Absumunt et omne aliud vermium genus eoque deficiente, terram comedunt. Visi radices herbarum et frugum, bufones etiam infestare. Ex terra pluviis madida et putrescente, ut plurimum generantur. Nec per horae spatium supra terram vivere posse dixit Albertus, sed falso. Visum quidem habent hebetem, sed auditum excellentem. Invenit in medicina et aliis usum. *Dens* a viva evulsus dentium dolores sedare creditur. *Usus.* Pilullae ex ea cum melle subactae et devoratae strumas absumunt. *Caput* incisum et cum terra a talpis eruta tusum inque pyxide stannea in pastillos digestum, contra omnes colli dolores exhibetur. *Sanguis* pilos restituit et ad paronychias commendatur. *Adeps* ad capillorum augmentum supprimendum conducit. Marinellus in hoc casu unguenta, quae ex pinguedine talpae et vespertilionis componuntur, praescribit. Cinis in sanandis fistulis chirurgis inservit. Mizaldus periclitaturus, an aeger moriturus sit, nec ne, chelidonium cum talpae corde pulvino aegrotantis supponit. Cantaturum, aut clara voce vociferaturum credit, si convalescet, fleturum, sin minus. Aqua, in qua talpa maduit et pilos deposuit, pili restituuntur. Ex pellibus pileolos confici memorat Agricola.

Plin. H.N. l. 8. c. 28.

CAPUT XIX.

De Echino terrestri.

Ambrosin. de Digit. Vivip. l. 2. c. 37. *Nomen.*

Echinus non ab aculeorum hirsutie, sed potius ἀπὸ τοῦ μὴ δυνάσθαι ἔχεσθαι διὰ τὰς ἀκάνθας, ὁ ἐστιν ὁ ἀκράτητος, quod ob aculeos teneri non possit, nomen sortitus est. Galenus Acanthionem terrestrem vocat, Suidas ἀκανθοχοίρον, porcum spinis horrentem, γύλιον et χοιρογρύλλιον, Hesychius ἀκανθόνωθον, propter dorsum spinis refertum, Lycophron ab insigni vaframento Nauplium nuncupavit, quod nomen Latini Echino marino tribuunt. Quidam cum Plinio Hericem, Hericium,

ricium et Herinaceum proferunt, nec male. Ab hororre enim, vel etiam ab haerendo, quod fructus eius ſpinis adhaereant, hoc animal
Deſcriptio dictum eſſe videtur. Eſt bellua, ut Hermolaus breviter deſcripſit, cuniculi magnitudine, aculeis vallata praeterquam in ore, et pedibus parte inferiori, quam rara lanugo tantum operit. Obſervata in illo.
Severin. Zoot. Democrit. p. 319. *Muſculi* conglobatores totius corporis. *Inteſtina* aeque craſſitudinis, immo verius tenuitatis quam longiſſimae, ſine caeci aut alterius diſtinctione, in ſumma, qualia muri. Quin paria iſtorum ſtercora, pares teſticuli, qui proximi peni, hic longiſſimus exortus in viam caudae compreſſus ſemen emiſit, muci flavioris imagine. Septipinne *iecur*. Peni adſtites carunculae quaedam ſubalbidae, racemoſae, in pinnulas diſtinctae rupis praeruptae modo, quas pulmonis fibris quadantenus adſimilare poſſis. *Teſtes* intus latent, et lumbis affiguntur. *Oſſa* quaedam rotunda, quaedam planiora, acuta alia, alia obtuſa conſpiciuntur. Ubique locorum reperiuntur, Cretam ſi excipias, ſi Plinio credendum.
Plin. H.N. l. 9. c. 12. Ad annum abſque cibo durare poſſe, ſcripſit Ariſtoteles.
Cibus. Pomis vero et uvis ut plurimum victitat, quae decuſſa et ſpinis infixa ad latibulum defert. Lac etiam et vinum in aedibus potare
Aelian. H. A. l. 16. c. 69. animadverſum. *Inimicitias* gerit cum urſo, lupo, vulpe, vipera, et potamogeto herba. In orbem colligi, et quaſi mortuum iacere, ſimul atque vel canum latratum ſenſit, vel ferarum odorem, vel venatorum acceſſum, cubilia ad Aquilonis et Auſtri viciſſitudinem commutare, et ſi domi alatur, pro ventorum flatu modo ad hunc, modo ad illum parietem accedere, ut
Ariſtot. H. A. l. 9. c. 6. Ariſtoteles reliquit. Dum capitur, urinam, cuius contactu ſpinae dorſi decidunt, emittere; humano denique ritu congredi, ad naturam
Vſus. ipſius ſpectat. Venit apud quosdam ſuillus erinaceus in cibum: ſed niſi bene apparetur, ſtranguriam adfert. Ideo unico ictu mactandum, et vaſis urinae expurgandum quidam cenſuere. Menſe Auguſto ob pabuli copiam ſunt pinguiores. Durantes cum multis aromatibus in artocreate coquit, Geſnerus in aceto et vino fervefacit, deinde lardo et caryophyllis diſtinctam, in veru torret. In medicina multum adfert emolumenti. *Hepar* renum vitiis miro eſt auxilio. *Felle* contactae verrucae ſiccantur. *Lien* aſſatus et pulverizatus efficaciſſimo eſt lienoſis remedio. *Caro* ad prohibendum abortum praeſcribitur. Eadem, unico ictu mactati ſtranguria laboranti commode ſuſpenditur. Exſiccata plica laborantibus exhibetur. *Adipe* in autumno capti Poloni in eodem morbo utuntur. Idem in lithiaſi inſignem habet praerogativam. *Sanguinis* haud ſpernendus eſt in lapide veſicae, renum et ardore urinae uſus. Cinis *combuſti* cum adipe urſino capillis decorem reſtituit. Eodem ad praecavendum abortum cum oleo pro unguine multi utuntur. Adhibetur idem in renum doloribus aqua intercute et aliis. *Fimus* recens cum ſandaracho, aceto et pice liquida, fluxum capillorum cohibet. *Corium* cum ſpinis olim ad extergenda veſtimenta adhibebatur. Diſtinguitur in ſuillum, qui roſtrum ſui ſimile habet, et *caninum*, qui canis. Ex eodem inſignis foetor exhalat. In Braſilia, ut leſuita quidam apud Maiolum habet, animal Echino ſimile vagatur, cuius ſetae praelongae coloris pallidi et in ſummitate nigrae, valde aculeatae erant. Mirum in illis natura recondidit. Cuicunque enim cuſpis eius admovetur, etiam ab animante revulſa, illam, et praecipue carnem penetrat, experimentoque compertum eſt, huiusmodi aculeum, unius noctis intervallo craſſiſſimo corio admotum, illud perinde ac eſſet manu hominis impulſum, penetraſſe.

Differentiae.

CA-

CAPUT XX.

De Hyſtrice.

Ambroſin. de Digitat. Vivip. l. 2. c. 38. *Nomen.*

Erinaceorum generi adſcribit Hyſtricem, Plinius, Aelianus et Oppianus. Graecis ὕστριξ ὕστριχος, et ὀσθριξ ὕστριγος nuncupatur, a θρὶξ et ὗς ſine dubio. Plinius foeminino genere effert, maſculino Oppianus. Quidam ſub muris Africani Plauto venire crediderunt, quod frequens in Africa eſſe perhibeatur. Iſidorus a ſtridore, quem aculei in motu animalis excitant, deducit et ſine aſpiratione ſcribit. Claudianus eum ita deſcripſit:

Deſcriptio

- - - - os longius illi
Adſimilat porcum, mentitae cornua ſetae
Summa fronte rigent, oculis rubet igneus ardor,
Parva ſub hirſuto catuli veſtigia dorſo.

At ſi Agricolae attendimus, habet Hyſtrix *os* leporino ſimile, *dentes* quatuor longos, duo in ſuperiore, totidem in inferiore parte, *aures* humanis ſimiles, *pedes* anteriores pedibus taxi, poſteriores urſi adſimulantur. *Dorſo* et lateribus ſpinae bicolores, partim albae, partim nigrae inſunt, et aliquando ad duorum vel trium palmorum longitudinem accedunt, quas animal, ut pavo caudam erigere poteſt. Ingreſſurus in cavernam, erectas dimittit. Solinus in Aethiopia frequentiſſimos vagari ſcribit, quamvis in tota Africa et India inveniantur. Habentur et in Italia, ſed in Gallia rarae. In Galaecia reperiri, Compoſtellani peregrinatores teſtantur, qui eorum aculeos in pileis deferunt. In dumetis autem et vepribus latent. *Victitant* pomis, rapis, pyris, paſtinacis, et pane comminuto, bibunt aquam, ſed vino mixtam avidiſſime. Aculeos tenſa cute in hoſtem eiaculari, unde forte ſagittandi ars, et nomen ἀκανθοβόλια, deſtinato ictu ferire; noctu magis, quam interdiu ad paſcua progredi; hieme in cavernis latere tot dies, quot urſa in utero gerere, a natura obtinuit. Nec huic gula pepercit. Commendatur enim in epularum magnificentia. Apparatum vide apud Ambroſinum ex Scapio. In Medicina videtur iisdem affectibus conducere, quibus erinaceus. Mulieres ad diſcriminandos capillos aculeis eorum potius, quam acubus utuntur. Plinius ex iisdem dentiſcalpia ad roborandos dentes conficit. Circa *differentias* nihil fere occurrit. Quidam in marinum et terreſtrem diſtinguunt, et dentalium pro marini aculeis venditant, ſed nimis audacter. Nemo enim auctorum marini meminit. Referri huc poteſt incertae naturae animal, quod Cardanus Anno MDL. Papiae vidit. Magnitudine erat vulpis, rictu leporino, dentibus prominentibus ad inſtar ſciuri, oculis nigris et ſerpentinis, coma hircinae barbae ſimillima, quae a capite ad collum ferebatur, cum pedibus anterioribus taxi, poſterioribus urſi, auribus in figura humanis, cum ſpinis fere centum more hyſtricis, quarum quaedam in apice curvabantur, alioquin immobiles, et in motu animalis ſtrepitum edentes. Cauda animalis erat anſerina, cuius plumae paullatim in ſpinas degenerabant. Vox ſubobſcura et rauca, quaſi latrantis canis, canesque odio proſequebatur. Forte ex hyſtrice aliaque beſtia natum erat.

Natura.

Differentiae.

Locus.

Cibus. Agricola de Anim. ſubterraneis.

CAPUT XXI.

De Tato ſeu Echino Braſiliano.

Nieremb. Hiſt. Exot. l. 9. c. 6.

Tatum Nierembergii verbis deſcribemus. Cataphractum, inquit iſte, quoddam animal Indiarum varie appellatum invenio. Hiſpani nuncupant *Armadillo*. Luſitani *Sneubertado*. Itali Bardato, Thevetus Braſilico nomine *Tatau*, Maphaeus *Tatuſiam*, Geſnerus *Tatum*, nova Hiſpania *Chirquinchum*, alicubi *Caſſamin*, aliis Indis *Aiatochtli* dicitur, hoc eſt, cuniculus cucurbitalis, ſpecubus enim, quemadmodum cuniculus conditur. Una nocte ſpatium leucae excavat, quare niſi ligetur, nullibi ſe includi patiens perfodit uſquequo extra domum et oppida emergat. Variae ſunt ſpecies horum loricatorum, mihi omnium mirabilior aiatochtlus, cuius et rarior mentio et ſterilior, quare illum praeſertim narrabo. Duris armatur laminis, quas ipſe vidi. Canis Melitenſis eſt magnitudine. Pedes ei ſuis parvuli, roſtrumque, ſed oblongum et gracile. Armatur undique cruſta militari et cataphracto equo perſimili in laminas connexas atque mobiles diviſa, quibus ſe convolvit atque undique tegit. Auriculae murinae, ſed longiores nimis graciles. Cauda eius eſt longa, teres, geniculata, eodemque modo laminis cruſtatis circumvallata. Venter candet, ac pelle operitur molli humanae haud diſſimili, longiuſculis exilibus ac raris pilis veſtita. Formicas venatur. Cubat ſupinus atque cauda ori admota, qua recta procedentes formicae incidunt in inſidias et cibum deludenti ſuggerunt. Antonius Herrera addit, lotio proprio implere lacunam ſuper ventrem inter cruſtas ſuas, ſic formicas, humore obſtante per caudam procedere usque ad os. Cum fugit, in praeceps caput caudamque ventri adplicat ac tuetur cruſta et ſeſe in ſpiram convolvens rotat. Quod ſi pertinacius quispiam inſectari perſeveret, ſemet in venatorem contorquet, ut haud raro valide tundens dorſo ſuo pectus hominis exanimat. Verſatur in uliginoſis lacubus. Lumbriis, piſcibus ac vermiculis veſcitur et quibusdam arborum baccis et pomis. Caro impenſe pinguis, dulcis ac pituoſi alimenti et excrementis redundans. Utebantur cauda antiqui ad eas, quas zebratanas vocant, quarum apud illos uſus frequens muniendas. Cruſta multis rebus utilis, tum ad bellicos uſus, tum ad pacem opportunis. Aiunt, illius cruſtam tritam ac drachmae unius pondere intra ſumtam, evocato ſudore magnopere conferre morbo Gallico curando. Invenitur locis calentibus lacuſtribus et uliginoſis. Duae apud Lucatanenſes horum animalium ſunt differentiae. Quaedam innoxia et gratiſſimi alimenti ſunt, alia noxia et venenata, ut vomitu ac flatu alvi citato ſyncopen inducant, tandem interimant. Antidotum eſt oleum olivarum, niſi virus invaluerit, fruſtranea tunc remedia. Si fortaſſe aliqua iuverint, diffluunt ſuperſtitibus capilli, languet color, marcent vites. Diſtinguuntur teſtarum ſeu laminarum numero. Innoxia octonis, noxia ſenis conſtant. Innocua etiam coxae, oſſe carent et maculis rubeis circa ventrem diſtinguuntur. Eſt autem hoc animal viperis, quae ſono quodam perſtrepunt tam carum et amicum, ut eodem foramine ſine alterutrius iniuria condantur. Primum illud genus videtur deſcripſiſſe Conſalvus Ferdinandus Oviedus hac ſententia: Καταφραχτες, *ſive undique armis munitus, animal eſt aſpectu admirabili, valde diverſum ab iis, quae aut in Hiſpania, aut in aliis Europae regionibus conſpiciuntur. Quadrupes eſt animal, totumque corpus cum cauda corio tectum habet ſimili cortici lacerti, de quo infra ſumus dicturi, crocodilum America-*

ricanum intelligit, coloris inter album et einericeum mixti, ad album tamen magis accedentis. Eiusdem vero eſt formae cum equo undique armis munito, caniculae autem vulgaris magnitudine. Non eſt animal noxium, domiciliumque habet in terrenis tumulis, pedibusque terram egerendo, ſua latibula fodit cuniculorum inſtar. Capiuntur haec animalia retibus et baliſtis, petita occiduntur, magna autem ex parte ſementis tempore, quando ſtipulae aduruntur, aut agri coluntur, ut gramen producant in boum et animantium pabulum. Aliquoties me hoc animali veſci contigit, ac ſane melioris ſaporis, quam haedos, et ſalubrem cibum eſſe comperiebam. Caeterum ſi haec animalia in iis Provinciis conſpecta fuiſſent, in quibus equos undique armatura muniendi conſuetudo originem ſumſit, ex huius animalis aſpectu exemplar deſumtum opinari quis poſſet. Cum alii Auctores Oviedo refragentur, *aliud genus armatorum*, quam ille cogitant. Diverſa, quae de loricato animali ſeu tato narrantur, de diverſis ſpeciebus, pro diverſitate provinciarum accipienda ſunt. Sic Monardes prodit, numquam viſum edere, ideoque ſub terra duntaxat, et ex ipſa terra ali, Geſnerus contra, licet perpauca, de illo ait, allatum in Galham ſeminibus et fructibus viſum veſci. Neutrum refuto, cum de diverſis loqui poſſint. Agnoverunt quoque tria genera horum armatorum Iacobus Plateau et Cluſius, unum breviſſimae caudae, quod ſic deſcribit: *Habebat porro id animal pedis unius et quatuor unciarum longitudinem, corporis vero ambitus erat quatuordecim unciarum, binis videlicet minore longitudine. Eius tegmen durum et teſtaceum, fulginoſi coloris, quem forte vetuſtate et manuum tractatione contraxerat, quodammodo teſſellatum. A collo ad medium corpus, quaſi orbiculatae figurae teſſellis varie pictis diſtinctum, medio autem corpore ternis ordinibus quadrangularium teſſellarum varie etiam picturarum inſignitum. Poſtrema tegminis pars ſimilibus orbibus diſtincta erat, qualibus pars anterior. Totum etiam caput ad nares usque ſimilibus teſtis tectum. Aures patentiores, nec adeo mucronatas habebat. Cauda brevis erat, duobus digiti humani extremis articulis non maior, tota etiam orbicularis teſſellis tecta. Ventrem nulla cruſta tectum fuiſſe, ſed villis duntaxat obſitum, picturare praeſentabat, quemadmodum etiam crurum poſteriorem partem, atque guttur et nares. Poſteriores pedes ternis digitis, et calcari praeditos fuiſſe, pictura fidem faciebat, anteriores vero duntaxat binis et calcari, niſi a pictore fuerint praetermiſſi, penem ſatis longum et exertum habebat. Neſcio an huic deſit virtus, quam de Armadillo, ſive tato caudato Monardus dixit. Praecipuam eius vim in caudae oſſiculo eſſe, cuius in tenuiſſimum pulverem redacti pilula, confecta magnitudine capitis aviculae, atque auri indita, dolorem eius ſedare et tinnitum etiam cum exigua ſurditate coniunctum curare traditur. Certe dolorem ſedare, frequenti experientia probatum eſt.* Adiicio aſtum Chirquinchi, quod audivi ab his, qui primum fama, deinde viſu acceperunt. Teſtes oculati ſic referunt: Pluente coelo ſupinus iacet, in ventre, qui exermis eſt, colligit aquam contentam inter cruſtas laterum, ſic perdurat transacto imbre ferme diem integrum, donec occurrat incaute cervus ſitibundus, qui accedens ad potum, immergit buccam, tunc claudit ſe *Chirquinchus*, labra et nares comprehendens cervi. Hic diſcurrit hinc inde, nunquam laxat praedam Chirquinchus, donec fatigatam interimat anguſtiae ſpiritus. Aſtum quoque erinaceorum habet, in cruſtis ſuis ſe, dum timet, conglobat, nec niſi ad ignes relaxatur. Conchulis huius animalis utuntur Indi in maleficis, praecipue ad explorandos et puniendos fures. Tangunt prius cum concha terram a fure calcatam, ſive aliud quicquid ille attigerit, implent maxillam potione, quam chicham vocant, tympanis deinde circum-

circumſonant, concha interim ſponte ſubſultante et tripudiante. Hoc veneficio notatur vultus furis puſtula, in genis, quae per utramque maxillam ſerperet, niſi maleficium diligenter diſſolvatur.

TITULUS III.

De Quadrupedibus Domeſticis.

CAPUT PRIMUM.

De Cane.

Ambroſin. de Digit. Vivip. l. 3. c. 1.

Nomen.

Tantum de Semiferis, ſequuntur *Domeſtica*, *Canis* nempe et *Felis*. *Canis* vox olim Canes ut plebes, trabes pronunciabatur, venitque ſi Varroni attendimus, a canore latratus, quod voce ſigna edere ſoleant. Graecis veteribus dicitur κύων, et in obliquo caſu κυνὸς, ſine dubio παρὰ τὸ κύω, amo, ſeu quod proniores ſint in Venerem, ſeu quod animal ſit φιλοδέσποτον, Modernis vocatur σκύλος nomine forte a Scylax detorto. Aliis ὐλάκτωρ latrator, a voce, quam edit, nec non ἀκανθὶς apud Heſychium et Suidam, παρὰ τὸ αἰκάλλειν, quod cauda notis blandiatur. *Deſcriptionem* non eſt, quod addamus. Notiſſimum utpote animal eſt. In Cane ſecta ſequentia obſervata ſunt Severino, quae eiusdem verbis exponemus. *Vterus* inquit, bicornis, cervice brevitate et anguſtia medio digito reſpondente. Cornua lata, quantum manus caperet, longitudine maiori, quam palmari communi menſura, craſſitudine ubique aequali circumvoluta autem ſimplici gyro, non anfractuoſa vel cellulata, uti ſuillus. Feruntur extrema cornuum usque ad renes colligata venis, quae ad uterum veniunt, & teſtibus ipſi incumbentibus per membranam. Ad oſtium primum cervicis viſitur corpus, quod dum mole, figura atque colore referens caput limacis exertum a ſua cochlea. Impoſitus in huius os ſtylus ferreus non eſt admiſſus, niſi poſtquam eſt diſſectus parum. Diſſecto utero inventi ſunt involuti foetus, involucra autem tria, chorion, allantoides, amnion: ſed priora vix dividi poſſunt, adeo ſunt adnexa, adeo ſunt tenuis ſubſtantiae. In dextro cornu catuli quinque, in ſiniſtro quatuor, ſinguli ſuis involucris contenti, chorion unicuique per medium transverſim poſitae zonae latae duorum digitorum, diſtinctae lineis atris ab extremo, et rubra in medio, ſingulae autem ſanguinem fuſum colore ſibi reſpondentem repraeſentant. *Omentum* veluti ſaccus, qui integit inteſtina ſuperiora, naſcitur eius pars ſuperior e fundo ventriculi per mediam ipſius lineam totum ambiens, ſimpliciter et pars poſterior, quae inſeritur in lienem et in pancreas. *Pancreas* autem ſtatim adparet poſt exortum duodeni, illigatum huic et venae portae. *Vena porta* mittit triplicem ramum ad conterminas partes meſentericum, coeliacum, ſplenicum. Coeliacus excurrit partem ventriculi concavam. Splenicus mittit ſuperne ramum ad ventriculum parte huius convexa per mediam lineam, usque quo ſuperius ventriculi os pertingat. Ligatus eſt *ſplen* diaphragmati per mediam membranam plus digito latam, et ventriculo per omentum: habet ſplen figuram prope pedis ample calceati. *Colum inteſtinum* nullum, recti finis partem accipit caecum, cuius figura veluti involuti, quod explicatum longitudine eſt medii digiti. Ad finem recti interne *valvula* una inſignis, altera in caeci principio ſed minor. *Rectum* parte inferiore valde corrugatum. Ab aorta ſurſum convolutus ad cava hepatis plexus arteriarum, qui adpropinquat pancreati, attractum hoc attrahit hepar

Deſcriptio

M. Aurel. Severin. Zootomiae Democrit. p. 306.

Canis Leporari.

Canes.

Canis.

Canes . Hűnde .

Lijnx .

Luchs .



Canis Indicꝰ j .

Canis Indi. 2 .

Canis Venatorius . Iag hund :
Windſpiel .



par et ſuperiora viſcera. Supra os ſuperius ventriculi glandulae duae, maior et durior dextra, quam ſiniſtra, ambae ſucculentae humidiores. *Sanguis* canis ater valde, propter aduſtionem quippe. Ad finem *linguae* inſeritur muſculus teres deſcendens per mediam ipſius lineam. *Auricula cordis* dextra duplo maior, quam ſiniſtra. In cranii parte tum dextra, tum ſiniſtra, quas integunt muſculi temporales, nulla adparet involvens membrana, praeterquam ea, quae propria muſculorum eſt, in aliis vero cranii partibus manifeſta adparet. In radice linguae utrinque eſt glandula parva et producta obliquo ſitu. Circuli arteriae aſperae transverſim poſiti, non ſicut in ſue obliqui. Canis *cerebrum* maius quam ſuis. Inverſo cerebro patuere proceſſus mammillares et ſpinalis medullae initium, per quorum medium facta ſectione profundiori patuerunt duo ductus parvi, alter, qui a parte mammillarum per rectam lineam tendit ad finem usque cerebelli, alter paullo citerius ſuperne poſitus huic oblique. De caetero pedes canum anteriores in quinque digitos, poſteriores in quaternos diſtincti ſunt, foeminarum venter duplici mammarum ordine, in utroque ſcilicet latere exornatur. Albertus etiam generoſi canis imas nares, rotundas, ſolidas, et fere obtuſas obſervat. Ariſtoteles vero et Aelianus calvam futuris carere aſſeverarunt. Galenus denique muſculos temporales in canibus, veluti in lupis et leonibus robuſtiſſimos obſervavit, quod in frangendis oſſibus maxillas exercere ſoleant. De *loco* hoc tantum pono, nullos in Braſilia ante Vilagagnonis expeditionem fuiſſe, ſi Lerio credimus, ſi Textori, Sigaron Arabiae inſulam non ingredi, ingreſſos, vagari donec pereant. παμφάγοι ſunt, nec vel a piſcibus, vel a cadaveribus abſtinent, quod primum Balbus in itinerario prodidit. A carne tamen ſuae ſpeciei, ut et fulmine ictis abhorrent. Gramen etiam comedunt, ſed medelae gratia. Fraxini fructu abſtinent, quod vertebrae coxarum dolorem inde incurrant. Potione vini vel aquae ardentis dementantur, et divagantur, donec vapor evanuerit. De *generatione* nota. Semper eis coitum opportunum: Tardivus tamen veris initium, rarius autumni tempus congrediendo idoneum ſcripſit. Coeunt ad annum duodecimum et implentur, ſed ſaepe poſt novem ſunt inutiles. Degenerant, ſi annui venere utantur, ſi quarto anno, generoſiores producunt. Quatuordecim dierum ſpatio vel circiter libidine tenentur, et poſt ſextum menſem a partu marem iterum adpetunt. Dum turgeſcere incipiunt, foeminae genitale prominet et humeſcit. Congrediuntur autem et cum aliis animantibus, ut cum lupis in Cyrenenſi agro, unde nati Crocutae, cum leonibus, unde Leontomiges, cum caſtoribus unde Caſtorides, cum vulpibus unde Alopecides. Averſam exercent Venerem et cohaerent. Ferunt dies ſexaginta, quaedam ſexaginta tres. Pariunt duodecim, aliquando et ſedecim. Viſa Bononiae leporaria, quae ſeptendecim enixa eſt. Albertus vero prodit, ſe ex illorum genere, qui Maſtini dicuntur, vidiſſe, quae primo partu novendecim, altero octodecim, tertio tredecim dediſſet. Quae mulieribus in deliciis, ſingulos fere enituntur catellos. Primum mares parere, et in caeteris foeturis alternare ex Plinio dicuntur, dum modo tempore opportuno congreſſus fiat, primusque catulus in lucem prodiens, ſecundum nonnullos patrem refert, caeteri, ut caſus tulerit naſcuntur. Gignunt caecos, et quo largiore aluntur lacte, eo tardiorem viſum accipiunt, non tamen unquam ante viceſimum primum diem, nec ante ſeptimum. Quidam tradunt, ſi unus gignatur, nono die cernere, ſi gemini, decimo. Idemque in ſingulis adiici, totidemque eſſe tarditatis ad lucem dies, quod tamen nondum experientia demonſtravit. Lac ante diebus quinque, quam pariant habent magna ex

Galen. de uſu part. l. 11. c. 9.

Locus.

Cibus.

Generatio.

Ariſtot. H. A. l. 5. c. 14.

Ariſt. H. A. l. 18. c. 28.

Ariſtot. H. A. l. 5. c. 14.

Plin. H. N. l. 8. c. 40.

parte, quibusdam quatuor diebus anticipat. Craſſius id, quam caeterorum animalium, ſcrofam et leporem ſi exceperis. *Aetas.* Non excedunt annum decimum quartum communiter, quamvis quidam ad vigeſimum ſecundum aſcenderint. Laconici, inquit Plinius, annos decem, foeminae duodecim, caetera vero canum genera quindecim vivunt. Iunioribus albiſſimi ſunt dentes, et vox acuta, ſenioribus hebetes, crocei, *Vox.* et vox craſſior. *Vocem* auctores varie expreſſere. Latrare et baubare dicuntur communiter, βάϋζειν Graecis catuli, ὑλακτεῖν adulti, λάτϑειν dum bibunt, κινύσϑαι grunnire, dum queruntur aut blandiuntur, σκυζᾶν, canire et catullire, dum libidine feruntur, προκυνεῖν, quando latrant antequam feram invenerint, ἀφαρίζειν, *Antipathia.* quando irritantur. De *Antipathia* haec pauca ſufficiant. Metuere hyaenam in tantum, ut eius umbra, ſi Plinio et Solino credendum, eos obmuteſcere cogat. Crocodilos in tantum, ut ſecus Nilum currendo, aquam eius, etiam ſitibundi lambant. Cum lupis eam colere inimicitiam, ut vel ideo Porta pellem lupi ſuſpenſam ſuper demorſum a cane rabido, aquae timorem amoliri dixerit. Ab otide metui, quod tardo et humili volatu utatur. Abhorrere quosdam a quibusdam. Blondi canis gallinarum carnem ne attingebat quidem. Alii oſſa avium ſilveſtrium reſpuunt. Olim in templum Herculis victoris non ingrediebantur, ſeu ob odorem clavae in limine poſitae, ſeu ob rem aliquam inviſam ſub ſolio ſepultam. Nonnulli ad citharae pulſum miſerabiliter gemunt, ad clangorem tubarum ululant, in diſploſione bombardarum longiſſime aufugiunt. Quantus inter eos et homines ſaepe ſit conſenſus, in *Natura.* ſequentibus audiemus. Ad *naturam* canum pertinet, quod cito iram concipiant, et ideo ob unicum os diutius inter ſe digladientur, quod domos vigilias agendo cuſtodiant, ob ſomni levitatem facile excitentur, cum mulieribus aliquando Veneris conſuetudinem habeant, et palam congrediantur, unde a Spartanis templis arcebantur. Iidem odorum differentias nobis incognitas ſentiunt, poſteriora odorantur, quod cum ſagaces ſint, teſte Plinio qualitates habitudinum corporis odore cognoſcant. Capitibus ad terram demiſſis odorem trahendo inveſtigant, et ideo primi aeris infecti halitum hauriunt. Auditu pollent, quarto aetatis menſe dentes caninos mutant, et hibernum pilum amittunt. Si ſtomachi gravedine laborent, gramen vorant. Facile abortiunt, ſi mas, ex quo concepere, occidatur. *Ingenio* et *memoria* pollere, *Ingenium et alia.* docilesque eſſe, multa teſtantur exempla. Ille apud Plutarchum, tot lapillos in ollam olearium iniecit, donec intumeſcente oleo illud lambere poſſet. Itinera quamvis longa meminere, nec ulli praeter hominem memoria maior. Quidam Venetiis in medio foro ſuum Dominum poſt triennium agnovit: Ulyſſis poſt viginti annos. In Theatrum Marcelli ſpectante Veſpaſiano introductus fuit, in omnibus ſaltationibus inſtructus, et qui aegritudinem belle ſimulare noviſſet. Nam poſt ſigna contracti doloris, tamquam mortuus concidebat, atque huc et illuc ſe trahi patiebatur, mox tamquam ex profundo ſomno experrectus, ſeſe movebat. Franciſcus Marchio Mantuae per morbum mutus, canem ita inſtruxerat, ut ad ſuos nutus, quemlibet aulicorum vocaret. Coram Iuſtiniano Imperatore, ſpectante populo, alius annulos ſpectatorum ab hero confuſos ita cognovit, ut unicuique ſuum redderet. Quis pauper vel dives, meretrix aut vidua, quae eſſet, rogatus, veſte cuiusque ore adprehenſa demonſtrabat. De *fidelitate* erga heros ita Plinius: Pu- Plin. H.N. gnaſſe adverſus latrones canem pro l. 8 c. 40. Domino accepimus, confectumque plagis a corpore non receſſiſſe volucres et feras abigentem. Ab alio in Epiro agnitum in conventu percuſſorem Domini laniatu et latratu coactum fateri ſcelus. Garamantum Regem canes ducenti ab exilio reduxere paeliati contra reſiſtentes, propter bella Colophonii, itemque Caſtabalenſes, cohortes

canum

canum habuere, eae primae dimicabant in acie nunquam detrectantes. Haec erant fidiſſima auxilia, nec ſtipendiorum indiga. Canes defendere Cimbris caeſis domus eorum plauſtris impoſitas. Canis Iaſone Lycio interfecto, cibum capere noluit, inediaque conſumtus eſt. Is vero, cui nomen Hircani reddidit Duris, accenſo Regis Lyſimachi rogo, iniecit ſe flammae, ſimiliterque Hieronis regis. Memorat Pyrrhum Gelonis tyranni canem Philiſtus. Memoratur et Nicomedis Bithyniae Regis, uxore eius Conſingi lacerata propter laſciviorem cum marito iocum. Apud vos Volcatium nobilem, qui Ceſelinum ius civile docuit, aſturcone e ſuburbano redeuntem, cum adveſperaviſſet, canis a graſſatore defendit. Item Coelium ſenatorem aegrum, Placentiae ab armatis oppreſſum, nec prius ille vulneratus eſt, quam cane interemto. Sed ſuper omnia in noſtro aevo actis populi Romani teſtatum. Appio Iunio et P. Silio Coss. cum animadverteretur ex cauſa Neronis Germanici filii in T. Sabinum, et ſervitia eius, unius, ex his canem nec a carcere abigi potuiſſe, nec a corpore receſſiſſe, abiecto in gradibus gemoniis moeſtos edentem ululatus, magna populi Romani corona circumſtante, ex qua cum quidam ei cibum obieciſſet, ad os defuncti tuliſſe. Innatavit idem cadavere in Tiberim abiecto, ſuſtentare conatus effuſa multitudine ad ſpectandum animalis fidem. Huc ille pertinet, qui Domini ſui occiſorem et prodidit et iugulavit, ut et Corſus ille, qui non citius enecti frigore heri corpus auferre familiariſſimis etiam permiſit, quam perimeretur. Nihil interim de illis dicam, qui cum heris cremari vel ſepeliri voluerunt, qualis Poli Tragoedi, Pyrrhi, et Theodori erat. Eupolidis Poetae Comici canem poſt eius mortem, vitam inedia finiviſſe, Iaſonis Lycii capere cibum noluiſſe, Darium, ultimum Perſarum Monarcham ſolum comitem ad mortem habuiſſe, Xantippi, navigantem herum eo uſque ſecutum, donec natando periiſſet, Hiſtorici prodidere. A carnium caninarum uſu, omnes fere moratiores gentes abhorrent, niſi neceſſitas urgeat. Populi Senegae eis veſcuntur, ſi Cadamuſto credimus, incolae Guineae, ſi aliis. Galenus nonnullas gentes caſtratis veſci ſcripſit. In *medicina* maximi eſt uſus. *Calva* in pulverem redacta, teſtium tumores reſolvit. *Cerebrum* fracta oſſa reſtituit, ſi inſtar emplaſtri ſuperponatur. *Dente* maximo ſi gingivae ſcarificentur, dolor dentium tollitur. Longiſſimus nigri canis, quartana laborantibus appenditur. Caninus canis rabidi exemtus et in aluta adpenſus, rabiem compeſcit. *Coagulum* in vino diſſolutum, colicos dolores ſedat; in aceto, hydropicis propinatur. Per vomitum hydropicorum ventribus ſuperimpoſitum, hydropicorum aquas Sextus educit. *Hepar* rabidi aſſatum, ſingulare eſt in rabie remedium. *Fel* cum melle ad ulcera interna adhibetur. *Lienem* recenter exemtum, Marcellus regioni lienis adplicat. *Sanguis* partibus a rabido cane percuſſis, magno eſt adiumento. *Pinguedo* ad mentem Aeſculapii, podagra laborantes ſublevat. *Adipe* catuli varii in cicatricibus et maculis faciei auferendis, Plinius utitur. *Lac* in mitigando oculorum dolore adhibetur. Eodem Sextus gingivas infantium aſſidue linit. Potum foetus mortuos expellit. *Lotium*, pilos et verrucas aufert, cum nitro miſtum lepram abſtergit. *Stercorum* pulvis in angina, dyſenteria, et ulceribus inveteratis commendatur, ſi oſſa per triduum comedat. Marcellus ex eodem ad ſolem exſiccato et cribrato, cum cera rubra per partes, et modico olei, medicamentum pro iſchiade concinnat. Plinius, oſſibus in ſtercore canino inventis et alligatis, ſyriaſin puerorum tolli putat. *Pellis* ad deſtillationes, ſi digitis inducatur, et ad anginam, ſi corrigiis ter collum circumdetur, adhibetur. *Pili* morſui canis rabidi impoſiti, venenum ad ſe attrahunt. In ſupprimendo ſanguine adhibentur. Mizaldus denique in expugnanda febre quartana, lotium

Vſus in Cibis.

Galen. l. 3. de Alim. faculr. l. 2.

Vſus in Medicina.

Scalig. Exerc. 202.

Athen. H. A. l. 7. c. 33.

Centur. 6.

aegri, quantum in uno paroxyſmo unica vice reddidit, cum farina ſubactum in placenta conficit, quam famelico cani exhibet, et ſic quartanam transfert. Reliqua vide in Geſnero. Weckerus ex duobus catellis recens natis, quatuor libris olei violacei, et libra una vermium terreſtrium praeparatorum, unguentum ad vulnera machinis bellicis inflicta componit. Ex catulis quoque Andreas Furnerius aquam deſtillat, quam in in cohibendo pilorum augmento mirifice commendat. *Differentiae* canum ſunt multae. Dicuntur olim et in Helleſponto reperti, cornuti. Si *vocem* ſpectes, in novi orbis inſula Hiſpaniola non latrant, ut Oviedus prodidit. In Guinea, ſi Cluſio credimus, latrare conantur, ſed non poſſunt. Si *munera*, ſunt alii ſagaces, alii curſores, cubicularii, portae, venatici, villatici. Si *locum*, ſunt Epirotae, Scotici, Anglici, Cyrenaici, Arcades, Indici etc. Nos hic agemus ordine de *Rabido*, *Melitenſi*, *Venatico*, *Leporario*, *Sagace*, *Villatico*, *Bellicoſo*, et *Inutili*. *Rabidi* ab eſu putridorum ciborum, et carnibus vermibus ſcatentium tales evadunt, canicularibus inprimis. Cibum tum abominantur et potum, ab aqua abhorrent, huc et illuc vagantur, latratum edunt raucum, ſpumam ab ore et naribus copioſam fundunt, torvum intuentur, demiſſam ferunt caudam, et nullo edito latratu homines mordent. Multi multa remedia adhibent. Aetius helleborum album ad vomitum cum polenta exhibet. Mizaldus ſtercora gallinarum cibis permiſcet. Blondus poſt tertium diem venas turgentes in cruribus tundit, vel canem in lacunam proiicit, in qua multae hirudines innatant, ut ſanguinem exſugant. Hinc totum corpus unguento populeo illinit, et pharmacum cholagogum propinat, tandem canem decocto fumariae, lapathi acuti, et radicum enulae abluit. Ad praeſervationem exhibet Plinius catulo lac mulieris, quae marem peperit. Columellas caudas catulorum poſt diem quadrageſimum ab ortu caſtrat. Prehenditur caudae extremum, in quod ultima ſpinae articulatio deſinit, et tamdiu digitis torquetur, donec excidat. *Melitenſes* ab inſula Melita, quae Pachyno Siciliae promontorio imminet, nomen habent. Sunt, vel brevioris vel prolixioris pili et iubati. Blondus partim albos, partim nigros commendat, hodie rufi et candidi in pretio habentur. Magnitudine ſunt muſtelae ſilveſtris. Ut parvi fiant et maneant, caniſtris includuntur, ibidemque nutriuntur. Delicatiſſimis veſcuntur cibis. Si plures foetus concipiunt, ſubito moriuntur. Ut villoſiores naſcantur, curatores loca in quibus cubant, velleribus pecudum inſternunt, ut ea prae oculis ſemper habeant. Lugduni in Gallia ſinguli decem aureis vaeneunt. Bononiae quadringentis libris venduntnr. Mulieribus ſunt in deliciis. *Venatici canes* ubique fere locorum habentur. Praeſtant, quos Hircania ex canibus et tigridibus natos, Epirus, Moloſſorum regio, et Chaonia proferunt. Apud Perſas fuere audaciſſimi et velociſſimi teſte Megaſthene, in regione Thebeth inveniuntur maximi, in provincia Gingui tam audaces, ut leonem adoriri non dubitent. Quomodo nutriendi ſint, illi, qui de re ruſtica ſcripſere docent. Erant in pretio apud Alphonſum Neapolitanum Regem, Magnum Tartarorum Chamum, qui ideo quinquies mille aluit. Diſtinguntur varie. Nam ſi ferarum differentias reſpicias, ſunt alii leporarii, alii humiles, qui taxos tantummodo inſectantur, alii ad aves, qui illas pedentim in retia pellunt, alii ad aquas, alii ad magnas feras. Si locum natalem, ſunt:

Arcades, *Auſonii*, *Cares*, *Thracesque et Iberi*,
Pannonici, *Argivi*, *Lacedaemonii*, *Tegeatae*,
Sauromatae, *Cretes*, *Celtae*, *Magnetes*, *Amorgi*.

Si colores, ſunt leucophaei, mellei, albi, nigri. *Albi* parumper aquam formidant. Iidem nigris maculis

Weckerus in Antidot. — *Differentiae.* — Ambroſin. quadr. digitat. l. 3. c. 2. — Ambroſin l. 3. c. 3. — Ambroſ. l. c. 4.

culis insigniti, pedes crassos et tenellos habent. Leucophaei fortes et audaces sunt, sed cursu non ita valent. Nigri validi sunt, sed cum crura habeant humilia, celeritatem alborum non assequuntur. Eligendus vero est canis, atroci vultu, capite magno, labro superiore ad infra pendente, oculis rubicundis, naribus apertis, dentibus acutis, collo tumente, pectore amplo ut leonis similitudinem prae se ferre videatur. *Canis leporarius* optimus est, qui longo et plano est capite, auribus acutis retrorsum directis et parvis, labiis superioribus supra inferiora non pendentibus, collo longo et aliquantulum turgido, pectore acuto, costis longis et validis, ilibus strictis, cruribus altis macrisque potius, quam obesis, cauda non crassa, nec admodum longa, qui raro aut nunquam latret. Alii ad venationem ducuntur, alii sponte exeunt, et comprehensis leporibus domum revertuntur, *Vertagi* dicti. *Sagacium* tot fere sunt, quot Venaticorum genera. In Scotia tres sunt canum species. Quidam sunt audacissimi, in cursu celeberrimi. Alii odorisequi, qui et pisces inter saxa latentes investigant. Nonnulli, ut plurimum aut rufi nigris maculis aspersi, aut nigri rufis imbuti, qui fures et furto ablata tanta cum industria persequuntur, ut et flumina tranent. Scotis et Anglis tales alere suetum, et si quis eum, qui sua, cane sagaci duce inquirit, in secretiora non admittit, pro fure habetur. Si Blondum sequimur, debet esse brevis, simo potius, quam adunco rostro, capite concinno, cruribus posterioribus eadem fere altitudine, quam sunt anteriora, pectore non ventre maiore, dorso plano et ad caudam porrecto, auribus pendulis, oculis agilibus. Palmam reliquis praeripiunt Gnosii, Thusci, Britanni, Hispani. *Canis villaticus* et pecuarius est, qui villam et pecus custodit. *Albus* probatur, ut a lupis distingui possit. Tales apud Turcas, Bellonio prodente, herum peculiarem non habent, ideo nec aedes ingrediuntur. Tegetibus in area stratis incubant. Olim apud Romanos quingenti ad stabulorum tutelam alebantur. De *Bellicosis* et *Inutilibus* nihil fere occurrit. Anglia illos producit, sed et hoc anno inter homines, sanguinarios canes alere coepit, diris devota capita, qui ne Regio quidem sanguine adhuc usque satiari potuerunt. Talibus canibus et Hispani contra Indos in praeliis utebantur, quos etiam sagina humani corporis ad capiendos homines alliciebant. Vasquez Nunnez loco carnificum usus est. Obliti fere eramus Indicorum, de quibus ita Nierembergius: Genus canium variat in novo orbe, praeter illos, quos vetustas novit. Natura et moribus pene omnia nostris vicina sunt, nec specie valde diversa. Illud, quod *Xoloitzeuintli* vocant Barbari, excedit mole corporis, tres plerumque superat cubitos, nullo pilo protegitur, molli tantum et depili cute, fulvis et cyaneis maculis aspersum. Alterum adpellant *Itzceuin teporzotli* et a patria, unde datur, *Michuacanem*. Simile est Melitensibus, variegatur candido, atro et fulvo colore, et quadam deformitate, accommodum deliciis, et gratissimum, nec iners blanditiis, gibbo quodam foedum a capite velut ab humeris eminenti, collo enim pene caret. Tertium *Tetichi* dicitur, caetera nostratibus simile, nisi quod triste aspectu, Indis edule, quemadmodum olim Thracibus, quod fortasse in usu Graecis fuit, si sexto Empyrico credimus. Certe Diocles Medicus, ex eorum schola, qui Asclepiadarum tempore fuerant, quibusdam aegrotis catulorum carnes dari praecepit. Sed Indis *Cozumellae* canes non tantum sunt alimentum, sed gula. Nutriebant comedendos, quemadmodum Hispani cuniculos, quos ad esum destinant, castrant, ita pinguescunt oppido. Procreandae soboli servant foeminarum copiam, ex maribus exiguum numerum, quemadmodum apud nos pecuarii. Idem inopia puerorum canibus litant. Alco etiam vocabant Barbari

Ambros. l. 3. c. 5.

Nieremb. H.E. l. 9. c. 36.

Ambros. l. 3. c. 6.

Bellon. observ. l. 3. c. 40.

ri quoddam genus canum parvulorum, quorum ſocietate mire delectantur, et quos mire diligunt. E ſuo cibo detrahunt, ut illos alant. Cum iter agunt, comportant ſecum aut humero, aut gremio. Cum aegrotant, conſortio inſeparabili ſet familiaritate catelli recreantur. Sunt quoque *canes muti* apud Indos, qui non latrant et vulpino vultu. Cozumella inſula hos alit. Quin et percuſſi nec gemitum, nec clamorem edunt. Hos in Hiſpaniola Oviedus ſtatuit pro Calamita rana. His natura eſt, nec opus ſunt membrana ex ſecundis caninis, nec fimus leporis, nec pilus. Superſtitioſe iſta Plinius obmuteſcendis canibus quaerit. Anonymus manuſcripti mei auctor, in Hiſpaniola memorat, fuiſſe canes parvulos, ſine latratu, ſolum cum grunnitu, et ſolum palato aptos. In Quivita maximi canes onerantur ſarcinis.

CAPUT II.

De Fele.

Ambroſin. l. 3. c. 10. Feles nomen a φῆλος impoſtor, fallax, quod aſtutiſſimum ſit animal, vel ab αἰλὶς, adulator, quod cum Aeolico digammate Fαιλὶς pronuntiabatur, ut maximo Salmaſio placet. Dicitur Latinis etiam Cattus, vel Catus, ſeu a capiendo, ſeu quod ſit cautus. Graecis vocatur αἰλυρὸς, παρὰ τὸ ἀιολεῖν καὶ ἀνάγειν τὴν ὀρὰν καὶ κινεῖν, quod caudam ſubinde moveat, eademque adblandiatur. Apud Suidam eſt αἰγίλυρος, alibi κάπτης. *Spatalem* etiam quidam cattum vertunt. In *deſcriptione* notiſſimi animalis non eſt, quod immoremur, obſervata circa Anatomiam ad finem capitis habebis. Ubique fere inveniuntur. Non fuiſſe aliquando manſuetos veriſimile eſt. In Iberia apud Tarteſſios naſci maximas, omnes auctores conſentiunt. *Veſcuntur* carnibus, piſcibus, muribus, avibus, lacertis. Bufones interimunt. In Cypro viperas, et chamaeleones venantur. Iunioribus etiam leporibus inſidias ſtruunt, nec propriae ſpeciei parcunt. Novimus hic Bononiae, inquit Ambroſinus, feles adultas cum parvulis primum colludere, deinde illis laniatis veſci. Vivunt ſex annos, aliquando decem, caſtrati plures. Quantum ad *generationem*, in Europa menſibus Ianuario et Februario plerumque exardeſcunt, in India omni fere anni tempore luxuriantur. Foeminae in congreſſu clamant, ſeu quod a fervido nimis ſemine adurantur, ſeu quod a mare unguibus laedantur. Mas ſtat, foemina ſubiacet. Foeminae plus libidine agitantur, quam mares. Gerunt foetum duo menſes lunares, ſeu dies ſex ſupra quinquaginta. Martio editus praefertur, Auguſto, propter pulices minus. Ut plurimum quinque vel ſex catulos enituntur. Foemina ſobolis eſt amantiſſima, mas inventam ſaepe interimit, ut foemina novorum catulorum deſiderio mota, morem iterum gerat. Exercent *inimicitias* cum quibusdam, ut muribus, bufonibus, ſerpentibus, vulpanſere, aquila, ruta, felle proprio, ſuavi odore, et humiditate. Ruta certe a columbariis pelluntur. Unguentorum odore aliquando in rabiem aguntur. Si aqua mergantur, nec ſtatim exſiccentur, pereunt. E contra Valerianae ſe libenter affricant, mentha cattaria delectantur. Foemina gravida, ſi mas interim occidatur, abortit. Circa *naturam* occurrunt quaedam ſingularia. Oculi enim felium ad Lunae vices modo maiores, modo minores evadunt, immo ſolis vices ſentiunt, et pupillas oculorum ſideris curſu mutant. Diluculo enim protenduntur, meridie in orbem contrahuntur, Sole occidente hebeſcunt. Cardanus male pupillas pro arbitrio contrahere et diſtendere

Nomen. *Locus.* *Victus.* Plin. H. N. l. 10. c. 63. *Generatio.* Salmaſ. in Solin. Ariſtot. H. A. l. 5. c. 2. *Sympathia et Antipathia.* Mizald. cent. *Natura.*

Felis sylvestris .
Wilde Katz .

Felis Domestica .
Zahme Katz .

Felis Zibetti . Zibet Katz .

Meles vel Taxus Canin9
Dachs .

Genetta .
Geneth Katz

Hyæna odorata Africana.



Catus zibethicus Americanus.

Tlaquatzin.

Mus Aquaticus.



Cercopithecus Sagovin Clusii

Mapach

Cercopithecus Barbato Clusii .

Ignavus sive Haut Clusii

Armadillo Genus Alterum Clusii .

Armadillo siue Aiatochtli .



dere protulit, quia nullos habent muſculos. Noctu medium illuminant. In ſaccis procul delati, redeunt. Mutante hoſpite aedes, easdem non deſerunt. Manu hominis demulceri ambiunt. De aſtu ita

Plin. H N. l.10. c. 73. Plinius: Feles quidem quo ſilentio, quam levibus veſtigiis obrepunt avibus, quam occulto ſpeculatu in muſculos exiliunt? Excrementa ſua effoſſa obruunt terra, intelligentes odorem illum indicem ſui eſſe. Adhibetur a quibusdam menſis, in Hiſpania inprimis, Hollandia, et Brabantia, ſaporeque leporinam referre dicitur. Peſtiferum halitum e-

Bruier. de re cibaria l.13.c.36. mittere, et tabem adferre Bruierinus haud ſine cauſa prodidit. Cerebrum inſaniam inducit, cuius aliquod exemplum in Uratislavienſi puella, in Weinrichio, ni fallor, liber nunc ad manum non eſt, invenies. Habet et *in medicina* locum. Pulvis *capitis* in olla cremati, et in oculos inſufflati caliginem abſter-

Porta Phytogn. l. 5. c. 26. Galenus ſimpl. l. 11. git, ſi Portae credendum. *Carnem*, corpori infixa tela extrahere, Galenus prodidit, haemorrhoidum quoque et dorſi doloribus medetur. *Iecur* uſtum et tritum, calculoſos ſummopere iuvat. *Fel* foetum mortuum extrahit. *Pinguedo*, podagrae illinitur. *Vrina* deſtillata ad ſurditatem valet. *Feces alvi* cum reſina et roſaceo permixtum et ſuppoſitum, muliebre profluvium ſupprimit. Evonymus prodit, quosdam anſerem pinguem, medicamentis et carnibus felium minutatim conciſis farcire cum ſale, et lento igne in veru aſſare, deſtillanteque liquore arthriticos feliciter inungere. *Adeps* in ferro a rubigine praeſervando

Differentiae. aliis non cedit. Quantum ad *differentias*, Cati alii ſunt *domeſtici*, alii *ſilveſtres*, alii *exotici*. Ex *domeſticis* Hiſpanici rapaciores ſunt, agiliores, et molliſſima cute teguntur. *Exoticorum* praecipuae ſunt *Syriaci*, qui varii, ore torvi, pectore toroſi, pedibus amplis, pauco cibo contenti. *Silveſtres* domeſticis ſunt maiores, denſiore et longiore pilo, colore fuſco, cauda craſſiore. Veſcuntur aviculis, et aliis animalibus. Suffitu rutae ab arboribus depelluntur. De illis, qui in Malabar ita *Scaliger*: In Malabar provincia feles agreſtes ſupra arbores verſantur, quarum celeritate nihil unquam memorabilius proditum eſt. Saltu valere potius. Peculiaris vero volatus. Idque, quod mirum magis eſt, ſine alis. Membranam ab anterioribus ad poſteriores usque productam tendi. Quam, dum quieſcunt, ad alvum contrahunt. Ubi volare inſtituunt, pedum crurumque agitatione protenta collectaque membrana, dum ſuſtinent, tum feruntur. Eſt et in India genus quoddam, pilis veſtitum nigris et promiſcue candentibus. Roſtrum ei eſt longum, auriculae parvae, crura brevia, cauda faſciis nigris candidisque interciſa. Pulvis febrientibus conferre dicitur. Huc pertinent et monſtroſi, quorum unus, pedes habet horendos, alter ſex. Feli ſimile eſt animal in regione Singui, pilo cervino, pedibus multifidis, dentibus in utraque mandibula binis, duorum digitorum magnitudinis. Veſicam habet carneam, prope umbilicum, ſanguine plenam, quae moſchum redolet. Iconem adpoſuimus cuiusdam animalis feli ſimilis, quod caput in ſuprema parte valde acutum habet. Appellamus felem ἐξυκεφαλὸν. Obſervationes Anatomicae, quas apud M. Aurelium Severinum invenimus, quasque ſuperius promiſimus, aliae felem ſectum, ut ipſe ait, aliae muſculum concernunt. In fele ſecto hae ſunt inſigniores. *Lienis* oblongi veluti remi noſtratis pars, quae ad aquas ſpectat. *Cervix* veſicae fellis veluti varicoſa non ſemel vel bis, ad fundum eius rectae deſcendunt venae extrinſecus procurrentes. Bini nervi a lateribus *aſperae arteriae*, utrinque unus, deſcendunt ad orificium ventriculi ſuperius, qui interim ad dicta latera aſperae arteriae et ad pulmones mittunt ramuſculos. Nectuntur dicti nervi communi nervulo oblique deſcendenti, a ſiniſtro inferuntur in ventriculum pluribus fibris. Ubi primum finditur aſpera arteria, adpa-

Scalig. Exerc. 217.l.9.

Nieremb. Hiſt. Exot. l.9. c.30.

M. Paulus Venetus l. 1. c. 62.

M. Aurel. Severin. in Zootomia Democrit. p. 309.

adparent nonnullae *glandulae* maiores, et parvae albae, rubrae, cineritiae, miſtae. In *aſpera arteria* ſemicirculi, ut in homine diviſi, ſed parte poſteriore duplici tunica comprehenſi: Altera quidem externa et carnoſa, altera vero interna et nervoſa, quae interna, naſcitur ab extremis circulorum marginibus. In *corde* auriculae differentium colorum, dextra quidem albo et atro diſtincta magis, quam ſiniſtra, praeterea dextra craſſior et rotundior, ſiniſtra tenuior et oblongior, caninae ſimilis. Ambae intus cavae et filamentoſae veluti ſinus cordis. In ſinu dextro plexus reticularis magis, quam in cane conſpicuus et prolixus, ſed contra in hoc non valvulae, ſicut in cane. *Arteria magna* fere in medio cordis, magis tamen ad ſiniſtram declinat. Interna tunica *ventriculi* ſatis rugoſa, rugis ſecundum ventriculi ductum procedentibus, et in rotundum replicatis, veluti in ventre bovis. Tunicae ventriculi tenaciſſimae, adhaerentes ab orificio ſuperiori ventriculi, tunica interna rugis transverſis diſtincta. Color *hepatis* veluti caniculae piſcis. In oſſe *auris* cochlea, labyrinthi, feneſtella, annulus, muſculus rotundus, tria oſſicula, ſed ſtapes non perforata, ut Caſſerius deſcribit. In *cerebro* ſinus tres, ſed duo circulares cum plexu choroide. In *oculo* uvea parte anteriore non cohaerens corneae, hinc dilatatio huic generi maiori minor. Ea parte eſt uvea colore pallidi folii. Opticus fere ad medium, quamvis declinet ad inferiora, membrana externa craſſa oculum aliqua parte velans, ut in gallinaceo genere. At in *Fele maſculo*, hae obſervationes occurrere. Extra abdomen, inferne ſupra pubis os, prodeunt per duo foramina, *vaſa ſpermatica* ad teſticulos deſcendentia, qui teſticuli per mediam membranam cuti alligantur a lateribus penis, qui *penis* medio digito longus, inferne fulcitur muſculo oblongo deſinente ad medium penis vel amplius, fulcitur etiam muſculo oblongo deſcendente ad medium ſpatium muſculi ſphincteris, cuius officium eſt, anum claudere. Linea alba lata digiti tertia parte per rectum abdominis deſcendens, ſubiacet muſculis peritonaei, membrana in hoc animali tenuiſſima: *Peritonaeum* ſub enſiforme ſatis pingue. *Omentum* praepingue alligatum fibrae uni dextrae hepatis, et ſpleni et ventriculo, et inteſtino duodeno, ad figuram marſupii, ſeu ſacculi cuiusdam conſtitutum. Alligata *veſica* peritonaeo ſuperne, ad fundum vero alligata inteſtino inferne recto. *Teſticuli* quatuor tunicis ſunt recti, prima, quae dicitur ſcrotum, id eſt, burſa externa teſticulorum, ſecunda dicitur dartos, etiam externa: Tertia dicitur erythroides, id eſt, rubra, quae propinquior eſt praedictis, quarta vero eſt immediata. Deſcendunt ad teſticulos *vaſa praeparantia ſemen*, et ſunt venae et arteriae. Venae quidem, quae deſcendunt a vena cava, et arteriae, quae deſcendunt ab arteria magna, et iſta vaſa, poſtquam attingerint proxime teſticulos, conſtituunt corpus quoddam, quod dicitur epididymis, corpus, ſive ſubſtantia ſub teſticulis poſita. Vidimus *vaſa iaculatoria* ſive deferentia dicta propterea, quod deferant ſemen in teſtibus praeparatum ad glandulas paraſtatas, quae deferentia primo oriuntur ab infima parte per medium teſticulorum et vaſibus praeparantibus annexa uſque ad medium ipſorum recurvantur ac reflectuntur, donec pervenerint ad paraſtatas; vidimus et *ureteres* deſcendentes a parte ſima ſeu concava renum ad collum veſicae, et praecipue ubi deſinit ipſum collum. Vidimus et *venas emulgentes* ad renum tendentes partem gibbam, ambas naſcentes e trunco cavae, ſed altior ſiniſtra, quam dextra altitudine medii grani hordei, et eadem ſiniſtra longior fere duplo eſt, quam dextra. *Inteſtinum rectum* colligatum caudae principio per medium ligamentum. Habet inteſtinum rectum, venas et glandulas quasdam miliares aſperas, quae in cane nobis alias ſunt obſervatae. Vidimus *menſenterium* et venas meſeraicas etiam *pancreas*,

creas, id eſt, corpus glanduloſum. Vidimus et *inteſtinum caecum* latitudine pollicis longum. Praeter inteſtinum rectum et caecum, totum, quod reliquum eſt inteſtini, uniforme eſt, ſed tortuoſum, adeo, ut ſi violentius extendas, fere diſrumpatur. *Renes* perampli, magnitudine nucis maioris, intra quos paucae cavitates ſunt et ſinus, non ut in cane, in quibus percolatur urina. Vidimus et *venam portam* facientem duo ramos, unum quidem meſentericum, id eſt, ad meſenterium propagatum, quique deſcendit usque ad extremum inteſtini recti. Alterum vero ſplenicum, id eſt, tranſmiſſum ad ſplenem per totam eius internam partem, recta via diſtributum per multos ramos hinc inde. A dicto ramo ſplenico derivatur alter coeliacus ſic dictus, quia ventriculum circumplectitur, hic ducit humorem melancholicum ad ventriculum, ut poſſit adpetere. Vidimus *venam aſcendentem* perforare diaphragma et cor petere, in cuius partem dextram ſe inſerit. Vidimus et *venam ſine pari* ramificatam ac propagatam, a dicta vena cava iuxta cor reflexam et deſcendentem, per ſpinam a parte dextra, quae ramos mittit, coſtis dextris ad ſiniſtras, ad ipſas nutriendas. *Hepar* ſex fibris diſtinctum. Medio duarum a parte dextra egreditur foras *fel*, ita, ut fundus inter duas, ad modum prominentis oculi adpareat. Dicta *veſicula fellis* habet duos ramos, alterum, qui derivatur ab hepate in duodenum inteſtinum ad expellendas feces, alterum, qui recurrit ad veſicam, ut ibi contineatur. In *inteſtino duodeno* digitis quatuor infra poros cholidochos, inventus lumbricus quidam parvulus magnitudine ureterum. A lateribus venae cavae aſcendentis, deſcendit *nervus* quidam ad circulum carnoſum diaphragmatis, alter vero a ſiniſtra deſcendit fultus membranis aſperae arteriae, deportantes ſenſum diaphragmati. Vidimus *nervos recurſivos*, qui a ſexta nervorum coniugatione propagati ad caput aſperae arteriae inſeruntur, alter quidem a ſiniſtra revolutus ſurſum circa arteriam magnam, et alter circa arteriae ramos, qui tendunt ad iugulum, cor cum duplici auricula, dextra et ſiniſtra, dextra maior et ſubnigra eſt, ſiniſtra vero concolor cordi. Habet *cor* ventriculum dextrum, in quo generatur ſpiritus vitalis, ſiniſtrum, ad quem ducitur ſanguis venalis: Habet et quatuor *vaſa magna*, primum eſt *vena cava* aſcendens, quae inſeritur in auriculam dextram, *arteria magna*, quae inſeritur in auriculam ſiniſtram. Tertium *vena arterialis*, vena quidem dicta, quoniam continet ſanguinem, arterialis vero denominata, quoniam conſtat dulplici tunica, quam habet veluti arteria. Inſeritur haec in pulmonem, ut illum nutriat, quartum eſt *arteria venalis*, quae inſeritur ad ſiniſtrum ventriculum cordis, cuius officium eſt, ſanguinem in dicto ventriculo praeparatum ducere ſurſum ad cerebrum, ad generationem ſpiritus animalis. In ventriculo dextro ſunt *valvae* quaedam ſive ſepta, quae impediunt exitum ſanguinis, ſic etiam ſunt in ſiniſtro. Habet *pulmo* pinnas ſex. Viſi ſunt muſculi interni circum *laryngem*, id eſt circa caput aſperae arteriae, quibus inflammatis fit vera angina. Adparuerunt in radice penis *glandulae proſtatae*, quibus inflammatis fit gonorrhoea Syphiliaea, quae ſunt paullo maiores: Eſt *penis glans*, id eſt, caput, velut lingua ipſius felis. Obſervavimus meatum, qui ducit ad veſicam. Felis *cranium* lineis quibusdam rubris diſtinctum venarum ſimilibus. *Auricula* interior cumprimis exſculpta: Hoc enim organo non vulgariter opus erat eidem ad noctu praedandum, ſicut et viſu. In hoc obſervata communio arteriae magnae et venae magnae, ubi ſcilicet primum usque ſcinditur in iliacos. Credo commune animantibus omnibus, quod obſervavi in medulla ſpinae felis domeſtici. Membranis enim propriis cum integatur ſecundum extrema, quae reſpondet durae menyngi, interior,

rior, quae tenui veſtiunt, et haec prodeuntes naſcentesque ex ſe ipſis nervos: Verum cum in plures veluti funiculos prodeant ſingulae harum coniugationes, licet adnotare, dictos funiculos, poſtquam aliquantiſper proceſſerint, mox in unum quaſi nodum coire, non diſſimilem a geniculis culmorum in plantis frumentaceis et id genus. Porro cum ſinguli funiculi iisdem membranis tegantur, ſi retrahas ad te harum ſubſtantiam, ſpoliantur funiculi, quoad nodum illum pertingant. Obſervatus in *coſta* una legitima felis domeſtici, nodus quidam teres ſimilis tuberibus, qui innaſcuntur arboribus, cuius dirupti meditullium poroſum crebrisque foſſulis ſpertuſum cum guttulis ſanguinis. Dubitatum inter ſodales ſectionis, num fractura oſſis ferruminata, num error in formatione, luxuriante materia. Homini in ſima parte oſſis frontis, quae interiacet, aeque duo ſupercilia incubant rectae naſi radici: In hac ſi effoderis vel terebra os pertuderis, invenies foſſulas duas oblongas, oblique incedentes ſub cranio parte ſuperiori, caecas inferne cancellis donatas. Nullus dubitari poſſe videtur, eſſe has cameras olfactus, ubi concluditur implantatus ſpiritus, ut et in aure. Neſcio ſiquidem, quid de eo ſenſerint Anatomici, credo incompertas huc uſque. Porro confirmat ſententiam noſtram, quod in cane ſenſu hoc eximie pollente ſunt hae cryptae, et latiores et magis conſpicuae, quam in homine, in ſimia autem caudata non licuit invenire, fortaſſe, quod eo ſenſorio praeſtare minus debuiſſet.

Laub frosch .

Laub frosch .

Laub frosch .

Rana . Frosch .

Rana .

Frosch .

Rana .

Frosch .

Krötte .

Bufo . Krötte .

Bufo .

Bufo Caudatus

á Circulatoribus fictus





Lacerta .

Eÿdexen .

Lacerta Chalcidica flexuosa .



Lacerta .

Lacerta Biceps

Lacertus Biceps

Lacertæ Viridis Liguro Bononienſibus

Lacertæ Viridis Caudâ bifurcâ .

Lacertus Viridis exiccatus Caudâ bifida .



Lacertæ et Stelliones



Lacertæ et Stelliones .



Lacertus Cÿprius Scincoides .



HISTORIAE NATVRALIS
DE
QUADRUPEDIBUS
LIBER IV.
De Quadrupedibus Digitatis Oviparis.
TITULUS PRIMUS
De Digitatis oviparis cute tectis.
CAPUT I.
De Rana.
ARTICULUS I.
De Ranis aquaticis.

Ambrosin. De Digit. Ovip. l. 1. c. 1.

HActenus de Quadrupedibus viviparis egimus, sequuntur Ovipara, quae vel *cute* teguntur, vel *crusta*. Cute autem teguntur, *Ranae, Lacerta, Salamandra, Stellio, Scincus, Cordylus, Chamoeleon, et Crocodilus*. Rana alia est *Aquatica*, alia *Terrestris*. Illa a sua garrulitate Isidoro dicitur, quod aestivis diebus suum ra ra perstrepat, aliis a רך Ebraeo, quod est vehementer exclamare. Graecis dicitur βάτραχος, παρὰ τὸ βεὴν τραχεῖαν ἔχειν, quod asperam vocem edat. Vocatur Varino et βαὺξ, βόρταχος, βρέταχος, βύρταχος, βρόταγχος, καμψίας, κοὰξ, βλίκαρος, Cypriis βρύχετος, Ionibus βάθρακος, Phocensibus βριαγχόιη, Ponticis βάβακος, modernis Graecis βόρδακος sed et γυρῖνος, pro eadem simpliciter apud Ethymologum sumitur. Varino etiam βρῖκοι et παρφυσίδες, ranae sunt, quod buccas inter clamandum inflare soleant. Animal est amphibium, cuius pars prior carnosa latitudine caret, natura, portionem carnosam posteriori parti, in qua *crura* posteriora crassa et longa, anteriora brevia sunt, addente. *Digitos* habet quinos, longos, membrana intertextos, ut commodius natare possit. Foemina mare maior.

Nomen.

Descriptio.

Aristot. Hist. A. l. 4. c. ult.

Terga caput tangunt, colla intercepta videntur,
Spina viret, venter pars maxima corporis albet.

Ovid. Metam. lib. 6

Internas partes si attendas, *linguam* illis instar linguae infantium primam adhaerere, intimam vero a gutture absolutam Plinius scribit. *Lienem* esse parvum. *Hepar* secundum Bellonium in tres dividitur lobos, sub quo una utrinque pulmonis pars conspicitur, spumosa et minime sanguinea. *Intestina* nodulis intercepta sunt. *Testes* et reliqua membra animalium terrestrium membris similia. In Anglia virides non conspiciuntur. In Germania, Italia, Bononiensi inprimis territorio plurimae sunt. In irriguis Aegypti locis tam frequentes, ut nisi a ciconiis vorarentur, omnia foedarent. In Cyrenaica et Seripho insula mutas esse dicunt, forte propter aquarum frigiditatem. Etsi vero et in fluentis adpareant, libentius tamen in illis aquis versantur, in quibus iunci et arundines viresc unt, et ulva crescit. In illis, qua nunquam gelu concrescunt, omni tempore reperiuntur, ne dicam de bituminosis, in quibus eas viscositate sua naphata obruit. Deglutiunt innatantia animalcula, vorant et apes talpasque mortuos. Herbis quoque

Plin. H. N. l. 11. c. 37.

Locus.

Victus.

Arist. H. A. l. 9. c. 40. *Generatio.*

veſci veriſimile. Permiſcentur mare ſuperveniente, quod apud Ariſtotelem legimus, prioribus pedibus alas foeminae adprehendit, poſterioribus clunes, deine ova pariunt. Plinius carnes nigras partu edi ſcripſit, quas oculis et cauda inſignes gyrinos vocavit, formam raninam adipiſci, dum cauda in duos poſteriores pedes finditur. *Mirumque* addit, *ſemeſtri vita reſolvuntur in limum nullo cernente, et rurſus vernis aquis renaſcuntur, quae fuere natae, perinde occulta ratione, cum omnibus annis id eveniat.* Sed id de temporariis potius ſumendum eſt. Nam de quibus agimus, etiam hieme in aquis calidioribus durant, et vere veteres natantes conſpiciuntur. *Ova* circa ripas ſtagnorum et paludum effunduntur, continuo veluti filo ſibi cohaerentia, quae nigrarum et conciſarum carnium ſpeciem referunt. *Antipathia.* Chymici ſperma ranarum adpellant. *Odio* proſequuntur ciconias, cygnos, buteonem, ſalamandram, putorium, lucium piſcem, anguillam et ignem. A *ciconiis* devorantur. *Cygnus*, Michaele Glyca auctore, ab affectione quadam eſu earum ſibi medetur. Cum *ſalamandris* ſaepiſſime praeliantur. De *lucio* et *anguilla* res notiſſima eſt. Noctu accenſis circa littora luminibus non coaxant, immo loco non moventur, et facile manibus capi poſſunt. *Vox* ipſarum eſt βρεκεκὲξ, κοὰξ κοὰξ: Ariſtoteli autem ὀλολυγὼν vox dicitur, quam ranae mares effundunt, dum foeminas ad congreſſum vocant. Quando laeduntur, Alberto prodente, vocem inſtar formidantis muris exilem reddunt. In Cyrenaico agro non erant olim vocales. Illatis e continente vocalibus durat earum genus. In Seripho quoque, et quodam Theſſaliae lacu mutas, apud Aelianum legimus. Caro ipſis natura laxa, albida, humida, et putredini obnoxia. Ideo quibus frequenter in uſu, colorem amittunt, et in febres incidunt. Menſe Auguſto, ita compreſſa habent labia, ut difficulter aperiantur, ſi Alberto credimus. Ubi diutius pectori incumbunt, latere ſubtus aquam, Mizaldus colligit. Niſi aliquamdiu reſpirent, ſuffocantur. Quia aquas tepidiores amant, ideo aeſtivis duntaxat menſibus coaxare ſolent, et adventante hieme occultantur. Busbequius dum Strigonium properaret, menſe decembri coaxantes audivit, quod aqua in quibus degebant, minerae ſulphureae vicinia incaleſcerent. Cum pluvia imminet, clamoſiores fiunt, ſeu quod frigidorem ſentiant, ſeu quod dulcioribus impenſe delectentur. Diu ſub aqua urinantur, quod exiguum pulmonem habeant. Brumali tempore interire, et vere iterum renaſci a quibusdam creditum, latere, et terra condi vel inde certiſſimum, quod verno tempore non ſolum ranarum foetus, ſed et ranae compareant. Noctu et quidem in ſicco congrediuntur, non tam ob verecundiam, quam timorem. In Aegypto, dum natricem ſibi occurrere vident, fruſtrum arundinis obliquum adprehendunt, ne deglutiantur. Ab iis civitatem in Gallia pulſam, Plinius prodidit. Marem a foemina ſi diſcernere volueris, dorſum acu tange. Ex mare rubeus ſanguis ex foemina, flava aqua effluet.

Quo in *cibis* habendae eſſent loco, *Uſus in Cibis.* Galenus non indicavit. Facile digeri, et bonum praebere ſuccum, frigidum tamen et humidum, vulgata eſt ſententia. Nullo olim apud Romanos in uſu. Hodie totum corpus, capite abiecto, aſſum vel elixum adponitur, a menſe inprimis Maio ad Octobrem. Coxae inprimis laudantur. Mundella in frigidis innocentiores putat, et cum a Venere abſtinent. Amatus Luſitanus omnes, quia venenatae, a menſis arcet. Praeparationem vide apud Ambroſinum.

Et tota et partes variis affectibus *Uſus in Medicina.* pellendis inſerviunt. Sugillationibus impoſitae livorem auferunt. Maxillis adligatae dolorem dentium, in aceto decoctae mobilitatem. Succus cum eodem anginam tollit, et tonſillis proderſt. Eodem remedio certo ſtrumae delentur, ſi Porta non fabulatur. Pulpa earum phtificis, cum carne caponis, pineis, et ſaccaro exhibetur. In oleo elixa nervorum dolores emollit.

In

Ariſtot. H. A. l. 5. c. 3.
Plin. H. N. l. 9. c. 51.
Ariſt. H. A. l. 7. c. 14.
Mizald. Cent. 9. Memorab.
Vox.
Plin. H. N. l. 11. c. 51.
Ariſtot. H. A. l. 8. c. 28
Plin. H. N. l. 8. c. 58.
Aelian. H. A. l. 3. c. 37.
Natura.
Mizald. cent. 8. Ariſt. H. A. l. 8. c. 2.
Aelian. H. A. l. 9. c. 13
Plin. H. N. l. 18. c. 35.
Plin. H. N. l. 11. c. 37.
Aelian. H. A. l. 9. c. 13
Plin. H. N. l. 8. c. 29.
Uſus in Cibis.
Uſus in Medicina.
Galen. l. 9. de compoſ. medic. ſecund. loca.

In omni virulento animalis morſu vehementer a Dioſcoride, Aetio et aliis commendatur. *Cinis* combuſtae adeo ſanguinem ſiſtere Galeatius de S. Sophia prodidit, ut cum quidam eum collo gallinae alligaſſet, amputato poſt eiusdem capite, nihil ex vulnere ſanguinis profluxerit. Habdarrhamanus Aſiutenſis in nares inſufflari in haemorrhagia iubet. Idem in plumbeo vaſculo cum oleo lilior interemtam, cum unguento roſaceo contorſionem vultus ſanare ſcribit. Oleum quomodo paretur, vide apud Ambroſinum. In doloribus articulorum a materia calida vehementer laudatur. *Partes* ſi attendas, *oculi* in ſindone contra lippitudines in collo ſuſpenduntur. *Cor* febrium algores minuit. Alii in febribus ardentibus ad cor adligant. Contra fiſtulas cuidam profuiſſe, apud Villanovanum habemus. *Pulmo* per tergus extractus, folio braſſicae involutus, et in olla concrematus, epileptico exhibitus opitulatur. Alii id de iecore ſumunt. Hoc certe remedio Elector Palatinus reſtitutus dicitur. Pulvis *iecoris* in acceſſione quartanarum utiliter ſumitur. Plinius, obiici formicis oportere ſcribit eam partem, quam adpetant, contra omnia venena eſſe pro antidoto. *Fel* dyſentericis remedio eſt, et vermes in ulceribus naſcentes interimit. *Adeps* auribus inſtillatus, dolores tollit. *Sperma ranarum* in eryſipelate, et aliis inflammationibus vehementer eſt utile, haemorrhagiam conprimit, ſcabiem et impetiginem pellit. Quercetanus aquam in rubore faciei commendat. Modum eius parandi vide ibidem. Baculus quo rana a ſerpente excuſſa fuerit, parturientes adiuvare dicitur. De *lingua* fabuloſa *Plinius*. Democritus, *inquit*, tradit, ſi quis extrahat ranae viventi linguam, nulla alia corporis parte adhaerente, ipſaque dimiſſa in aquam, imponat ſupra cordis palpitationem mulieri dormienti, quaecunque interrogaverit, vera reſponſuram.

Aetius l. 13 c. 55.

Habdarrham. de propriet. Animal. c. 41.

Plin. H.N. l. 32. c. 10.

Harim. in Praxi Chymiatr.

Plin. H.N. l. 32. c. 5.

Plin. l. c.

Quantum ad differentias, variae illae ſunt. Excluduntur quaedam ex ovis, quaedam ex limo, quod in Aegypto accidere Diodorus Siculus prodidit. Sunt virides, ſublividae, cinereae. In Stochornii Bernenſium montis duo ſunt lacus, in quibus ranae magno capite et cauda longa conſpiciuntur. Praecipuam differentiam in initio articuli dedimus.

Differentiae.

ARTICULUS II.

De Ranis Terreſtribus.

PUNCTUM PRIMUM.

De Bufone.

Ranae Terreſtres ſunt *Bufo*, *Ranunculus viridis*, et *Rana temporaria*. Quem nos hic Bufonem, forte quod in adpropinquantes maximo impetu ſpiritum efflat, vocamus, is etiam *Rubeta*, quod inter rubos frequenter verſetur, dicitur. Graeci φρύνον vocant, Ariſtoteles φρύνην, Ethymologus φρύνεον, forte a φρὴν mens, quod venenum caput petat, et vertiginem inducat. Niſi ἀπὸ τοῦ φρυγάνου, ſeu frutice derivare volueris. Chryſippus quidem apud Plinium Phryganion febribus quartanis adligatum remedio eſſe autumat, ſed animal non deſcribit. Luciano eſt φύσαλος quod leviter contactus mirum in modum turgeſcat. Qui μυξῶν, adpellant, falluntur.

Ambroſin. l. 1. c. 2. *Nomen.*

Plin. H.N. l. 30. c. 11.

In eius deſcriptione, non eſt quod multum immoremur, quia vulgare eſt animal. *Cutim* habet denſiſſimam, et adeo craſſam, ut ſaepe nec acutiſſimo quidem palo perforari poſſit, lurido colore perfuſam, maculis veluti quibusdam puſtulis aſperam, *ventre* turgido et inflato,

Deſcriptio

inflato, unde *ventroſus* vocatur. *Capite* craſſo, *dorſo* lato. *Pilis* ca-
Lacus. ret. *Amphibium* eſſe animal ſcripſit Plinius, ſed forte de paluſtri accepit. Opacis nemoroſis cavisque, ac putridis locis gaudere tam certum, ac incertum, in Hyberniam illatum, ſola pulveris aſperſione interire. Non haberi ibidem, a quibusdam proditum.

Cibus. Terreo humore, herbis, lumbricis et apibus veſci notum. Tantum vero ſingulis diebus terrae abſumere, quantum anteriore pede comprehendere poſſit, a vulgo quidem creditur, ſed nullo experimento fultum. Ob victum γηΦαγος a Graecis dicitur. Sub ſalvia ſaepe ſtabulari, una et altera hiſtoria comprobavit. Periere ſubito, qui de-
Mizald. Cent. 1. memorab. guſtaverant, ut a Mizaldo et Pareo proditur. An vero ea veſcatur, ignotum.
Pareus l. 20. c. 24. Naſcitur ex ovis et materia pu-
Generatio. trida. Ex cremati pulvere ſepulto emergere, proditum. In Dariene, ſi Petro Martyri credimus, ex guttis dextra mancipiorum manu cadentibus, dum pavimenta irrigantur, gignuntur. Ex anate ſepulta idem fieri, Reuſnerus canit, ex
Porta Magiae Natural. l. 2. menſtruo ſanguine Porta, cum mulieres aliquando rubetas enixas fuiſſe, legamus.

Sympathia et Antipathia. Inimicitia ipſis intercedit, cum *ſale, gravi odore, et odore florentis vineae* ex inanimatis, cum *fele, talpa, araneo* ex animalibus. *Sale* conſperſus, ad oſſa uſque conſumitur, ſi Alberto credimus. Rutae, naſturtii, et hiſce ſimilium ſi urantur odore pelluntur. De florentis vineae odore idem affirmatur. Cum *fele* dimicat et interimitur. A *talpa* devoratur, ut et haec ab illo. *Aranei* ictu interit. Affixerat ſe cuiusdam ſupine dormientis ori arcte, oppreſſiſſetque hominem, niſi tertio aranei ictu interrire coactus fuiſſet. De *Sympathia* nihil ſingulare occurrit, praeter id, quod de ſalvia diximus. Muſtelam in os rubetae illabi, a viris fide dignis Porta ſe accepiſſe ſcribit. Plantagine contra morſus araneorum ſibi mederi, apud Plinium alicubi extat.

Natura. De *Natura* et *moribus* habe, hieme et interdiu latitare, noctu vero Aelian. H. A. l. 8. c. 34 per loca ab hominibus trita vagari, noctu potius, quam de die vivere, immo a ſolari ſplendore abhorrere, tardo gradu incedere, aliquando ſalire, ſaepius verberatum, inflato Agricola de animal. ſub terra latentibus corpore, virus primo ex clunibus emittere, mox guttas quaſdam male olentes effundere. Solet herbas ſaliva inficere, quae non minus eſt lethalis, quam napellus. Solent ſonum gru gru gru edere. Pluviam, dum veſperi e cavernis egrediuntur, praeſagiunt.

Venenum. Paucum venenum et mite habere, ſcripſit Albertus, quod forte de iis, qui in frigidioribus regionibus degunt, ſumendum eſt. Illorum, qui in calidioribus, primi generis eſt. Sal ipſe, quo bufo extinctus eſt, ſi in aqua diſſolvatur, ita eam inficit, ut linteum vel induſium ea madefactum, incurabili ſcabie hominem inficiat. Si detrahere volueris, vel pellem punge, vel virga exagita, vel ſuperficie punctam in aquam coniice. Virus infecta evadit. Infectus, tumore, pallore, ſingultu, ſpirandi difficultate et gonorrhoea afficitur. Aliquando dyſenteria, gutturis inflammatio, et vertigines accedunt. Fuit, qui canna, qua bufo infixus fuit, ita proprias manus infecit, ut tractatum iis cibum ſubinde evomeret, nec citius vomitus ceſſarunt, quam ex aliorum manibus ſumſiſſet. Qui evadunt, edentuli plerumque fiunt. *Medelam* multa ſuppeditant, inter haec praecipue. Cancri fluMizald. Memor. Cent 3. viatiles triti et poti, cinis rubetae, cornu cervi dextrum, lac muliebre, ſaliva hominis ieiuni, radices arundinis, poterion herba, quae et phrynion in vino exhibita, terra Melitenſis Smaragdus, Theriaca et extra, oleum de ſcorpionibus. Sunt, qui ipſius bufonis lapidem extollunt. Mithridatium, et quintam eſſentiam theriacalem his adde.

Vſus in Medicin. Noxia etſi beſtia bufo, et venenata, multum tamen contra vene-

na,

na et alia prodeſt. Marcellus eum cum adipe urſino in olla rudi pro arthriticis coquit. Oleo, in quo decoctus eſt, ſtrumis feliciſſime inungitur. Diſſectus, et renum regioni adplicitus, lotium provocat. Servatos hoc remedio quosdam hydropicos ferunt. Coctus et emplaſtri inſtar cynanchicis impoſitus, certo liberare dicitur. Idem filum, quo ſuſpenſus erat facere apud Mizaldum legimus. Pinguedo exenterati, et radice laureolae, ſtercore gallinae, ſale, et unguento dialtheae infarcti, inter aſſandum cadens fiſtulae bene inunguntur, pulvere vero ita ad combuſtionem aſſari, aſperſo, optime curantur, ſi Arnoldo fides eſt. Exſiccatur in umbra et in manu linteolo involutus detentus, haemorrhagiam ſiſtit. Cinere nimius haemorrhoidum fluxus certiſſime curatur, Nicolaus emplaſtrum ex eo format. Alii arefactum, tanquam amuletum, contra peſtem collo appendunt. Crollius pulverem contra quoscunque venenatos morſus aſpergit. Quidam in ulcere cancroſo bufonem craſſum ſumit, in bilance ponderat additque eiusdem ponderis cancros vivos, deinde in olla rudi, diligenter luto munita, relicto tamen exiguo foramine, lento igne urit, et pulvere feliciſſime utitur. Helmondus a Butlero Hiberno edoctus, ex bufonis cadavere, et terra ac animalculis, quae ad focum ſuſpenſus intra triduum in patinam ceream evomere ſolet, trochiſcos cum tragacantho, et cerea illa patina format, qui ad mammam ſiniſtram geſtati contagium arcent, et loco alligati virus extrahunt. Recentes ſunt minus validi, validiores, qui ante in uſu fuere. Bufo, menſe Iunio poſt meridiem capiebatur. Idem Iulio menſe, decreſcente luna bufones coepit, quorum oculi, *verba eius ſunt*, ſcatebant albis vermibus, nigrisque capitibus prominentes, adeo, ut uterque oculus totus in vermes transformatus eſſet, fortaſſis L. numero, in ſingulo oculorum foramine erant denſe compacti, quorum capita foris eminebant, et quoties aliquis egredi vel prominere conaretur, ſtatim bufo, appoſita manu, egreſſum vetabat. Animalcula, quae evomuit erant muſcae nitentibus alis, ſubviridi colore quaſi decoratis. Mox a vomitu obiit. *Pedes* viventis, Luna vacua et ad ſynodum properante abſciſſi, ſtrumas curant, ſi eis collum circumdetur. De bufonis lapide agemus alibi.

Mizald. Cent. 8. Memor.

Arnold. l. 3. Brev.

Helmond. in Tumulo peſtis pag. 76.

In inſula novi orbis Peragua, Hiſpanus coctos bufones, fame premente ediſſe, Petrus Martyr auctor eſt. Lerius, Braſilianos minime exenteratis, et toſtis veſci prodidit. Uſtus falconi in cibo datur, ne pennae a tineis exedantur, prohibet. Sunt, qui novo fictili incluſum in medio ſegetum obruunt, et ſic noxias tempeſtates arcent. *Officulum* dextri lateris ad venerem concitandam alligabatur.

Vſus in cibis, et aliis.

Martyr. Decad. 3. l. 10.

Differentiae a loco, figura, et mole corporis ſumuntur. *Locum* ſi attendas, reperiuntur quidam in ſacrorum commiſſuris. Snebergae et Mansfeldii eductus primo turget, mox perit. Tholoſae in ſaxo arenario rubro albis maculis diſtincto reperitur. Latomus quidam Antverpianus, in marmore invenit. Agricola in illis, ex quibus lapides molares fiunt reperiri ſcribit, et antequam formentur bene conſiderari an lateant, debere. Idem eundem πυρίφρυτον vocat. De *figura* et *mole corporis* ita Ambroſinus ſcribit. Oviedus in ſummario Indiae etc. p. 608. *uſque*, quia non clamet, niſi laedatur. Geſnerus gibboſi bufonis meminit, cuius iconem damus.

Differentiae.

CA-

PUNCTUM II.

De Ranunculo viridi, et Rana temporaria.

Ambroſin. l. 1. de ovipar. c. 3.

Ranunculus viridis, vocatur Plinio *rana minima et viridiſſima*, aliis *calamites*, quod inter arundines et calamos verſetur, Iſidoro *Agredula*, quibusdam *Rana ſilveſtris*, quod ſilvis delectetur, vel ad differentiam ranae viridis, quae editur. Graecis eſt μάντις, quia ſua voce imbres praeſagit. Aliis δρυοπετὴς, δρυοβάτης, quod per arbores incedat. Quibusdam διοπετὴς, quod quaſi de coelo delabi videatur. Hermolaus δρυόφυτην vocat, δρυόφυτον forte dicere voluit, id eſt, quaſi in arbore natam. Vocantur et βρίξαντις, ob vocem, quam edunt.

Deſcriptio. Ita eam Ambroſinus deſcribit. Rana haec ubique viridi colore perfuſa eſt, praeter pedes etc. vide Ambroſin. p. 622. *uſque* caeteras fugat.

Uſus. Conducit ad multos affectus. A tuſſi liberari, qui in eius os exſpuerit Plinius auctor eſt. Extinguit febrile incendium, ſi manu detineatur, Sylvius. Guainerius pro hecticis gallinas pulte ex farina hordei et carne eius elixa nutrit, gallinas aegro praebet. Timotheus per medium diſſectus renibus hydropicorum adplicat, et aquas educit. *Iecur* in pellicula gruis ligatum, venerem concitat, ſi Plinio credimus. Adeps, ſi denti dolenti illinatur, frangit eum. *Cruor* veſtigiis pilorum a genis evulſorum inſtillatus, renaſci eos prohibet. Marcellus acu cuprea ranunculum pungit, et ſanguine inde manante loca, pilis revulſis inungit.

De *Rana temporaria* Ambroſini verbis agemus. Ita vero ille de ea. Ex differentia huic ranae addita, unuſquisque coniicere poteſt, hoc animal etc. p. 623. *uſque* ducentes diu vivere nequeunt. Ambroſin. de Digit. Ovip. l. 1. c. 4.

CAPUT II.

De Lacertis.

ARTICULUS I.

De Lacerto vulgari.

Ambroſin. de Digit. Ovipar. l. 1. c. 5.

Nomen.

Lacertus ſeu Lacerta, nomen a lacertorum humanorum ſimilitudine, et quod pedes veluti homo quadrupes incedens, manus flectat, ſortitus eſt. Graecis veteribus σαῦρος, σαῦρα, Heſychio et Varino σμύλλα, modernis κολισαῦρα, aliis σαῦρα ἠλιακὴ, vulgaris inprimis dicitur. Plures quidem eorum ſunt differentiae, nam Plinius lacertorum, quorum color ad ferrugineum accedit, meminit, Scaliger in minuſculos et maiores diſtinguit, nos tamen in *vulgares*, *viridis*, *Chalcidicos*, et *Braſilienſes* ſeu *Indicos* diſpeſcemus. *Vulgaris* digitos habet quinos valde exiles, cum unguiculis, tam in prioribus, quam in poſterioribus pedibus. In his, qui indicis locum obtinet, longiſſimus eſt, pollici inferior locus datur. Albertus ei piloſam *linguam* attribuit, ex Plinio Ariſtotele bifidam, ſecundum quem, ſiccum *pulmonem*, *lienem* perexiguum, et rotundum, *teſtes* ſpondyliis adhaerentes, foeminae *vulvam*, ut in avibus, cuius cervix inferne ſit magis carnoſa, ova proxima ſepto contineantur, habet. *Reperiuntur* in Italia copioſi, in inſula Capraria magni, in India, prodente Linſchotano tam frequentes, ut in lecticas quandoque irrepant. Arabiae ſunt cubitales, in Indiae vero monte Nyſa XXIV. pedum, in lon-

Differentiae.

Scalig. in Hiſtor. Animal. Ariſt. pag. 204.

Vulgaris.

Deſcriptio.

Plin. H. N. l. 11. c. 37. Ariſtot. de part. anim. l. 2. c. 17.

Locus.

Plin. H. N. l. 8. c. 9.

Teiuubana Basilienſibus .

Americima Braſilienſibꝰ

Lacertus Tarantula quibuſdam .

Teiuguacu et Temapara Tupinambis

Senembi Braſilienſibus .

Lacertus Viridis . Grüne Eÿdex .

Lacertus Aquaticus . waſſer Eÿdex

Salmandra Aquatica Waſſer ; molch .

Salmandra . Molch Moll .

Salmand: Terreſtris veranigꝰ Maculis Luteis diſtincta

Salmandra alia aquatilis Minor proñe

Salmandra aquatica prona

Salmandra Aquatica .



Stellliones . ex Matthiolo –

Stern Eÿdex

Scincus

Frembd Eÿdex .

Candulus .



Lacertus Indicus Cordÿlo Similis

Cordÿlus Siue Vromaſtix .



Chamælon Varius .

Chamæleon niger .



longitudine, colore fulvi, aut pu-
Aristot. H. nicei, aut caerulei. Incolunt ple-
A. l. 8. c. 4. rumque sepulcra, cavernas, spineta et rudera. Genuae, in arce Principis Doriae, plurimos conspeximus
Cibus. apricantes. Vescuntur carnibus,
Generatio. herbis, apibus, formicis. *Congrediuntur* circa finem Martii, et quandoque ita complicantur, ut duo capita et unum corpus repraesentare videantur. Post, ova more ser-
Aristot. H. pentum pariunt, et teste Aristotele
A. l. 5. c. 35. terrae committunt, ex quibus sine incubatu statutis temporibus catuli erumpunt. Ore parere, vel foetus, uno inerte excepto devorare,
Antipathia. fabulosum. *Abhorrent* a ciconia, quae lacertis pullos nutrit, bufonibus, scorpionibus, araneis, et serpentibus. Aranei parvos lacertos in foraminibus parietum aggressi, filamentis obducunt, et ictibus obruunt. Cum serpentibus praeliantur, ideo ophiomachorum accepere
Sympathia nomen. *Delectantur* carnibus cochlearum, dictamno herba, ad quam a serpentibus vulnerati confugiunt, et homine, quem etiam a serpente defendunt. Ori admoti, pituitam humanam avidissime lingunt. Historias vide apud Scaligerum citato loco, et Erasmum in tractatu de sympathia et antipathia. Temporis tra-
Natura et Mores. ctu visum amittere, eundemque iterum seu solis beneficio, in quo tamdiu donec convalescant, morari dicuntur, seu beneficio naturae recuperare, cuius apud Aelianum exemplum mensibus hibernis sub terra condi, et sic quasi semestrem vitam
Aristot. H. agere, unde ἑξαμηνόβιοι dicuntur, hi-
A. l. 5. c. 35. et l. 8. c. 17. bernum et autumnale spolium deponere, foemineum sexum maio-
Plin. H. N. l. 10. c. 64. rem esse, compares incedere, et
Aelian. H. A. l. 9. c. 58. uno capto alterum in capientem efferari, ovorum, quae peperere obli-
visci, ut apud Plinium habetur, per medium divisos, propter glutinosum humorem non perire, immo naturali quodam vinculo coalescere, quod ex cicatrice colligitur, ad *naturam* et *mores* pertinet. Dicuntur et caudae saepius amputatae renasci. Theocriti interpres exsiccatum in viperam transmutari, falso scripsit. Reperiuntur et monstrosi *Monstra.* visus quidam, teste Schenckio, in ceti magnitudinem Lutetiae excrescenre. Dantur duabus et tribus caudis instructi, quod ab ovis dilecythis forte proficiscitur sed et ἀμφισφάλοι, seu bicipites. Amphis- (Lacertae amphisbaenae, ibid.)
baenae iconem, in qua unius cauda conspicitur, hic quoque adiicimus. Quantum ad *usum in medicina*, divulsa lacerta ictibus scorpionum adplicatur, in cibis ad salamandrae virus a Plinio praebetur. Oleum ex iisdem in oleo suffocatis et percoctis, dissolvendis strumis, cum fimo pecudum inungitur, et ad delendas faciei lentigines commendatur. Crematarum cinis, cum Plin. H. N. l. 29. c. 6. melle Cretico ad oculorum caligi- ib. 30. c. 6. et 11. nem adhibetur. Efficacius est, si ex viridibus componatur. *Cerebrum* in suffusionibus valet. *Caput* contu- Dioscor. M. M. l. 2. c. 58. sum et adpositum, seu solum, seu cum aristolochia longa, radice arundinis, et narcissi bulbo, sagittas et spinas tenaciter adhaerentes extrahit. *Cor* combustum et cum amurca mixtum, torporem membro inducit, ut Chirurgi ferrum non sentiat. *Sanguis* varices succrescere prohibet, si pusionum crura eo diligenter illinantur, in herniis quoque infantum commendatur. *Stercus* medicamento contra equorum stranguriam miscetur. In urina virili necata, eius, qui fecit, venerem cohibet.

Visus in Medicina.

ARTICULUS II.

De Lacerto Viridi et Chalcidico.

Ambrosin. de Digit. Ovip. l. 1. c. 6. *Lacertus viridis*, a colore ita dicitur, Graecis σαῦρα χλωρὰ et nuperis χλωροσαῦρα. Alii *Maiorem* ob magnitudinem vocant. Sylvaticus *Ophiomachum*, a superandis et impugnandis serpentibus. Amant isti loca calida, ideo in Italia frequentes adparent, ubi nonnulli, verba sunt Ambrosini, eos observant, multos simul obviam egredientes, quandoqui-

dem tum morbos praefagire affirmant. Aeſtivo tempore in arboribus morantur, et more ranunculorum viridium vociferantur. Sunt et bicaudati. De *deſcriptione* non adeo ſumus ſolliciti. Icon namque ſubvenire poterit. *Vſus eſt* in medicina ſingularis. In ſtrumis a Plinio alligatur, et poſt dies triginta renovatur. Ramices infantium, morſu eiusdem dormientibus adplicati emendantur. Deinde animal arundine transfixum in fumo ſuſpenditur. Vivum cum vino decoctum phthificis ieiunis Marcellus exhibet. Oleo decocto faciei lentigines depelluntur, de quo vide Geſnerum. Eodem cum pice liquida, et adipe ſuillo veteri Hierocles ungula equorum inungit, ut firmior reddatur. Fumanellus in capillis denigrandis utitur. Pro iisdem regenerandis, compoſuit Veckerus aliud. Unguentum pro epilepticis apud Ambroſinum vide. Cinere ſtrumae exulceratae curantur. *Oculus* vivo erutus, quartanariis alligatur, pelli caprinae involutus. *Sanguis* attritos hominum et iumentorum pedes ſanat, et clavos eruit. *Oſſa* epilepticis proſunt, poſt quam vivus ſale optime in fictili aſperiis, eadem carne amiſſa depoſuerit. *Lacertae Chalcidicae* nomen a Chalco ſeu aere, quod dorſum eius lineae aereae percurrant, datum eſt. Dicitur Heſychio ζυγλις, Bellonio *Samiamithon*, ſed male, ut Salmaſius docuit. Aliis *Seps*, a putredine, quod caro ad eius morſum contracto livore putreſcat, quibusdam et *Tarantula*, ſed perperam. Similis eſt parvis lacertis, et illius ſerpentis colore quem Caeciliam dicimus. *Columna*, totam colore aereo refertam obſervavit. Nicandri ſcholiaſtes in Syria, Lybia, et Cypro naſci et inter ſaxa degere ſcripſit. More viperae ſuos foetus enititur, niſi quod more aliorum oviparorum in ventre ova gerat. Fabius Columna in Gallicano caſtro inventum huiusmodi animal interfecit, et in diſſecto illius ventre quindecim partus invenit, quorum alii membrana exuti, alii pellicula diaphana circumdati conſpiciebantur. Galenus diſſectum morſui adplicat, et cibum ſalſamentorum praeſcribit.

Plin. l. c.

Lacerta Chalcidica. Ambroſ. l. 1. c. 7.

Galen. de med. ſimp. facult. l. 11.

ARTICULUS III.
De Lacertis Indicis.
PUNCTUM I.
De Senembi ſeu Igvana.

Marcgr. Hiſt. Braſil l. 6. c. 11.

Lacertorum Indicorum plures ſunt ſpecies, inter quas celebres, *Senembi*, *Teiuguacu*, ſeu *Temapara*, *Taraguira*, *Americima*, *Carapobeba*, *Ameiva*, *Taraguyco*, *Aicuraba*, et *Teiunbana*. Deſcribemus eas verbis ipſius Marcgravii, ita vero de prima iſte: *Senembi* Braſilienſibus, nobis *Iguana*, *Cameliaon* Luſitanis falſo, et falſiſſime Belgis Leguan. Erat longitudo totius animalis, quod hic deſcribo, reperiuntur tamen longe maiores, ab ore ad extremitatem caudae, trium pedum et octo digitorum, corporis ambitus vel craſſities, decem digitorum ubi maxima. Tota *cutis* eleganter viridis, ſed maculis nigricantibus et albis, in modum panni undulati, hinc inde variegata. *Cutis* conſtat e ſquamulis in dorſo, cruribus et caudae initio paullo maioribus, quam in reliquis partibus. *Squamae* caudae omnes aequales, non ut Car. Cluſius obſervat. A cervice ad extremam caudam ſeriem habet planarum, ſed mucronatarum inſtar ſerrae, ſpinarum ſecundum dorſi longitudinem, etiam vireſcentis coloris, ſuntque ſpinae iſtae ad cervicem maiores, ſemperque minores fiunt, minimae in extremo caudae. *Caput* longitudinem habebat duorum digitorum fere aut paullo minus, ſingularibus ſquamis maioribus, quam in aliis partibus tectum, *colli* longitudo ſeſquidigiti, craſſities quinque. Magnos claros habebat *oculos* nigricantes, et binos nares patentes in prona et fere extrema capitis parte, ſingulae mandibulae, exiguo-

guorum *dentium*, et nigricantium, et brevium numerum habebant, et os *linguam* craſſam. Pone caput in utroque latere albicantem maculam inſtar branchiarum in piſcibus, ſub mento ingluviem ad pectus uſque propendentem, maximam partem nigricantis coloris, quam contrahere poteſt, et cum iraſcitur vel terrore afficitur propendere ſinit. Ab ore ad ingluviem ſeu in collo inferiori etiam habebat ſpinas in dorſo. Quatuor *cruribus* erat praeditum, et totidem *pedibus*, quorum quiſque quinque digitos continebat, cruraque et pedes ſquamis tecti, ut reliquum corpus. Bina anteriora crura, breviora poſterioribus et non ita craſſa, longitudo quatuor digitorum aut paullo minus; *digiti* quinque, et in iis medii breviores, quam medii poſteriorum pedum, intimus et extimus digitus binis articulationibus, duo illis proximi tribus medius quatuor conſtabant, omnium *ungues* nigri incurvati et breves inſtar avium. Poſteriora crura longiora et ſolidiora, anterioribus, nimirum longitudo eorum, uſque ad pedes, eadem, quae craſſities colli vel caudae prope corpus, nimirum quinque digitorum, pedum poſteriorum longitudo unius pedis aut amplius, digitorum prior extimus, anteriorum digitis extremis aequalis magnitudine et articulationibus duabus ſequens hunc tribus tertius quatuor, quartus, qui longiſſimus, quinque, quintus ſeu ultimus verſus caudam etiam quatuor, aequalis cum tertio longitudinis, ungues ut in anterioribus *Cotyledonum* ſeries nulla, ut Cluſius alias obſervavit. Saltem poſtica crura tam ſuperius, quam inferius inſtar humanae ſurae ſe habebant, priora autem non item. Craſſities *caudae* proxima corpori, erat quinque digitorum, et attenuabatur ſemper, donec in extremitate plane exilis eſſet. et acuta inſtar ſubulae. Quum mactaſſem, movebatur adhuc pelle detracta, et cor exemtum ſubſiliebat. Habebat in utroque latere *ova* ultra decem, quaedam ceraſi magnitudine, quaedam et minora, *pinguedinem* inſignem inſtar gallinarum, in ventriculo inſignem copiam fructuum, maxime limonum dulcium, quibus pro cibo erat uſus, comedunt etiam farinam Mandiocae aqua madefactam. Diu inediam tolerare poſſunt, habui, inquit Marcgravius ad duo aut tres menſes ſine omni cibo et potu, et denique aufugerunt, ita, ut iudicem ſine dubio famem diutius ferre poſſe. Caro boni eſt ſaporis, cocta et diu frixa butyro, et aeque bene ſapit ac caro pullorum et cuniculorum d. 28. Maij MDCXL. mactavi et ſecui unum, pinguedinem habentem multam, inſtar gallinae. Partes internas, cor, pulmones, iecur, veſiculam fellis, renes, veſicam, genitalia vaſa habet, ut alia animalia, amplum iecur, duplicem ventriculum, unum anteriorem, in quem cibum prius recipit, hinc inteſtinum habet minimi digiti craſſitie, ac decem circiter digitos longum, cui annectitur alter ventriculus, ubi cibus plane concoquitur, hinc caetera inteſtina uſque ad rectum. In anteriori ventriculo magnam copiam farinae Mandiocae et Milii Angolenſis crudi habebat: Poſterior maior, totus ſemi cocto cibo plenus erat, cui multi vermiculi vivi inſtar eorum, qui in caſeo generantur, inhaerebant. Inteſtinum ultimum ſeu rectum ſtercus continebat. Detracta pelle toti animali, et cauda amputata, haec adhuc movebatur. Vivax animal, nec ſi quinque aut ſex ictus in capite acceperit, moritur, niſi cervix cultro inflicto vulneretur, tunc enim cum ſanguine vitam effundit. Caudae caro, meris fibris et nervis conſtat. Menſe Decembri MDCXLI. vide eximi lapidem e ventriculo Senembi, ovi gallinae mediocris magnitudine et figura, ſed compreſſiorem paullo, exterius glabrum albicantem, interius compoſitum e tunicis inſtar cepae, ita, ut una ab altera ſeparari poſſit lapide contuſo. Coloris erat interius albicantis ſeu gryſei, durae ſubſtantiae, ut Bezoar. Capiuntur fune, nam arboribus inſidere ſolent, quod Braſiliani ſcientes, fuſti longo adaptabant funem, hoc videns animal miratur, nec tamen ſe movet, ſed tunc ſe illaqueari ſinit, et ita capitur, alias curr-

rit velociſſime. Iuniores toti ſunt viridis coloris, grandiores aetate, variegati fiunt et cinerei, ſenes enim ut plurimum ſunt fuſci vel cinerei coloris. Fr. Ximenes ſcribit, in capite huius animantis interdum reperiri lapillos, qui praeſentiſſimo remedio lapides renum comminuunt et deiiciunt, drachmae pondere e liquore idoneo hauſti, aut etiam corpori alligati. An autem, qui in ventriculo reperiuntur aliquando eis, dum viribus polleant, mihi non conſtat, periculum poſſet capi ſine ullo, meo iudicio, diſcrimine.

PUNCTUM II.

De Teiugvacu, Taraguira, et Americima.

Maregra. Hiſt. Braſil. l. 6. c. 11.

Teiugvacu et *Temapara* Tupinambis: Lacertus egregius corporis figura, capitis, oculorum, oris, pedum, caudae, convenit cum Senembi, in hoc autem differt. Primo totius *corporis* color eſt niger, elegantiſſimis maculis albis inſperſis variegatus, et verſus extremam caudam, ſed quaſi aculeos habet albos. Secundo cauda craſſior in exortu. Tertio caret illis dentatis aculeis per dorſi longitudinem. Quarto in pedibus poſterioribus exterior digitus paullo remotior eſt a reliquis, et brevior. Quinto, linguam habet bifidam longam, rubram, quam velociſſime inſtar ſerpentis, ad digiti longitudinem protrudit et retrahit. Nullam edit vocem, patiens eſt, lubenter veſcitur ovis, quae cruda ſorbet. Inediae patientiſſimum animal, detinebam alligatum, ſed cum ſe vinculis abſolviſſet, liberum permiſi, verba ſunt Maregravii, per cubiculum currere, et interdum dedi hauſtum aquae e vitro bibendum, ita adhuc obambulat quando ſitit, alias toto die in angulo ſuo ordinario ſedet. Libenter incumbit cineribus calidis, vigeſimo Martii quispiam partem caudae calcando detriverat, poſtea tamen de novo ad duos digitos crevit, primo Iulii moriebatur inedia plane tabidus factus, ſeptem enim menſium ſpatio nihil comederat, tantum aliquando hauſtum aquae ſumſerat lambendo. Caro eius comeditur. *Taraguira* Braſilienſibus: Lacertus in et prope domos, in hortis et ubique frequens. Longitudo eius circiter pedalis, quanquam reperiantur et minores. *Corpus* habet teres, totum ſquamulis triangularibus cinereis ſeu leucophaeis tectum. Caret *ingluvie* ſubmento, *dorſum* aequale, nutant velociſſime capite, quando aliquid vident, et celerrime currunt motando corpus. Si videant hominem dormientem, cui ſerpens venenatus, aut aliud venenatum animal laedendi cauſa adpropinquat, illum excitant, ne laedatur. *Coire* volens mas leni morſu adprehendit foemellae cervicem, paullo poſt ad latus ſe inclinat, et foemina propriam caudam ſurſum levando admittit marem, qui pedibus complectitur corpus eius a tergo. *Americima* Braſilienſibus, lacertulus tres digitos longus et pennam olorinam craſſus, ubi craſſiſſimus, crura et pedes ſimilis figurae et tot digitis, ut Senembi. *Ocellos* habet nigros *corpus* autem fere quadratum videtur. Totum *dorſum* ſquamulis veſtitur leucophaeis, latera autem fuſcis, *caput* itidem et crura, cauda vero caeruleis, omnes autem ſplendent, et ad tactum adprime ſunt laeves. *Digiti* in pedibus inſtar ſetarum porcinarum. Venenoſum eſt animal ut Luſitani affirmant, et cupidum exſugendi ſanguinem ex gravidis mulieribus. Referunt foeminam ſemel tactam ab hoc lacerto, vel ſolum eius indumentum, nunquam poſtea concipere.

Maregrav l. c.

PUN-

PUNCTUM III.

De Caropopeba, Ameiva, Taraguycu Aycuraba, et Teiunhana.

Marcgra. Hiſt. Braſil. l. 6. c. 12.

Carapopeba Braſilienſibus, lacertulus tres, quatuor vel quinque digitos longus venenatus. Figura *corporis* eſt ut reliquorum. Quatuor cruribus et pedibus, in anterioribus quinque, in poſterioribus quatuor habet digitos. *Corpus* totum hepatici eſt coloris, cum albis notulis, in cauda autem albis lineolis, hinc inde etiam aliquantum flavi mixtum, *oculos* habet ſplendentes, et quaſi vitreos. *Ameiva* Braſilienſibus et Tubinambis, alia ſpecies lacertorum et ſuperius deſcriptae Taraguirae per omnia ſimilis, excepto, quod caudam furcatam habeat, id eſt, deſinentem in duo cornua recta. *Taraguico Aycuraba* Braſilienſibus, Taraguirae alia ſpecies, ſuperiori item ſimilis, excepto, quod cauda ab initio ubique habeat triangulatas ſquamas parvulas: *Caudae* extremitas planis ſquamulis tecta eſt, et praeterea quatuor maculis fuſcis, *dorſum* et praecipue poſt caput undatum maculis variis fuſcis. *Teiunhana Braſilienſibus*, lacertulus eſt minimum digitum craſſus, *capite* acuminato ut Senembi, *oculis* nigris, circello aureo, *crura* habet quatuor ut Senembi. Longitudo eius ad poſteriora crura et trium digitorum, *caudae* longitudo ſex digitorum et ſemis, eſtque cauda teres et inſtar aviculae in extremitate acuminata. *Capitulum* tegitur ſquamoſa cute, *dorſum*, latera, et crura ſuperiore latere cute veſtiuntur ad tactum molli inſtar holoſerici, *cauda* autem ſquamulis quadratis conſtat minuſculis, guttur, et infimus venter itidem ſquamulis quadratis teguntur maiuſculis, capitis teſta fuſceſcit. *Dorſum* et *latera* ſuperius fuſca, vel potius tribus lineis diſlutae umbrae coloris, et aliquot undis eiuſcemodi variegatur, latera inferius viridia, ſuperiora autem in fuſco linea notat viridis ſecundum longitudinem, a capite ad crura usque poſteriora, itemque alia linea viridis eſt, ubi fuſcum et viride ſeparantur: Inter duas autem lineas ordo eſt punctorum viridium in fuſco, et ſub inferiori linea viridi ſeries eſt punctulorum nigrorum in viridi. *Crura* etiam in lateribus ſuperioribus obſcure flavi ſeu, cerei obſoleti ſunt coloris, variegata maculis parvis fuſcis. In inferioribus lateribus ſunt alba. Cauda quoque ſuperius coloris cerei obſoltei, inferius cerei cum albo mixti. *Caput* inferius, guttur et infimus venter, candidi ſunt coloris, ſanguineis notis variegati. Bifidam habet linguam.

CAPUT III.

De Salamandra.

Ambroſin. de Digit. Ovip. l. 1. c. 3. *Nomen.*

Salamandra, unde nomen ſortita ſit, incertum eſt. Nam dici vel quaſi valincendram, quod contra incendium valeat, ut Iſidorus vult, vel quaſi ſola amans ſit τὸν πυρὸς, id eſt ignis, vel quod σαυλαμαιδραν i. e. quieta latibulum teneat, aut quod σελαμάνδρα dicatur, i. e. inter ſpatia inania caularum et ſpeluncaruu ſtabulans, aut denique, quod σέλα μανὰ δερᾶ, id eſt, ſplendores laxet et pellat, ridiculum nimis eſt. A Saanbras vel Samabras Arabico dici, veriſimile eſt, etſi incertum. Plinius *animal ſtellatum* nominavit, Aetius *Lacertam venenariam*. Duae ipſius ſunt ſpecies. Alia enim eſt *Terreſtris*, *Aquatica* alia. Illa lacerto viridi eſt ſimilis, caput et ventrem, quae craſſiora ſi excipias. Breviorem habet caudam, colorem nigrum maculis luteis inquinatum, ſed

Terreſtris Deſcriptio.

ſed quadam laevitate pellucidum. Geſnerus unam in Alpibus invenit, totam fuſcam, absque ſplendore, cauda brevi, ſuccus lacteus a percuſſa dimanabat. Matthiolus in quibusdam Germaniae ſilvis, dorſo nigerrimas, ventre rubentes obſervavit. Vitriacus ei caudam longam et tortuoſam, ungues aduncos et hamatos adſcribit. Nicander λιπόχρωτον, quod ſplendida, renitente, et quaſi pingui delibuta cute ſit, vocavit.

Locus. *Loca* frigida, humida et opaca incolunt. In Germania multae ſimul quandoque conglobatae inveniuntur. In agro Tridentino et potiſſimum in valle Ananienſi conſpiciuntur frequenter. Sunt, qui ore aerem haurire credunt. Alii favos, apes et lac adpetere, ideo alvearia et vaccas infeſtare ſcribunt. Nihil gignere, reliquit Plinius, nec genus maſculinum foemininumve habere. At Bellonius vidit multos foetus ſine involucro enixam. Procreat ſcilicet intus ova, in quibus foetus ad perfectam maturitatem nutriuntur.

Victus.

Generatio. Plin. H.N. l. 10. c. 68. Bellon. obſ. l. 3.

Natura. Quantum ad *naturam*, an in igne vivat, vel eundem extinguat, in Exercitationibus, DEO volente, disquiretur. Lacteum ſuccum percuſſam fundere, ſuperius diximus. Coelo pluvio adparet, ideo viſa, tempeſtatem ruſtici praeſagiunt. Nec aeſtate, nec hieme conſpicitur. Tarde incedit. In Cumana, gallinarum inſtar gracillare, Cardanus prodidit. Si viva gladio in duas partes ſecetur, pars anterior progreditur, poſterior retrocedit. Inſtinctu quodam naturali ranas et teſtudines odio proſequitur, cumque illis acerrime dimicat. Venenatam eſſe compertum. Integras familias periiſſe tradunt, quae aquas in quas Salamandra ceciderat, biberant. Sed et fructus ſaliva oris eius aſperſi, lethales creduntur. Plinius dente Salamandrae percuſſum, obire ſcribit. Eiusdem Nicander, Aetius, et Abenſina meminere. Ubi ſemel partio dentem inflexit, nunquam extrahere, ſi avellatur, lethale eſſe, quidam Geſnero narravere. At ipſe duas, quas domi habuit, nunquam os ad mordendum diduxiſſe, etſi irritatas, ſcribit. Nec audiviſſe, quempiam a Salamandra in Germania morſum. In Galliis tamen morſus lethalis eſt, et Rheti, ab eadem laeſum, tot Medicis indigere, quot maculas beſtia habet, proverbio iactant. *Saliva* Medici inter pſilothra utuntur. Kiranides cor pelli nigrae involutum, contra quartanam de brachio ſuſpendit. Quae de Zona ex pelle, et aliis contra incendia ſparguntur, quia abſurda hypotheſi, ignem nempe extinguere nituntur, falſa quoque ſunt. *Aquatica Salamandra*, aliis *Lacertus aquaticus*, Bellonio *Cordulus*, Monachis, qui in Meſuen commentati ſunt, *Scincus aquae*, cum lata cauda dicitur. *Quadruplex* ipſarum genus eſt. *Vnum* cum cauda, figurae rhombi, quam Ambroſini ad diſtinctionem dicimus. *Linguam* habet breviſſimam et latiuſculam, dentes exiles, ut viſum effugiant. *Caudam* in medio craſſiuſculam, quae prona et ſupina ad inſtar figurae rhombi contrahitur, *pedes* anteriores in quatuor, poſteriores in quinque digitos fiſſos, *cor* ſpongioſum, quod dextro lateri incumbit, cuius auricula ſiniſtra maiorem pericardii partem occupat, *lienem* ſubrubrum, *renes* ſpongioſos, *hepar* nigerrimum. *Ova* magnitudine piſi in bicorni utero ordine quodam digeſta gerit, ex quibus poſtmodum vivi foetus erumpunt. Bellonius ei tergus tuberculis horridum adſcribit. Agricola colorem cinereum, vel in cinereo fuſcum. Illa, quam Geſnerus ſecuit, longitudine erat ſeptem digitorum, colore nigra cum punctis albis in ventre, reliquum corpus nigrum punctis concoloribus aſperum. *Alterum* genus eſt quoque *duplex*, unum maius, ſemicirculis in dorſo albicantibus diſtinctum, alterum minus. Quartum eſt Matthioli, Utinenſibus frequentiſſimum, capite terreſtribus rotundiore et breviore, cauda anguillarum modo, dorſo nigro luteis maculis inſignito. Lacunis opacis et pingui ſolo ſitis delectantur, aquis inprimis, in quibus limus

Vſus.

Aquatica Ambroſ. l. 1. de Digit. Ovi. par. c. 9.

Cardan. de rer. variet. l. 7. c. 33.

Plin. H.N. l. 29. c. 4.

limus albus eſt. Ibi ſub petris haerent, et raro ad ſuperficiem veniunt. In vas aqua plenum coniecta a Geſnero quaedam os proferebat. Lento gradu in terra progrediuntur, et ora tenaciter claudunt, nec aperiunt, niſi violenter expreſſeris. In ſal coniectae caudam movent, et moriuntur. Verberatae diu vivunt. Pellis adeo dura, ut gladio reſiſtat. Ex vulneribus lactea ſanies prodit. Irritatae intumeſcunt, et in pedes erectae ſudorem virulentum effundunt, laceſſentemque intuentur. Sues, ſi aliquam comederint, moriuntur.

Agricola de animal. ſubterraneis.

CAPUT IV.

De Stellione.

Stellio inter genera lacertorum quoque ponitur, nomenque ex eo habet, vel quod maculis, vel quod eminentiis inſtar ſtellarum diſtinctus ſit. Ideo quidam *Lacertam ſtellarem* dicunt, vel quod venenum cibo ſtillet. Graecis dicitur, ἀσκαλάβος, ſeu ἀσκαλαβότης, forte παρὰ τὸ ἀσκαλῶς βαίνειν, a molli et tacito greſſu, vel quaſi κωλοβάτης, quod artubus ſuis innixus per parietes repat. Unde et Xylobates a Kiranide vocatur, tum γαλεώτης, quod more muſtelae, quae γαλῆ, clanculum per quodcunque aſcendat, tum κωλώτης. Modernis Graecis eſt λιακὸν θαμιάμητος, et ψαμαμύθη. Non auſim tamen quicquam certi dicere. *Genera* ſtellionum ſunt varia. *Stellio Graecorum*, quem Coloten et Aſcalaboten dicunt, lentiginoſus eſt, et ſtridoris acerbi, omnibusque promiſcue veſcitur. *Stellio Italorum* Chamaeleonum naturam quodammodo imitatur, rore et araneis veſcitur, et venenatus eſſe fertur, ut ille innocuus. Ad Stelliones referri poſſunt, *beſtiolae albae*, puſillis lacertis ſimiles, lucido et fragili corpore, ut Geſnero oculatus teſtis retulit, quae in agro Romano, Hermolao prodente, reperiuntur, et *Tarantulae* nomine veniunt. Sed et *lacertus parvus* coloris lucidi et argentei, quem Graeci λιακὶν vocant. Bellonius in Gazara ſtellionem ſe obſervaſſe ſcribit, colore nigro, magnitudine muſtelae, craſſo capite, et tumida alvo. An vero Stelliones magnitudine et figura accedant, ad illos lacertos virides maiores, quos vulgus apud Italos *ramatos* vel *Ligures* vocat, alibi dicetur. Hic *Stelliones Matthioli*, et *Lacertum facetanum*, qui Tarantula quibusdam, in iconibus exhibemus. In Germania, Gallia, et Anglia non dantur. In Thracia, Sicilia, et Syria, vagantur. Ibi lethales ſunt magis, quam in Italia, hic in caminis commorantur. Plinius in angulis oſtiorum et feneſtrarum libenter ſtabulari ſcripſit, qui etiam prodidit, genus illud, quod ſcorpionibus adverſatur, in Italia non naſci, ibidem venenatos eſſe, reliquit Ariſtoteles. De *natura* notandum, menſibus hibernis latere, nec quicquam edere, et latere in angulis oſtiorum, feneſtrarum, et ſpeluncarum, anguis modo ſenectutem exuere, eamque protinus devorare, praeripientes comitiali morbo remedia, doloſe apibus inſidiari, araneos et ſcorpiones perſequi, raro mordere, cum dentes obliquos habeat, quos in vulnere relinquunt, morſu denique hominem ſtupidum reddere, et raro interimere. Invenere in *medicina* uſum. *Caro* ſurculos corpori humano infixos extrahit. Ipſe morſui proprio medetur, et in oleo putrefactus, ſcorpionum ictus ſanat. In quartanis, Magi capſulis incluſum, capiti patientis ſubiiciunt, et in fine paroxyſmi dimittunt. De *Cinere* prodit Plinius, ſiniſtra manu detentum Venerem excitare, in dextram translatum inhibere. *Partes* ſomnum inducere, et ſtuporem membris conciliare creduntur. *Hepar* tritum odontalgiam, ſi ſuperſperga-

Ambroſin. de Digit. Ovipar. l. 1. c. 10. *Nomen.*

Differentiae.

Plin. H.N. l. 29. c. 5.

Plin. H.N. l. 11. c. 26.

Bellon. obſerv. n. 79.

Lacus.

Plin. H.N. l. 8. c. 31.

Ariſt. Hiſt. A. l. 8. c. 29

Natura.

Plin. H.N. l. 8. c. 31.

Vſus.

ſpergatur, tollit. *Stercus* tritum verrucas delet. *Senecta* in epilepſia maxime prodeſt. In vino ſuffocatus, maculas in facie generat, ſi vinum bibatur. *Fel* in aqua diſſolutum, muſtelas congregare dicitur.

CAPUT V.

De Scinco.

Ambroſin. De Digit. Ovip. l. 1. c. 12.

Nomen.

Quem Latini *Scincum* vocant, hic Graecis σκίγγος et σκίγκος, ſeu a Tinſa Arabum, quo nomine Scincum Abenſina vocat, ſeu aliunde. Dioſcorides *Crocodilum terreſtrem* vocat, Bellonius *Crocodilum minorem*, vel quod crocodilo ſit ſimilis, vel quod crocum timeat.

Deſcriptio.

Deſcriptionem ſi ſpectes, quadrupes eſt magnitudine lacerti viridis, aut ſalamandrae, ut Bellonius ſcribit, pollicis craſſitiem et longitudinem quadrantem non excedens, cauda rotunda et ſquamoſa. Renodeus animal quadrupes eſſe ponit, *ſquamis* exiguis, frequentibus et ſubluteis, *capite* longo, vix colli craſſitiem ſuperante, *ventre* quadantenus alato, *cauda* rotunda lacertarum ritu, ſed breviore, et ad finem incurva. A capite ad caudam diſcurrit linea. Geſnerus vidit digitis quinis cum unguiculis inſtructum, latitudine ſesquipollicis, longitudine duorum palmorum. Vidit et alius ſex palmares Conſtantinopoli. In Arabia tantum naſci prodidit Abenſina, circa Mecham vagari Bellunenſis. Verſantur circa Nilum, et inde ad nos per Alexandriam et Venetias deferuntur. Inveniuntur et in locis mari rubro vicinis.

Bellon. de Aquatil. l. 1.

Renodeus Pharmacop. l. 3. c. 31.

Locus.

Victus.

Victitant odoratis floribus, ideo non eſt mirum talem ſimum excernere. In ſicco *pariunt*, et ova terrae gremio committunt.

Vſus.

Caro ſcincorum magnis antidotis miſcetur, unde quaedam contra venena, *Diaſcincon* appellatur. Rhaſis animal ipſum, ſupra puſionem metu ſomninorum laborantem, cum fructu ſuſpendit. Pulverizatus ad excitandam venerem drachmae unius pondere exhibetur. Eadem caro elephanticis in India exhibetur, et corpora pinguefacit. *Cor* in lana ovis nigrae, primo partu genitae portatum, quartanas abigere creditur. *Fel* cum melle mixtum, in ſuffuſionibus decantatum eſt. *Renes* ſperma augent. *Sanguis* cum borrace illitus faciei maculas delet. *Pinguedo* dolorem renum expellit. *Pellis* uſtae cinis ſuper partes ſecandas ſpargitur, ne dolorem ſentiant. Aegineta unguentum *Entaticon* componit, quod caudae Scincorum ingrediuntur. Ex *inteſtinis* ſuffitus paratur, qui hyſtericis vehementer conducit. Ex *ſtercore* medicamentum antepilepticum a Serapione componitur. Idem in extergendis oculorum maculis Plinius vehementer laudat. Optimum aurem eſt, candidiſſimum, friabile, et quod in aqua ampli inſtar cito liqueſcit. Ex eodem, ad faciem erugandam, unguentum meretrices parabant. Dum teritur veteris fermenti aciditatem ſpirat. Olim ſtercore ſternorum, qui oryza alebantur, adulterabatur.

Plin. H. N. l. 28. c. 8.

Differentiae.

De *differentiis* haec habe. Maximos Indicum et Arabicum, ſecundum Plinium eſſe. In *India* beſtiam naſci ſcinco ſpecie ſimilem, canis Melitenſis magnitudine, cuius pellis aſperis ſquamis patet, quam Indi Phatagenem dicunt, eandem forte cum Caudiverbera. In *Cypro* lacertae ſpeciem magnam naſci, ſcincum omnibus notis referentem, cuius imaginem hic exhibemus. In *lacu* denique *Vicentino*, ſcincos ab aliis diverſos haberi, ſed qui ad ſalamandras potius referri debent. Ad easdem pertinet et *Scincus Rhaſis*, cauda non rotunda, ſed circum latera compreſſa.

CA-

CAPUT VI.

De Cordylo quadrupede, et aliis quibusdam lacertis.

Ambrosin. De Digit. Ovip. l. 1. c. 12.

De *Cordylo* haec Ambrosinus habet. Haec lacertae species Cordyli nomine fortassis insignitur, quoniam Cordyli piscis figuram aliqua ex parte repraesentet. Alioquin a nonnullis recentioribus *crocodilus terrestris* appellatur, cum tamen scincus verus, crocodilus terrestris Antiquorum fuerit. Nuperi quidam hoc animal *caudiverberam* nominant, quoniam continua caudae agitatione diverberet. Graeci ad imitationem latini vocabuli *Uromastigen* dicerent. Bellonius praedictam lacertae speciem depingit, et crocodilum terrestrem nuncupat, quoniam primo aspectu crocodilo Nilotico assimilatur. Verum postea ab ipso discrepare asseverat, quia hoc animal caudam in modum clavae tuberculis eminentioribus asperam gerat. Quapropter corpora, quibus adpropinquat, atrocissime diverberare dicitur. Hinc caudiverberae nomen sibi vindicavit. An vero habeat branchias, quemadmodum scribit Bellonius, et confirmat Rondeletius, non facile potest exponi. Siquidem in exuviis huius bestiae, quae in publico Musaeo adhuc servantur, duo tantum foramina secus rictum observantur. Quarum meminit Bouffuetus his carminibus:

Cordylus effigie hic talis depingitur ipsa,
Qualis, et in terris, et fere degit aquis.
Inter quadrupedes rimam unam, sive foramen
Post oris rictum, respice, solus habet.

An vero istae rimae, vel foramina sint illa, quae sub branchiis esse solent, aliis considerandum relinquimus, et ad clariorem huius animalis descriptionem accedemus. Thomas enim Erastus Helvetius Medicus et Philosophus insignis, describit hoc animal crocodilo simile, minus tamen, et inferius *labrum* movens, figura *capitis*, et *oris* testudini respondens, cum brevi collo, et in parte inferiori tumido. *Pedes* habet quatuor quinis digitis more lacertarum distinctos. Reliquum corpus non squamigerum, sed pelle duriuscula, instar corii serpentis vestitum, *cauda* illi inest rotunda, in circulos quosdam squamatim divisa, modo ferae inexplicabili. *Squamae* sunt durissimae, videnturque osseae, et quasi quadrangulae, cavae parum sunt, ut caudam rotundam efficiant. Alioquin tamquam tegulae, quae domorum culmina cooperiunt, simul iunguntur, extremitas cuiuslibet squamae in spinam acutissimam desinit. Amplius tales *squamae* pellucidae, flavescentes seu pallentes instar cornu videntur. *Venter* huius animantis magis, quam in crocodilo tumescit. *Tergus* denique latum, et quodammodo planum est, ut in icone licet conspicari. Quid, si hoc animal *phattages Indicus* sit Aeliani? hic enim auctor prodidit in regionibus Indicis nasci bestiam, crocodili terrestris speciem gerentem, cuius pellem asperam ad dissecandum adhibent.

* * *

CAPUT VII.

De Chamaeleonte.

Ambroſin. de Digit. quadrup. l. 1. c. 14. *Nomen.*

De Chamaeleontis ethymo, quae vox parvum leonem ſignificat, nihil occurrit, praeter hoc, ridiculum nimis eſſe Iſidorum, qui a camelo et leone deducit, et recentiorees Barbaros, *Gamaleonem*, *Zamaleonem*, *Hamaleonem*, et *Maleonem* eundem vocare. In *deſcriptione* variant auctores, tam antiqui, quam recentiores. Plinium ſi ſequimur, figura et magnitudine eſſet lacertae, niſi *crura* eſſent erecta et excelſiora. *Latera* ventri iunguntur, ut piſcibus, et ſpina ſimili modo. Eminet *roſtrum*, ut in porco haud abſimile ſuillo, *cauda* praelonga in tenuitatem deſinens, et implicans ſe viperinis orbibus, *ungues* aduncí, *corpus* aſperum ceu crocodilo, *oculi* in receſſu cavo, tenui diſcrimine praegrandes, et corpori concolores. *Caro* in capite et maxillis et ad commiſſuram caudae admodum exigua, nec alibi toto corpore. *Sanguis* in corde et circa oculos tantum. Viſcera ſine ſplene. Idem fere apud Ariſtotelem invenies. Theophraſtus addit, parum abeſſe, quin pulmo totum corpus impleat. Ariſtoteles vero, lacertam plane repraeſentare, et roſtrum ſimiae porcariae habere. *Ambroſinus* ita hoc animal deſcripſit. Primitus inquit, ſi caput meditemur, a medio capite retrorſum oſſea pars triquetra eminet, reliqua pars antrorſum colligitur cava, et quaſi canaliculata, eminentibus utrinque oſſeis marginibus aſperis, et leviter ſerratis. *Oculi* in cavo receſſu praegrandes, et colori concolores conduntur, cuius pupilla non movetur, ſed animal totius oculi motu circumſpicit, ore ſemper hiante, linguam habet longam et terreſtri lumbrico ſimilem, in cuius extremitate ſpongioſus quidam et glutinoſus nodus exiſtit. Ideo Iohannes Laudius, referente Scaligero, huic animali adſignat *linguam* palmi longitudine, et quid tamquam acetabulum in ſumma ipſius parte cum muco, quo praedam cito tollit. *Dentium* et *gingivarum* loco, os quoddam continuum et ſerratum habet, nec non ſuperius labium brevius. *Gula* atque *arteria* ex mente Ariſtotelis in eodem ſitu, ut in lacerta eſt. *Pulmo* in comparatione ad molem corporis illi ineſt maximus. *Cor* habet magnitudine cordis muris domeſtici, *hepatis* lobos duos, quorum ſiniſter eſt maior, *folliculus fellis* granum hordeaceum aemulans, ſiniſtro iecoris lobo adhaeret. Denique *inteſtina* omnia interaneis lacertae ſimilia eſſe prodit Ariſtoteles. *Crura* poſtea illi inſunt recta et longiora, quam lacertae, quamvis inflexus ſit ſimilis. Demum pedes anteriores a poſterioribus valde diſcrepantes Natura huic animali conceſſit. Etenim teſte Bellonio, priores pedes ternos digitos intra, binos extra, poſteriores vero ternos extra et binos extra poſſident. Itaque ex Geſnero longitudo huius animalis a ſummo roſtro ad initium caudae ſeptem, vel octo digitorum eſt. Altitudo digitorum quinque, medius locus inter imum ventrem, et ſummum dorſus flexus coſtarum continet circiter ſedecim. Et demum maculis diſtinctus, ut pardus conſpicitur. At paullo aliter de quibusdam *Gaſſendus*. Sunt enim ſecundum hunc Chamaeleoni *dentes* eleganter diſpoſiti. Unicum *inteſtinum* non circum volutionibus, ſed curvaturis ſolum productum. *Excrementum* ſatis liquidum, niſi qua parte ad anum accedit. *Hepar* bifidum, et ex gibba parte quidem ſanguinem in cor auriculatum infundens, at non ſuperſtite aſcendente deſcendentéve caudice venae, quippe aliunde non porta modo nuncupata, in inteſtinum, ſed venae quoque aliae, ad caeteras partes directe procedunt. *Pulmo* inflatus abiit, inquit, in membranam tenuiſſimam, toti a-

Deſcriptio Plin. H.N. l. 8. c. 33.

Ariſt. Hiſt. A. l. 2. c. 11 Theophr. de mutantib. colorem.

Gaſſend. in vita Peireſcii l. 5. p. 325.

nima-

Chamæleon Cinereus Verus .

Chamæleon .

Crocodilus . Crocodÿll .

Laudiuerba .



nimali ambitu aequalem. In *imo ventre* nullum peritoneum, ſed membrana ſolum partes dextras a ſiniſtris dirimens. Non item *lien*, non *veſica*, non *renes*, ſed caruncula ſolum obſervatae ſunt, quae genitalia forte fuerunt. *Lingua* eſt pedalis prope longitudinis. Habentur in Aſia, Africa, India et Madagaſcar inſula. Cairi hortorum ſepibus ad Nili ripas inſident. Per ſolum raro vagantur, quod ſibi a ceraſtis et viperis metuant. Bellonius in frutibus Rhamni plurimos conſpexit. Aere victitare credidere veteres, muſcas, locuſtas, erucas, ſcarabaeos vorare obſervatum a recentioribus, a Peireſcio vermiculis, qui ex farinaceis mactris colliguntur, vehementer delectari. Lingua ut promuſcide utuntur, quam iaculi inſtar evibrant, et tanta quidem celeritate, ut pene viſus aciem effugiat. Id praeſtatur, addit Gaſſendus beneficio oſſiculi, quod bifurcatione quadam implantatur utrinque ad extremas fauces, et caetera teres ſecundum oris longitudinem, deſervit implicandae explicandaeque linguae, cavae ſcilicet, inteſtini inſtar, niſi quod in ſummo caruncula eſt, nonnihil viſcida, ut praedam corripiat. In foemina una ex illis octo, quas Peireſcius aluit, ut formationem eruptionemque obſervaret, fuere ova intra membranulam ſupra centum, quorum nonnulla extitere magnitudine nuclei olivae, in quibus viſum luteum ſolum, nihil vero albuminis, cum tamen parva viderentur quandam lactis ſpeciem referre. *Inimicitias* gerunt cum *accipitre*, *corvo*, *elephante*, et *viperis*. *Accipiter* deguſtata Chamaeleontis carne interire creditur. Idem *corvo* accidit, niſi ſe lauri foliis muniat. Ab *elephante* frondibus concolorem deglutiri fabulatur Solinus, et cum diſpendio vitae, niſi ſtatim oleaſtro ſibi medeatur. Metu viperarum et ſerpentum, in fruticibus et arboribus degit. Saliva eius ab ore in caput ſerpentis demiſſa, ob viſcoſitatem fili inſtar, eundem interimit. Circa caprificos ferum, innoxium alioqui Plinius facit. *Naturam* et quaedam alia ſi attendas, nunquam os aperit, inquit Plinius, ſed totius oculi verſione circumſpicit. Ipſe celſus, hianti ſemper ore. Defuncto pallor eſt. Hibernis menſibus latet, ut lacertae. Coloris natura mirabilior. Mutat namque eum ſubinde et oculis, et cauda, et toto corpore, redditque ſemper, quemcunque proxime attingit, praeter rubrum candidumque. De pallore idem Ambroſinus affirmat, et quidem experientiae innixus. De coloris mutatione addit, et candidum recipere, adducto viri nobilis teſtimonio, qui ſudario ſeu muccinio incluſum, ideo periiſſe putabat, quod eiusdem albedinem mentiretur. At Peireſcii Chamaeleontes rerum obiectarum colores non induebant. Seu virides, ſeu cinerei ſint, *inquit Gaſſendus*, atrorem ſolum quendam ſubeunt, qua parte ad ſolem aut ignem obvertuntur. Id rarum et admirabile, non moveri oculos Chamaeleontis coniugatos, ſed uno aliquorſum ſpectante, reliquum vel ſtare immotum, vel in aliam partem deflecti. Deflectuntur quoquo verſum, propter quatuor trochleolas, nulla oſtentata diſtinctione iridis, ſed ſola pupilla, ad quam cornea undique, cum ſit ut corpus reliquum radiata, variegata, granulata terminatur. Incolis Cochinchinae in cibis eſſe auctor relationis illius prodidit. Multi ſimul colligati venduntur, emti in ignem coniiciuntur, eidemque ita vinculo aduſto reluctantur, ut incedere conentur, tandem ſuperati torrentur. Pelle abraſa, caro candidiſſima remanet, quae in liquore butyro noſtro ſimili coquitur. Habet et in *medicina* uſum. Ad epilepſiam profligandam Trallianus eum in fictili novo cum oleo decoquit, donec tabeſcat. Ad podagram vero depellendam, unguentum mirabile componit, quod apud ipſum vide. Arnoldus Villanovanus *lingua* ſuper oblivioſum ſuſpenſa, memoriam reddit. Alii ad evitanda puerperii pericula

Locus.

Bellon. obſerv. l. 2. c. 34.

Cibus.

Plin. H.N. l. 8. c. 33.

Generatio.

Antipathia.

Plin. H.N. l. 8. c. 33.

Natura.

Plin. l. c. et l. 28. c. 8.

Gaſſend. l. c.

Vſus in Cibis.

Vſus in Medicina.

eandem alligant. Marcellus hypochymata felle tollit. *Cor* Plinius contra quartanam in lana nigra primae tonſurae involvit. Decoctum Chamaeleontis viridi colore in balneo aſperſos inficere, caput et guttur, lignis quernis aduſta, imbres et tonitrua ciere; lingua cum radice herbae chamaeleontis et cynogloſſae homines obmuteſcere cogi, *hepar* amatoria diſſolvere, *inteſtina* et excrementa cum ſimiarum urina miſta, odium hominibus conciliare, ſi ianuis illinantur, armum dextrum ad hoſtes ſuperandos valere, Democriti apud Plinium ſunt ineptiae. Integrum enim de eo ſcripſit librum. Palamque eſt, *addit Plinius*, virum alias ſagacem et vitae utiliſſimum, nimio iuvandi mortales ſtudio prolapſum. Quantum ad *differentias*, Bellonius varias eius ſpecies obſervavit. Pallentes in Aegypto, in Arabia praedictis multo minores colorisque diverſi. Albicantes erant, ſubfulvi, et rubentibus maculis diſtincti. Nos hic pallidi, nigri et varii icones damus.

Plin. H.N. l.28. c.2.

Differentiae.

CAPUT VIII.

De Crocodilo.

Nomen. De *Crocodilo* hic agimus, quia ad lacertorum genus refertur, et Palladius hanc beſtiam, generis vocabulo *lacertum* adpellat. Graecis dicitur κροκόδειλος, et quandoque κροκόδιλος, a quibus et Latini ſumſere ſine dubio, παρα το τας κρόκας φοβεῖσθαι, quod littora timeat. Δειλὸς Graecis timidus. Heſychius τύλην et διμοιρίτην vocat. Aegyptii χαμψὰν, vel χαμψὰν, a quo Turcarum Kimſac, quod eidem indidere. Lexicon Aegyptiacum Kircheri habet πιχαρουκι. Statio eſt fera Pharia, Alberto Tenchea. In Arſinoitica praefectura, teſte Strabone dicebatur Suchus, Indis Cayman. Lacertae figuram repraeſentat. Croceo eſt colore, ventrem ſi excipias, qui ſubalbidus. *Corium* ſub ventre molle, ut facile ſauciari poſſit, in reliquis partibus tam durum, ut ne bombardae manuariae globo cedat. Viſus ad viginti quinque, immo viginti ſex cubitos excreviſſe. Ille aetate Pſammetichi, teſte Plutarcho; hic, Amaſidis prodente Aeliano. Circa urbem Panamam, ultra centum pedes in longitudinem creſcunt. *Caput* habet latum, *roſtrum* ſuillum, rictum oris uſque ad locum aurium productum, *oculos* praeduros et ſuillis ſimiles, ut Albertus prodidit. *Palpebram* inferiorem ſine ulla nictatione. *Dentium* ſeries pectinatim ſtipatur, et quidem magnorum, albicantium, robuſtiſſimorum. Sexaginta poſt Aelianum Geſnerus numeravit. Plures ſuperiorem maxillam munientes deorſum prominent, ita, ut ore etiam clauſo conſpiciantur. *Lingua* quia indiſcreta, non mirum Plinium poſt Diodorum Siculum ſcripſiſſe, *unum hoc animal terreſtre linguae uſu caret.* Unum ſuperiore mobili maxilla. *Lien* eſt parvus. *Teſtes* internis lumbis adhaerent. *Spina* ſexaginta vertebris, quas totidem nervi colligant, conſtat. *Crura* cum pedibus acutiſſimis unguibus armatis in latera parum flectuntur. *Cauda* longitudine reliquum corpus aequat. Geſnerus in ea pinnam per ſeptem digitos ad poſtremam usque partem obſervavit. Primus quinque Crocodilos Romae, Aedilitatis ſuae ludis, M. Scaurus temporario Euripo oſtendit. Inveniuntur in Africa, Aſia, et America. In Nilo inprimis et vicinis ipſi ſtagnis, Nigro fluvio, Gange circa Bengalam, in Bamboto flumine iuxta Atlantem, quod Solinus prodidit, non longe a Chalcedone, ſed parvi, quod Strabo. Acoſta aquis in America calidis delectari ſcripſit, ſed in Peruana usque ad Pacram non inveniri, inde frequentiſſimos eſſe. Quidam luto vivere dixerunt, ſed revera

Kircher. p. 172. Linguae Aegypt. reſtitutae.

Deſcriptio Ariſtot. H. A. l. 2. c. ult.

Aelian. H. A. l. 17. c. 6

Plin. H.N. l. 8. c. 25.

Aelian. H. A. l. 10. c. 21.

Ariſt. H. A. l. 1. c. 10.

Ariſtot. H. A. l. 3. c. 1.

Plin. H.N. l. 8. c. 26. Scalig. Exercit. 196. *Locus.*

Acoſta Hiſtor. Ind. Occid. l. 3. c. 15. *Cibus.*

vera piſcibus ſaturantur, et humanae carnis ſunt avidiſſimi. In terris
Martyr. l. 2 etiam animalibus inſidiantur. Petrus Martyr in legatione ſua Babylonica comprehenſum, qui tres puſiones devorarat, ſcribit. In Arſinoitica praefectura olim ſacer pane, carne et vino, a ſacerdotibus nutriebatur. Fuere prodente Strabone, qui placentas, carnes aſſas, et mulſum iisdem offerebant.

Generatio. Quantum ad *generationem*, maſculus foeminam reſupinat, cum aliter ob crurum brevitatem congredi nequeant. Parit foemina ova ſexaginta, quanta anſeres eaque praedivinatione quadam, extra eum locum ſemper incubat, ad quem ſummo auctu eo anno acceſſurus eſt Nilus. Totidem diebus ea parit, et totidem fovet; et tandem partus decurſu ſexaginta dierum peragitur. Gyllius arena obrui, et absque ullo incubatu catulos egredi obſervavit. Ὠοτοκία vernum tempus indicat, nec aliud a minori origine in maiorem creſcit magnitudinem.

Antipathia. Gerit ex quadrupedibus cum ichneumone, bubalo, tigre; ex avibus cum accipitre, ex piſcibus, cum hydro, porco piſce, delphino, ex aliis animalibus, cum ſcorpione, homine, Tentyritis, et plantis quibusdam inimicitiam. *Ichneumon* ova eius conterit, et in aprico dormientis os illapſus, eundem eviſcerare conatur. A bubalo proſternitur. Reſupini ventrem, tigris ſaepe in America dilaniaſſe viſus eſt. Propter accipitrum odium, Coptitae Crocodilorum veneratores, eos ſaepe in crucem agunt. Hydro ita eſt hoſtis, ut propter fel a venatoribus geſtatum, iisdem nocere non poſſit. A porco piſce, quod ſpina circa caput armetur, abſtinet, ut Strabo prodidit. Delphini Nilum ingreſſi, aquis ſe immergunt, et ſubeuntium Crocodilorum ventrem dilaniant. Spectaculi teſtis fuit Babillus, quondam Aegypti praefectus. Erumpentem ex ovo Crocodilum, ſcorpius ſauciare ſolet. Ad humanum ſtrepitum perhorreſcunt, et perſequentem fugiunt. De *Tentyritis* ita *Plinius*: Quin et gens hominum eſt huic belluae adverſa, in ipſo Nilo, Tentyritae ab inſula, in qua habitat, appellata. Menſura eorum parva, ſed praeſentia animi hoc tantum uſu mira. Terribilis haec contra fugaces bellua eſt, fugax contra inſequentes, ſed adverſum ire, ſoli hi audent. Quin etiam flumini innatant, dorſoque equitantium modo impoſiti, hiantibus reſupino capite ad morſum, addita in os clava, dextra ac laeva tenentes extrema eius utrinque, ut fraenis in terram agunt captivos, ac voce etiam ſola territos, cogunt evomere recentia corpora ad ſepulturam. Itaque uni ei inſulae Crocodili non adnatant, olfactuque eius generis hominum, ut Pſyllorum ſerpentes fugantur. Romam aetate M. Scauri delatos, Tentyritae cuſtodes ſequebantur, illosque a piſcinis ad ſpectacula, a ſpectaculis ad piſcinas ducebant. Ex plantis fabam ſpinoſam, annotante Creſcentienſi vitant. Potamogeton, tamquam quoddam contra Crocodilos amuletum urinatores ſecum deferre ſolent. E contra cum porco, et trochilo amicitiam colit. Porci circa Nili ripas impune oberrant. De *Trochilo* ita *Plinius*: Dies in terra agit, noctes in aqua, temporis utrinque ratione. Hinc ſaturum cibo piſcium, et ſemper eſculento ore, in littore ſomno datum, parva avis, quae trochilos ibi vocatur, rex avium in Italia, invitat ad hiandum pabuli ſui gratia, os primum eius aſſultim repurgans, mox dentes, et intus fauces quoque ad hanc ſcabendi dulcedinem quam maxime hiantes. Leo Africanus, vermes ex continuo piſcium eſu, inter dentes exortos devorare ſcribit. Crocodilum ut abſumtas percepit, aviculas devorare niti, ſed acuta, quam ſupra caput gerunt ſpina punctum, os diducere, et ita dimitti. Quantum ad *naturam* et *ingenium*, e Nilo in terram egreſſi, per eadem veſtigia regrediuntur, ſi Petro Martyri credimus, ob crurum brevitatem diffi-

Plin. H.N. l. 8. c. 25. Aelian. H. A. l. 8. c. 25 l. 10. c. 47. Acoſta Hiſtor. Ind. l. 3. c. 25. Aelian. H. A. l. 10. c. 24. Seneca Natural. quaeſt. l. 4 Phile in Iambis. Aelian. H. A. l. 10. c. 21. Plin. H.N. l. 8. c. 25. *Sympathia* Plin. H.N. l. 8. c. 25. Leo l. 9. Africae. *Natura et Ingenium.* Martyr. Legat. Babylon. l. 3.

difficillime in latus ſe vertunt, dum gradiuntur gratum relinquunt odorem, adeo, ut foeminam Arabicos odores aequare, Nili accolae prodant. Quatuor menſibus ſecundum Ariſtotelem, quadraginta diebus ſecundum Suidam, ſexaginta ſecundum Aelianum latitant, et ſine victu morantur. Artemidorum Grammaticum, adeo viſo perterritum, ut laeſa mente, literarum memoriam perdiderit, et ſiniſtrum crus ſibi a fera ablatum crediderit, Coelius Aurelianus auctor eſt. Humanum depaſti cadaver, oſſa capitis lachrimis frangere, ut medulla inexiſtente veſcantur, dicuntur. Nocentiores ſunt Nilum aſcendentibus, quod illa fluminis pars a piſcatoribus exhauriatur. Ferociores inde facti, quod piſcibus deſtituantur, homines et iumenta adoriuntur. Nec minus eodem ad proprium alveum poſt inundationem redeunte ſaeviunt, propter piſcium inopiam, quam aqua in Nili faucibus minus profunda facit. Tum coeno indutus, aquatum venientibus inſidiatur, et navigium flumen aſcendens ſecuti, cum nauta conto ad expungendam navem inhaeret, celeri caudae ictu, nautam cum conto deiiciunt. Neminem iisdem diebus, quibus Apis natales celebrabantur, laeſiſſe fabula forte eſt. Rediiſſe, poſtquam Achmed Ben Tolon ſignum Crocodili plumbeum, in templorum fundamentis inventum diſſolvi iuſſiſſet, apud Scaligerum legimus. De divinatione, ſupra dum de ovis ageremus, diximus. Eiusdem apud Aelianum exemplum legitur. Ptolomaeum regem neſcio quem, cum ex Crocodilis antiquiſſimum *inquit*, et praeſtantiſſimum adpellaret, exauditum non fuiſſe, quum cibaria obieciſſet, reieciſſe. Inde ſacerdotes morti vicinum collegiſſe. *Ingenium* indicant, quod prolis indolem ex praedae raptu colligunt, cicurati vocem humanam intelligunt, et manu tractati, diducto rictu, mantili dentes ſibi abſtergi patiuntur. Non eſt ergo mirum, in paludibus Ombitarum arte paratis nutritos, domeſticos eſſe, ut Aelianus prodidit, iisdemque hoſtiarum capita obiici. In oppido Anteo aniculam quandam in lecto cum Crocodilo deprehenſam, Gyllius prodidit. Humanam aetatem aequant, ſi Ariſtoteli, Plinio et Diodoro Siculo credimus. Aelianus ſexaginta vitae annos aſſignat. *Vtuntur* iis quidam in *cibis*. Apollonopolitae vi legis carnem eam comedere tenebantur, ſeu, quod Pſammeniti Regis filia a Crocodilo devorata fuerit, ſeu odio Typhonis, quem in Crocodilum verſum fabulantur, ut apud Herodotum extat. In partibus Indicis aſſari, Ferdinandus Lopez vidit; in Florida alii, immo exſiccantur ibidem, et hieme menſis adponuntur. *Ova* comeſta in auctoribus novi orbis invenies. In Aegypto iisdem quosdam veſci, apud Leonem Africanum habetur. De *uſu in medicina* hoc habe. Decoctum demorſis ab araneis opitulari: *Caninis dentibus* thure repletis, typos febrium arceri, quoscunque a vivo animali extractos ipſoque demiſſo, parti dextrae viri, et ſiniſtrae mulieris adaptatos Venerem ſtimulare, niſi fabulatur Kiranides. *Sanguis* viſui claritatem conciliat, et partibus a ſerpentibus fauciis auxiliatur. *Pinguedine* febricitantes contra horrorem inunguntur. Eadem antiquis vulneribus et carcinomati prodeſt. *Corium* crematum et cum olei amurca miſtum, partem mutilandam adeo ſtupidam reddit, ut ferrum ſecans non ſentiat. Apud quosdam Indos olim ad ſupplicia alebantur, obiiciebanturque eis vincti manibus et pedibus fontes. In foſſis urbis Pegu habentur, prodente Balbo, ne quis per aquam ad urbem accedere audeat. Incolae, quia eos venerantur, aquam foſſarum bibunt, occiſi ab ipſis animam recte ad ſuperos evolare credentes. Firmus Aegypti Tyrannus pinguedine Crocodilorum inunctus, impunis inter eos natabat. Circa *differentiam* pauca occurrunt. Plinius in *magnos* et *parvos*, qui Scinci dividit.

Ariſtot. H. A. l. 8. c. 15. Aelian. H. A. l. 10. c. 21.

Coelius de furore.

Petr. Martyr. l. c.

Plin. H. N. l. 11. c. 4.

Scalig. Exerc. 196.

Aelian. H. A. l. 8. c. 4.

Aelian. H. A. l. 9. c. 3.

Diodor. Biblioth. l. 9. c. 1.

Vſus in cibis.

Leo Afric. l. 9.

Vſus in Medicina.

Balbus in Itiner. c. 35.

Differentiae.

Tatus



Testudo . SchildtKrötte .



Testudo Aguatica .



Testudo Marina .





dividit. Albertus Tencheae meminit, cui omnia, quae prodidimus adplicari poſſunt. Aelianus duplices in fluvio Gange ponit, *noxios* cum cornu in roſtro, et *innoxios*. In provincia Xanagarrae a vivis Crocodilis vagantibus odor moſchi ſpirat.

TITULUS II.

De Digitatis Oviparis cruſta tectis.

CAPUT I.

De Teſtudine in genere.

Ambroſ. l. 2. c. 1. *Nomen.*

Teſtudo a tegmine teſtaceo nomen obtinuit, ut Iſidoro placet. Graecis χέλυς, χελεὺς, χελύνη, χελώνη, a χέω, capax ſum, dicitur, ut et κλεμμὺς, σφραγὶς, φέρυκος, etc. quamquam hoc inter epitheta cenſeri debet. Animal eſt ingratum viſu. Tegitur teſta figurae ovalis, et inſtar ſcuti concava, ſub qua caput, pedes et caudam recondit. Pacuvius ideo capite brevi, cervice anguina et aſpectu truci ſcripſit. Teſta illa Palladio dicitur *corium*, Marcello *tegumen*, Plinio *operimentum*, *putamen* et *ſuperficies*, aliis *operculum teſtaceum*, Graecis χελώνιον, et generali nomine ὄστρακον. Loco *dentium* unicum os continuum habet, inde μονόδους dici poſſet: intus praegrandem *pulmonem* eumque exanguem, *iecur* vitiatum, *teſtes* lumbis adhaerentes, *lienem* perexiguum. *Renes* et *veſicam* omnibus tribuit Ariſtoteles, lutariam ſi excipias. Unico tamen *excrementorum* exitu referta ſunt. Ideo illa ſemper liquida et aquea. *Pedes* ſimiles ſunt lacertis, quinque digitis unguibus munitis inſtructi. Incauda Cardanus quandoque unguem gallorum calcaribus ſimilem conſpicatus eſt, qui forte a callo. Nam in his animalibus veluti et in lacertis, cauda amputata durior renaſcitur. De *loco* hoc duntaxat ponimus, reperire in terra, mari et lacubus, vel locis coenoſis. In mari rubro reperiuntur copioſae, ut Arrianus prodidit, quae ad emporium venales deferuntur. In inſula quoque Dioſcoridis, quae nunc Socotora inveniuntur, ut et in inſula Mauritii, quam Cernen veterum quidam credunt. *Coeunt* more viviparorum, et mas ſupervenit foeminam. Haec quia nullam voluptatem in congreſſu ſentiunt, difficulter admittunt, nec citius, quam vehementer exagitatae fuerint. Pariunt *ova* ovis gallinarum ſimilia, ſed minora et oblongiora, putamine, albumine et vitello praedita, ut in icone videre eſt. De *natura* et *moribus* habe teſtam, quam tam duram habent, ut nec a plauſtri currentis rotis conteri poſſit, non mutare, quod cruſtacea faciunt, menſibus hibernis ſine cibo in cavernis latere, exeuntes lento gradu incedere, ſeu quod onere premantur, ſeu quod natura tardae ſint, cum perdicibus perpetuo rixari; aquilas, quae in ſublime ſublatas ad petras allidunt, unde et Aeſchylo Tragico Poetae, cui caput calvum, et petrae inſtar, mors, abhorrere, diu ſecundum Hippocratem vivere, perexiguum ſibilum colubrorum paullo altiorem voce edere, denique cum ſerpentibus et viperis praeliaturas, ſatureia, cunicula, vel origano ſe munire. Nihil quidem de earum *in cibis* uſu apud Galenum vel Apicium. Bruierinus tamen carnes prius elixit, deinde in fruſta ſectas, in vaſe frixorio aſſat. Quo loco habendae ſint, diſquiritur inter quosdam. Alii inter piſcium carnes reponunt, ut Caſtor Durantes. Unde tempore ieiunii piſcium loco conceduntur: alii non item. Habent ſcilicet teſtudines oſſa et ſpirant, ne de ovis quicquam dicam. Ut ut ſit, apud quos-

Plin. H.N. 9. c. 10. dem H.N. 11. c. 37.

Ariſtot. de part. anim. 3. c. 8.

Cardan. de variet. rer. c. 29.

Locus.

Arrian. in Periplo maris rubri.

Herbert. in Itin. p. 349. *Generatio.* Ariſtot. H. A. l. 5. c. 3. Aelian. H. A. l. 13. c. 40. Plin. H. N. l. 9. c. 51.

Aelian. H. A. l. 4. c. 22 Ariſt. H. A. l. 4. c. 6. Ariſtot. H. A. l. 9. c. 6. Plin. H. N. l. 8. c. 16.

Vſus in cibis. Bruier. de re cibaria l. 22. c. 7.

quosdam Barbaros in America in deliciis esse, certum est, nec dubium delicatis ventriculis obesse, et difficulter concoqui, valide tamen si concoquantur, nutrire. In *medicina* haud contemnendae sunt. Hydropicis et phthisicis caro prodest. Coctae fastidium ex melle natum, prodente Plinio ex Pelope, statim tollunt. Tegminis cremati cinere, in fistulis, capillorum defluxu Porta, ulceribus pedum cum oleo et vino Marcellus, in suffumigio contra haemorrhoidas Galenus utitur. *Ipsae* crematae cum albumine ovi fissuras mammarum apud Rhasen tollunt, et in herniis feliciter, si Crollio credimus, ob quandam signaturam adhibentur. *Sanguis* ex capite resupinatae amputato collectus, et insolatus donec exsiccetur, sacrum ignem extinguit, verrucas abolet, porriginem pellit, et in capitis ulceribus adhibetur. *Ova* ad tussim infantium commendantur. Adhibentur et *ad alia*. Mizaldo si credendum, ex ovis formicarum, hyoscyamo, cicuta et testudinis sanguine egregium paratur psilothrum, tegmen ollae operculi loco superpositum ebullitionem impedit. Myrepso vinum cum sanguinis modico propinato, abstemios homines reddit. Albertus carne equos obesat, porcos pingues ea evadere, experientia comprobavit. Vegetius ex testudine viva supra sarmenta combusta, alumine crudo, medulla cervina et vino medicamentum componit, propilis iumentorum citius augendis. Scobs tegminis foeminae in aliquo liquore pota, Venerem inhibere creditur. Maiora ad mensas, vasa et lectos olim usurpabant. *Placuit*, inquit Plinius, *materiam et in mari quaeri. Testudo in hoc secta.*

Usus in medicina.

Galen. Euporist. l. 3.

Cent. 7.

Plin. H N. l. 16. c. 43.

Nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet se, plurisque vaeniret, imitata lignum. Testudinem vero putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire, Carbilius Pollio instituit, prodigi et sagacis ad luxuriae instrumenta ingenii. Ideo Seneca: *Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, et foedissimorum pigerrimorumque animalium testas, ingentibus pretiis emtas, in quibus illa ipsa, quae placet varietas, fucatis medicamentis, in similitudinem veri coloratur.* Hodie Amazones corticibus se tuentur, quibus et alicubi pro cunabulis infantum utuntur. Quantum ad *differentias*. Plinio testudinum genera sunt *terrestres*, *marinae*, *lutariae*, et quae *in dulci aqua* vivunt, quarum has *emyclas* vocant. De his omnibus in sequentibus agemus. Visa et in insula a Zambolo reperta, quaedam animalia parva, corpore rotundo testudinum instar, duabus lineis invicem per medium transversis, in quarum singula extremitate, auris et oculus conspicitur, ita, ut quatuor oculis intueri, et totidem auribus audire videantur. Unico constant ventre, sed pedibus pluribus, quibus innixa in utramque partem gradiuntur. Sanguini singulare aliquid inest. Nam omne corpus saucium, eo dum spirat illitum, cohaeret. Gesnerus *Testudinem polypodem* vocat. Videtur ex Diodoro Siculo historia desumpta esse, ni fallor, nam auctor nunc ad manus non est. In insula Mauritii, quae Zonae torridae subiacet, tam validae inveniuntur, ut homines ferre et transferre possint. Lusitani de quindecim affirmant.

Plin. H. N. l. 9. c. 11.

Seneca de Benef. l. 7. c. 9.

Differentiae. Plin. H. N. l. 32. c. 4.

Ambros. Bohemo. l. 2. Ovip. c. 1.

Herbert. in Itin. Persiae p. 349.

CA-

CAPUT II.

De Testudinibus in specie.

ARTICULUS I.

De Testudine terrestri.

Ambrosin. Ovip. digit. l. 2. c. 2.

Quatuor testudinum genera ex Plinio supra posuimus. Sed haec ad duo, *Terrestres* nempe et *Aquaticas*, optime reduci possunt.

Nomen. *Terrestris* aliis *montana*, *silvestris*, *campestris*, *agrestis*, et *nemoralis* dicitur. Graeci χερσαίαν, Nicander ἠρείην, Oppianus ἐρεσιφοιτον vocat.

Descriptio Luteis et nigris maculis instar salamandrae in tergore distinguitur, cortice superiore marinam valde aemulatur. Foemina a mare in eo differt, quod inferiorem testam planam habet, quae mari concava, et semper ponderosior observatur. Interiora sic M. Aurelius Severinus describit. Principio inquit, ablato cortice inferiore statim adparuere duo *musculi* anteriores moventes, ut adparent brachia, utrinque unum, quamquam uterque distinctus videtur in duo, quorum maior est exterior, minor vero interior. Oblique descendunt quasi ab axillis brachiorum, nascentes a membrana adhaerescente cortici, et desinentes in tendinem acutum. Figura ipsorum oblonga, rotunda, quasi plantae manus, infra hos musculos tum parte dextra, tum sinistra sex alii visuntur oblongi, flexores fortasse brachiorum, duo totidem adparent musculi deducti ad femora, nascentes ab externa dicta membrana corticis, qui tertio sunt minores brachialibus, neque in tendinem desinunt, ut illi, sed carnosiores sunt, quod inserantur femoribus. *Spina* compacta est et valide innexa cortici, per longitudinis medium. Infra *caput* medio lato digito descendunt duo musculi a lateribus positi, ipsum intra trahentes, cum duobus aliis paullo inferioribus, quatuor isti oblongi maxime omnes. *Iecur* parte dextra et sinistra aequali magnitudine bipartitum. Gibbum externe, cavum interne, sed dextra interne inaequalis veluti praerupta rupis, complectens miro artificio ventriculi orificium inferius et portionem duodeni, sinistra complectens maiorem ventriculi cavitatem, excavato quodam supercilio similis. Cystis *fellis* dextra in fibra hepatis profunde condita, *ventriculus* ad humanum vel suillum maxime accedens, sed postquam in intestina perducitur, tres amplas habet cavitates, in quibus totidem perfici coctiones et transmutationes assumtorum videntur. In prima, herbacea materia, in secunda item, sed elaboratior, et hinc externe adhaerebat *lien* rotundior et ater, in tertia materia quaedam subliquida et albissima, similis mansae castaneae, sed dilutae. Aperta est coniectura, servire hanc in locum vesicae, quae eiaculatur quandoque humorem album, veluti gallinae solent. Ampla est haec et castaneae figuram aemulatur, tenuissima est et amplo canali, quantum est intestinorum extremum similis, cui correspondet parte inferiore. Haec valide adhaerescit peritoneo atque immediate illi incumbit. *Intestinum rectum* in fine habet processus illos laterales, qui sunt gallinaceis omnibus, sed divisos tamen et in latera longe productos, usque ad renum viciniam. Cum his pone sunt *ovorum* utraque parte productiones, *Mesenterium* amplis satis venis intextum. *Cor* rotundae figurae, sed non exactae, ut lenticulam referat; colore subalbidum, intus uno sinu cavum, situm supra iecur statim. *Aspera arteria*, quae dignissima omnino est observatio, paullo post ini-

Severin. Zootom. Democrit. par. 4. p. 321.

tium bifida, quorum rami contorti. *Pulmones* parte ſuperiore adhaereſcentes ſpinae, ſubſtantiae admodum rarae, non carnoſae, ſed verius membranoſae, intextae arteriae aſperae, ramis velut rete quoddam implexum, colore ſubatro. Obſervanda diſpoſitio oſſis hyoidis et cartilaginis ſcutiformis. *Calvariae* teſtudinis marinae ſeptum eſt, quod ſupernae teſtudini extenſum cerebri partes utrasque diſterminat: praeter cuiuslibet calvae conformationem.

Locus. Plin. H. N. l. 32. c. 4. Pauſan. in Arcadicis.

Vagantur plurimae in Africae deſertis, ut et in Lybiae parte quadam, Mauritania forte, ut Strabo ſcribit, proveniunt et in ſilvis Arcadum, teſte Pauſania, ex quibus lyrae olim fabricabantur. Sed maximae in inſula Dioſcoridis in mari rubro habentur. De inſula Mauritii ſuperius diximus.

Victus. Bruier. Rei cib. l. 22. c. 7.

In deſertis quia inveniuntur, roſcido duntaxat humore paſci quidam iudicavere. Alii, olera germinare inchoantia, melopepones inprimis et ſeſamum praecidere dicunt. Nicander κυτισηνόμας, quod Cytiſo, vel cytinis delectentur, vocavit. Edunt et lumbricos, et cochleas. Domi furfure et farina nutriuntur.

Generatio. Athen. Dipnoſ. l. 5.

Quantum ad *generationem*, fabulae ſunt ex Gerano muliere in gruem mutata et Nicodamante natam, immo potius Boei apud Athenaeum iocus eſt. *Coeunt* ut ſuperius diximus. *Ova* durioris teſtae intusque bicolora enituntur, quae terra contecta, repetitis vicibus incubant, foetumque ſequenti anno ad paſtum educunt. Flantibus ventis concipere, quod apud Nicandrum habetur falſum, certius, cum foemina ad Venerem tarda ſit, herba quadam a mare concitari, quod apud Aelianum invenitur.

Aelian. H. A. l. 5. c. 32 *Vſus in cibis.*

A Graecis non comedi, Bellonius auctor eſt. Hungari quidam cum Cluſium carnem unius deguſtaſſe vidiſſent, moriturum putabant. In India frequentiſſime menſis inferuntur. Auguſto et Septembri, quod tempore ſegetum pinguiores ſint, quidam laudant. Scappius a menſe Februario ad Maium foeminas optimas, quod tum ovorum plenae ſint, ſcribit, a Iunio ad autumnum mares. Sunt, qui ex alliato eas mirum in modum commendant. Hodie, *verba ſunt Ambroſini*, Bononiae, teſtudo terreſtris et praeſertim foemina decollatur, et toto effuſo ſanguine elixatur, donec tegmina a carne eximi poſſint. Poſtmodum inteſtina non abiiciuntur, ſed ab excrementis abſterſa abluuntur, deinde una cum carne teſtudinis, croco, pulveribus aromaticis, pineis, paſſulis, in vino malvatico diligenter coquuntur, et menſis inferuntur. Plura apud Scappium et Ambroſinum vide.

Scapp. l. 3. Rei cib. c. 166.

Vſus in Medicina. Plin. H. N. l. 32. c. 4.

De uſu in medicina ita *Plinius*: Terreſtrium *caro* ſuffitionibus propriae, Magicisque artibus refutandis, et contra venena ſalutares produntur. In Africa amputato capite pedibusque, pro antidoto dari dicuntur, et ex iure in cibo ſumtae, ſtrumas diſcutere, ac lienes tollere, item comitiales morbos. *Sanguis* earum claritatem viſus facit, ſuffuſionesque oculorum tollit, et contra ſerpentina omnium, et araneorum, ac ſimilium, et ranarum venena auxiliatur, ſervato ſanguine in farina pillulis factis, et cum opus ſit in vino datis. *Felle* teſtudinum cum Attica melle glaucomata inungi prodeſt, et ſcorpionum plagae inſtillari. *Tegumenti* cinis, vino et oleo ſubactus, pedum rimas ulceraque ſanat. *Squamae* a ſumma parte deraſae, et in potu datae Venerem cohibent. Eo magis hoc mirum, quoniam totius tegumenti farina, accendere traditur in libidinem. *Vrinam* earum aliter, quam in veſica diſſectarum inveniri poſſe non arbitror. Et interea hoc quoque eſſe, quae portentoſa Magi demonſtrent, adverſus aſpidum ictus ſingulare, efficaciore tamen, ut aiunt, cimicibus admiſtis. *Ova* durata illinuntur ſtrumis, et ulceribus frigore aut aduſtione factis. Sorbentur in ſtomachi doloribus.

Hactenus Plinius. Apud alios invenies, Syrupum ex teſtudinibus apud Bononienſes haberi, qui phthiſicis, emaciatis, feliciter propinatur: apud Amatum Luſitanum ex eadem decoctum in deſtillationibus tuſſi, etc. deſcribi, apud Veckerum, electuarium quoddam ad ſeminis acris repreſſionem ex teſtudine componi. *Iecur* Galenus tritum, in peſſo adverſus uteri ſtrangulatum propinat.

Galen. in Euporiſt.

Differentiae.

In India gignuntur maximarum glebarum magnitudine. Teſtas exuunt, et quemadmodum vermes ex verminoſis plantis, ligonibus extrahuntur. Pingues et ſuaves carnes habent. *Iaboti* Braſilienſibus, Teſtudinis terreſtris ſpecies eſt, Luſitanis *Coegado do terra.* *Teſta* nigra eſt tecta, cui multae figurae hexagonae ſunt inſculptae. *Roſtrum* habet, ut reliquae. *Caput* et crura ſunt fuſca, verum maculis ex umbra variegata. *Iecur* huius ſaporis eſt optimi, et antecellit omnium animalium iecora ſuo ſapore.

Aelian. H. A. l. 16. c. 15.

Marcgra. Hiſt Braſil. l. 6. c. 15

ARTICULUS II.

De Teſtudine Aquatica.

PUNCTUM I.

De Teſtudine aquae dulcis et Lutaria.

Ambroſin. de Digit. Ovip. l. 2. c. 3.

Teſtudines aquaticas, in illas, quae in aqua dulci degunt, ad quas Lutariae bene referri poſſunt, et illas, quae in mari, dividimus.

Nomen aquaticae.

Aquaticam Plinius murem aquaticum et *Emyda* vocavit, quod vocabulum alii ab α, alii ab ω inchoant, et deſcendere a Graeco μῦς videtur. Niphus Mydam, quandam teſtudinem colore luteo dixit. Graeci ποταμια χελώνια vocant.

Locus.

Degunt in aquis dulcibus, lacubus, et fluviis. Geſnerus in agro Tigurino, in exiguo lacu, prope Adelfingum inveniri ſcribit. In balneo aquae calidae, Conſtantinae vicino, quae fluens inter rupes longo lateque diffunditur, ingentem copiam haberi, Leo Africanus prodidit. Daemones a mulieribus illius civitatis adpellantur, iisdemque cauſas morborum adſcribunt. Vagantur et in Gange ac Nilo fluviis ut Aelianus ſcripſit. Reſpirare etiam tum, apud Ariſtotelem habes. Tempore foeturae aquas deſerere, et in locis ſiccis, ſcrobe effoſſa ova ponere, poſtmodum die trigeſimo detegere, et foetum ad aquam continuo ducere, ex eodem habeo.

Geſner. de quadruped.

Leo Afric. l. 5.

Aelian. H. A. l. 12. c. 41.

Ariſtot. H. A. l. 5. c. 33.

Vſus.

De huius *uſu in medicina* ſequentia nobis *Plinius* reliquit. Ex quarto genere teſtudinum, quae ſunt in amnibus, divulſarum *pingui* cum aeizoo herba tuſo admiſto unguento et ſemine lilii, ante acceſſiones ſi perungantur aegri, praeter caput, mox convoluti calidam aquam bibant, quartanis liberari dicuntur. Hanc teſtudinem decima quinta Luna capi oportere, ut plus pinguium reperiatur. Verum aegrum decima ſexta Luna perungi tradunt. Ex eodem genere teſtudinum *ſanguis* inſtillatus crebros capitis dolores ſedat, item ſtrumas. Sunt, qui teſtudinum ſanguinem cultro aereo ſupinarum capitibus praeciſis, excipi novo fictili iubeant, ignem ſacrum cuiuscunque generis ſanguine illini, item capitis ulcera manantia et verrucas. Iidem promittunt omnium fimo panos diſcuti. Et licet incredibile dictu ſit, aliqui tradunt tardius ire navigia teſtudinis pedem dextrum vehentia.

Plin. H. N. l. 32. c. 4.

Circa *differentias Aquaticarum* nihil fere occurrit, hoc unicum ſi exceperis, Indicae fluviatilis, non minorem eſſe teſtam, quam iuſtae magnitudinis ſcapham. Decem enim leguminum medimnos capit.

Aelian. H. A. l. 16. c. 14.

Lutaria. De ***Lutaria*** etiam quaedam occurrunt. Videntur eam Graeci χελώνην πηλαμίδα vocaſſe, et per aphaeresin amyda. Latitudo ei in dorſo pectori ſimilis, nec convexo incurva calice, ingrata viſu. Stabulatur quidem in locis coenoſis; ſed verno tempore ad fluentes quoque aquas proficiſcitur. Veſica et renibus carere ſuperius diximus, forte propter tegumenti mollitiem, humor enim facile diffluere poteſt. Circa Ferrariam, in Gallia, Polonia, Hungaria et alibi multas conſpicies. De *Vſu* inter caetera haec habet apud Ambroſinum *Mizaldus*. Sunt, inquit, qui inſtantem grandinem obſervantes, manu dextra teſtudinem paluſtrem ſupinam circa hortum vel agrum ferant, et reverſi unde exierunt, illam humi deponant, eadem figura, ut animal nubem grandine praegnantem intueatur, hacque ratione eam amoliri conantur. *Plinius* de ea ita. Ex hac quoque tamen aliqua contingunt, auxilia. Tres namque in ſuccenſa ſarmenta coniectae, dividentibus ſe tegumentis rapiuntur, tum evulſae carnes earum, coquuntur in aquae congio, ſale modice addito, ita decoctarum ad tertias partes ſuccus, paralyſin, et articularios morbos ſentientibus bibitur. Detrahit item ſel pituitas, ſanguinemque vitiatum. Siſtitur ab eo remedio alvus aquae frigidae potu.

Plin. H.N. l. 32. c. 4.

Mizald. Cent. 4.

Plin. l. c.

PUNCTUM II.

De Teſtudine Marina.

Ambroſin. de Digit. Ovip. l. 2. c. 4.

Teſtudo marina, Plinio eſt *Mus marinus*; Graecis χέλυδρος quaſi χέλυς ὕυδρος, θαλασσόνομος, et χέλων dicitur, Germaniae et Flandriae piſcatores et *Militem* vocant, quod ſcutum et galeam geſtet, et *Barchoram*, prodente Alberto, nomine forte ab Oſtracodermo corrupto. Idem adiicit *Zytyron* maris quoddam animal a priſcis Militem dictum, a capite cute rugoſa et dura galeato, et quod de collo quaſi ſcutum ſuſpenſum geſtaret.

Nomen.

Deſcriptio Terreſtribus eas aſſimilat Pauſanias, pedes et magnitudinem ſi exceperis. Loco *dentium* habet os unum tam durum, ut craſſos baculos unico ictu praecidat. Hinc adparet, Oppianum, qui ei crebros tribuit, de roſtri marginibus potius intelligendum eſſe. *Oculi* fulgorem procul emittunt, *pupillis* candidiſſimis et ſplendidiſſimis, ſi Aeliano fides, inſtructae. *Pedes*, alae potius videntur, quibus tanquam remis ad natandum utitur. Reliqua in obſervationibus ſuis accurate proſecutus eſt Severinus, dum inquit: Inferiori primum cortice ſupinae huic cultro transverſim ſeparato atque ablato, viſa membrana *peritonea*, totam anteriore parte veſtiens, a iugulo ad pubem continua, cortici inhaerens, fibris quibusdam carneis, praeſertim parte thoracis; *omentum* nullum, nullum *caecum*, ſed *inteſtina* ſuperne deorſum gracileſcentia, contra quam in caeteris quadrupedis. Quin a ſummo oeſophago, qui duplicati pollicis magnitudinem aemulatur, donec ad recti initia pertingit, perpetim minuitur cum tota membri craſſitudine, tum tunicarum, quae tunicae duplices, externa nervoſior, carnoſior interna. Sed haec quoque villoſa et lentore quodam pingui madida, haud valde diſſimilis a recto vaccae inteſtino bene ſaginatae. Parte priore et primo ductu Oeſophagi aculei crebri transverſim poſiti maiores, quam in bovina lingua, quod certe mirabile et a Rondeletio non obſervatum: Fabricati fortaſſe hi ad comminuenda alimenta, quae duriora ab hoc genere ingeri perhibent. *Veſica* cervix recto inteſtino intro reſpondens, ut utriusque recrementum uno ductu exitum habeat. *Lien* rotundus

Oppian. Halient. l. 1.

Aelian. H. A. l. 4. c. 28.

Severin. Zootomiae Democrit. p. 321.

dus inſtar ovi, inteſtino ſuperiori alligatus. *Renes* plani et oblongi, quaſi ex parvis pluribus compoſiti. *Cor* uvidum cum vaſis valde implexis in primo exortu. *Auriculae* magnae et pendulae tenui membrana praeditae ac nigreſcentes. *Pulmones* ampli, multo inferius, quam cor deſcendentes. *Cervix* inflexa cum crebris muſculis, ſed duo longiſſimi intro in corticem caput trahunt.

Locus. Habitant in ſalſis aquis, et Pauſanias circa Moluridem verſari ſcribit. *Victitant* piſciculis, cochleis, et ad terram delatae gramina depaſcuntur. Tempore *partus* terram petunt, et ova circiter centum, ſecundum Ariſtotelem in ſcrobe deponunt, avium cohortalium ſimilia, eaque nonniſi noctu incubant. Poſtquam inhumavere, loco pedem imprimunt, ut reduces agnoſcant. Hoc *Plinius* ita protulit. In terram egreſſae, in herbis pariunt ova, avium ovis ſimilia. et ad centena numero. Eaque defoſſa extra aquas, et cooperta terra, ac pavida pectore et complanata, incubant noctibus. Educare foetus annuo ſpatio addit, ſed id de terreſtri intelligendum. Marinae quadraginta diebus excoquuntur, et rumpuntur. In Americae parte quaedam ter centena et ultra humo obruta, quae a ſole excocta, abſque parentum adiumento pullulant, ut quaſi exercitus teſtudinum fundi videatur, quod apud Petrum Martyrem legimus. Ad Naturam pertinet, quod extra aquam diu vivere non poſſint, quamvis vitulorum marinorum inſtar, in terra ſomnum quandoque capiant, quod, poſtquam paſtum noctu egreſſae, avideque ſaturatae laſſantur, dum in ſuperficie maris reſupinatae dormiunt, ſonum quendam edunt, quod denique, quotieſcunque ſolis radiis mari innatantes ſiccantur, ita, ut in gurgitem deferri nequeant, intereunt. Eaedem dum aerem captant, caput exerunt, vitulorum marinorum imitatione, et tantae ſunt audaciae, ut tres homines adoriantur. Capite amputato non moriuntur confeſtim, ſed oculos movent, et manus ſi admoveris mordent.

Pauſan. in Atticis.

Generatio.

Ariſtot. H. A. l. 5 c. 33

Plin. H.N. l. 9. c. 10.

Plutarch. l. Utra prudent.

Petrus Martyr l. 9. dec. 3.

Plin. H.N. l. 9. c. 10.

Ariſtot. H. A. l. 8 c. 25

Oppian. Halieut. l. 1.

Armeniis olim a Patriarcha Alexandrino prohibitae in cibis, ſub excommunicationis poena. Scappius ſcriptor Italicus in conviviorum adparatu eas commendat, ſi intra tempus, quod a vere ad autumnum decurrit, capiantur. Conficit ex iisdem et artocreata, quae apud Ambroſinum vide- In Braſilia capta aliquando tam magna, ut ſola octuaginta hominibus ſufficeret. Carnes lardo diſtinctas et toſtas comedebant, ſapor vitulinae erat.

Aelian. H. A. l. 4. c. 28 *Vſus in Cibis*

Bellon obſerv. l. 2. c. 68.

Scappius de re cibar l. 5. c. 180.

De *Vſu in medicina* ita *Plinius*: Marinarum carnes admiſtae ranarum carnibus, contra ſalamandras praeclare auxiliantur. Neque eſt teſtudine aliud ſalamandrae adverſius. *Sanguine* alopeciarum inanitas et porrigo, omniaque capitis ulcera curantur. Inareſcere autem eum oportet, lentaque ablui. Inſtillatur et dolori aurium cum lacte mulierum. Adverſus comitiales morbos manditur cum polline frumenti. Miſcetur autem ſanguis heminis tribus aceti, hemina vini addita his, et cum hordeacea farina, aceto quoque admiſto, ut ſit, quod devoretur fabae magnitudine. Haec ſingula et matutina et veſpertina dantur, dein poſt aliquot dies veſpera. Comitialibus inſtillatur ore diducto his, qui modice corripiantur. Spaſmo cum caſtoreo clyſtere infunditur. Quod ſi dentes per annos colluantur teſtudinum ſanguine immunes dolore fiunt. Et anhelitus diſcutit, quasque orthopnoeas vocant, ad has in polenta datur. *Fel teſtudinum* claritatem oculorum facit, cicatrices extenuat, tonſillas et anginas, et omnia oris vitia. Privatim nomas ibi, item ardentium teſtium. Naribus illitum, comitiales erigit, attollitque. Idem cum vernatione anguium aceto admiſto, unice purulentis auribus prodeſt. Quidam bubulum fel admiſcent, decoctarumque carnium teſtudinis ſuccum, addita aeque vernatione anguium. Sed diu in vino teſtudinum excoquunt. Oculorum quoque vitia omnia fel inunctum cum melle emendat, ſuffuſiones etiam marinae fel cum fluviatilis ſanguine et lacte

Vſus in Medicina Plin. H.N. l. 23. c. 4.

mulierum. Capillus mulierum inficitur felle. Salamandras et ſuccum bibiſſe ſatis eſt. Apud alios invenies, *cerebrum* cum croco et ſale Aegyptio bene ad aperiendum uterum ſupponi. *Pupillas* auro incluſas caliginem oculorum pellere. *Sanguinem* aridum cum cymino ſilveſtri demorſis a vipera exhiberi. *Hepar* in lacte muliebri tritum, et cum unguento irino et vino ſubactum, in purgamentis puerperii educendis commendari. Quidam ova in morbo epileptico exhibent.

Hippocr. l. 1. de morbis mulier.

Eſt earum et *in aliis uſus*. Nam olim poſtes teguminibus exornabantur. Taprobanae inſulae incolae iisdem culmina domorum tegebant: Chelonophagi vero, pro navigiis, vaſis aquaticis, et tentoriis utebantur. Infantes recenter nati in eis lavabantur: Barbaris ad fluvium Gambrae ſcutorum loco inſerviunt. Turcae denique ex teſtis pellucidis gladiorum manubria fabricant.

Aelian. H. A. l. 13. c. 38. Diodor. Sicul. l. 4.

Differentiae a magnitudine et figura ſumuntur. In Taprobana una centum tria pondo pependit earum, quae in mari rubro, teſta amplam alicuius aedificii ianuam adaequat. Apud Aelianum in India decem leguminum modios capit. *Figuram* ſi attendas, aliae ſunt oblongiores, quae pelagiae, aliae rotundiores, quae littorales. Troglodytae, *verba ſunt Plinii*, cornigeras habent, ut in lyra, annexis cornibus latis, ſed mobilibus, quorum in natando remigio, ſe adiuvant. Coſtium id genus vocatur, eximiae magnitudinis, ſed rarum. Namque ſcopuli praeacuti Chelonophagos terrent. Troglodytae, autem ad quos adnatant, tamquam ſacras adorant. Hermolaus Barbarus *Cheletas* vocari iubet, id eſt, Equites, quod cornibus non aliter utantur, ac iſti calcaribus. Cardanus cuiusdam generis meminit, quod corio veluti praeparato tegitur, demtisque cum capite pedibus cheli aſſimilatur. Dorſum ſex veluti tabellis ſimul iunctis conſtat, et cauda, inquit Ambroſinus, ſimilis eſt illi parti citharae, cui Collopes intrudi ſolent, ad tendendum et laxandum nervos. Marcgravius duas deſcribit, quarum una *Iurucua* Braſilianis, altera *Iurura*. *Iurucua* loco pedum, *inquit ille*, habet quaſi alas, anteriorum quidem quamlibet ſeſquipedem circiter longam, poſteriores vero breviores, *caudam* acutam conicam, *oculos* nigros magnos, *os* edentulum et inſtar roſtri volucrum. Habui, quarum teſtae tres pedes erant longae, duas latae et ſupra. *Coſtis* ipſius inſeruntur teſtae, ad quodlibet latus octo, anteriores breviores, mediae longiores, poſteriores iterum breviores. *Ova* illarum comeduntur, uti et caro. Ponunt autem ova ad littus maris, foveam in arena facientes, et dein arena tumulantes. Saepius inveni veſtigia earum ex mari egredientium, et terra abeuntium. Reperiuntur autem variae magnitudinis. Habui, quarum longitudo erat quatuor pedum, latitudo trium, tantae molis, ut a quatuor robuſtis viris vix poſſent moveri. Variis figuris geometricis, teſtae quaſi inſculptae viſuntur. Quaedam teſtam nigram habent ſplendentem, flavis lineis et figuris egregie interſtinctam, aliae aliter conformatam. *Iuruta Cadago d'agoa* Luſitanis, minor eſt reliquis teſtudinibus: *Teſta* ſuperior decem digitorum habet longitudinem, latitudinem autem novem, convexitate conſiderata. Inferior teſta novem digitos longa, quatuor et ſemis lata et plana, Ellypticam autem figuram habet ſuperior. Infra teſtam ſe abſcondere poteſt, et collum rurſus ad trium digitorum longitudinem foras extendere. *Caput* tres digitos craſſum, et paullo oblongius, *naſus* elevatus et acuminatus. *Os* amplum, *oculi* nigricantes, pupilla nigra. In pedibus quatuor *ungues* oblongi, nigri, cauda brevis acuminata, cutis rugoſa et quaſi ſquamis conſtaret. *Teſta ſuperior* fuſca, inferior flaveſcens. *Ova* ponit ſubrotunda, dimidii gallinacei magnitudine, teſta alba ut ova gallinarum, boni ſaporis, ſi frixentur. Comedi aliquoties. *Tantum Marcgravius.*

Marcgr. d. l. 6. c. 413.

Differentiae. Scalig. Exerc. 196. Pellon. obſerv. l. 2. c. 68. Aelian. H. A. l. 13. c. 37.

Plin. H. N. l. 9. c. 10.

Cardan. de rer. variet. l. 7. c. 37.

AP-

APPENDIX.

De quibusdam exoticis quadrupedibus iisque dubiis.

CAPUT I.

De Tlacaxolotl, Cabim, et animali maripeto.

Absoluta ita, per Dei gratiam, omnium quot quot nunc nota quadrupedum historia, visum est hanc de quibusdam exoticis, et quidem dubiis, Appendicem annectere. Dubiis inquam. Nam ad quod genus referri proprie, adhuc mecum delibero. Inter haec occurrit primo *Tlacaxolotl*, sive animal abrotundae *faciei*, bestiam tauro vastiorem, *capite* magno, prolixo *rostro*, latis *auriculis*, atrocibus *dentibus*, humana pene facie, unde sumsit nomen, crasso *collo*, manibus pedibusque, et his taurinis unguibus, sed maioribus, magnis latisque clunibus, *cauda* crassa et prolixa, ac pelle crassa, fulvo et hispido *pilo*. Rarum animal, saxorumque et solitudinum incola. Atzaceani, Tepotzonzotla, et Haquelagani, non procul a regione, quam a situ profundiore vocant Dehonduras. *Vescitur* montano cacaotli, quapachtli, et virenti haoli, vastatis passim arvis satisque, cum horum non adfuerit copia, foliis arborum et fruticum. *Caro* edulis est. Humanum conspectum non reformidat, neque sagittarum ictibus occumbit, tergus enim est impenetrabile. Quamobrem defossa terra, ac desuper ramis frondibusque contecta, et subaggerata capitur, haud aliter ac apud Indos Orientis elephantes.

Nieremb. Hist. Exot. l. 9. c 3. Animal *Cabim* Maphaeo animal *Sionium*, Antonio a S. Romano *Thabal* dicitur. Nascitur in lava. Huius animalis unam virtutem scio, sed mirificam. Si eius oscilli extremitatem aliquis gestet, quantumvis mille transverberatus vulneribus, ne guttam sanguinis dabit, experimentis pluribus probatum est: sed illud celebre et notissimum, quod cum Naodabeguea Malacensis infensus Lusitanis, et adversus illos egregie dimicans, tandem oppressus, multisque confossus ictibus corrueret, ex patulis vulneribus nihil omnino cruoris manaret. Mox inter spoliandum, ut primum detracta eius brachio est aurea armilla, mirum dictu, tamquam vase confracto, ita sese cum anima universus repente sanguis effudit. Cuius rei stupore defixi Lusitani, cum de aliis captivis causam quaesissent, cognovere inclusum esse in armilla os eius animalis, cuius in sistendo sanguine tam efficax esset vis.

Quantum ad animal *Maripetum*, scribit Aloysius Almeida cum periculo omnis fidei, et multi confirmant, apud Iapones in regno Goto extare silvam, in qua tantum gignitur animal canis magnitudine, cruribus brevioribus, ad esum humanum percommodum, aureo colore, praemolli etiam villo. Cum senuerit hoc animal, dimissa terra, sponte mare ingredi, ibique paulatim transformari in piscem, ac per singulares corporis partes, certo quodam temporis intervallo, vere mutata quadrupedis forma, ac natura transire in piscem. Idque adeo verum esse obtestatur Auctor, ut affirmet aliquando contigisse, piscem huiusmodi captum, inventum nondum omnibus corporis quadrupedis partibus prorsus transformatis, nondum videlicet opportuno elapso tempore, quo omnia piscis membra effici potuerunt, pars enim adhuc habebat formam quadrupedis, altera iam squamis et pennis formata videbatur. Adiicit, fabulosum hoc non esse, sed compertissimum iam fuisse, veritatique huic adstipulare indigenarum omnium consensum. Nieremb. Hist. Exot. l. 9. c. 49.

* * *

CA-

CAPUT II.

De Dante et Cappa.

Nieremb. Hiſt. Exot. l. 9. c. 65

Sui generis animal *danta* eſt, aliqui Indi *capam* vocant, alii *tapirouſſu*, alii *doueanare*, ut Lerius ſcribit, ſed mulis ſimilis. Mulares habet *aures*, vitulina *labra*, *roſtrum* ſuperius propendet per palmum ſuper rictum, attollit, cum iraſcitur, pene reliqua membra diverſae beſtiae ſimilia, ſed plerumque vitulo conformiora. *Cornu* caret. *Vngula* iuvat dolorem cordis, pellis loricae uſum ſupplet, impenetrabilis eſt ictibus. Duo *ventriculos* habet, unus alimenta excipit, alter ignoto adhuc ſacramento invenitur putrefactis lignis et virgulis plenus. Una auctoritas parſimoniae naturae excuſet hic ſuperfluitatem. Neſcitur uſus et finis huius ventriculi. Venator oportet, vulneret illam ante ingreſſum aquae, ibi enim morſu ſe defendit, et occidit canes. Didiciſſe phlebotomiam fertur ex hac beſtia, homines doctos, namque cum craſſeſcit, interna crura vulnerat arundine reſecta, eadem induſtria atque Hippopotamus.

Lerius de hac bellua ſic narrat: Hanc *tapirouſſu* adpellant, pilo ſubrubeſcenti, atque promiſſo, vaccam magnitudine ac forma valde referentem. Attamen cum cornibus careat, ſitque contractiore collo, auriculis longioribus et pendulis, ſiccioribusque tibiis ac gracilioribus, ungula continua, et aſini ungulae perſimili, merito quis eam vaccae aſinique naturae participem eſſe diceret. Differt nihilominus ab utroque plurimum, quod et breviſſimam gerat caudam, obiterque hic monendus eſt lector, permulta in America gigni animantia, quae omnino ſine cauda ſint, et dentes habeat multo acutiores, nec hominibus propterea quidquam periculi ab ea poteſt creari, cum in fuga potius, quam in viribus ſalutem ponere conſueverit. Eam barbari ſagittis confixam, ut et alias plerasque interficiunt, aut foſſa excavata, muſcipulis ſeu aliusmodi ingenioſe fabrefactis venari ſolent. Caeterum fera illa magno eſt in pretio apud barbaros, pellis gratia, quam ſimul atque illi detraxerint, dorſi corium in orbem circumcidentes, ad ſolem exſiccant, in parmasque findi mediocris cadi magnitudine conformant, quibus in bello hoſtium excepta repellunt. Tantam vero duritiem pellis ad ſolem ſiccata contrahit, ut nullius ictu teli, quantumvis magno impetu vibrati, transfigi poſſe facile credam. In Galliam duas huiusmodi parmas ſtudioſe afferebam, redeuntibus vero fames ita moleſta fuit, ut omni commeatu abſumto, ne cercopithecis et pſittacis, eiusdemque generis animantibus exceptis, quae ex regione illa nobiſcum advehebamus, parmae illae duae carbonibus impoſitae, fuerint etiam ad depellendam famem comedendae, quibus reliquae pelles, quae, ut ſuo dicam loco, in navi erant, additae ſunt. Porro Tapirouſſu caro ad bubulae guſtum fere accedit. Adpendo, quae *Franciſcus Hernandus* de *dantis* ſcribit. Mediocrium mularum aequant magnitudinem, fulvo teguntur pilo, et firma impenetrabili veſtiuntur pelle. Capiuntur in canibus, ſed diligenter cavendum, ne prius confugiant ad flumina, in quibus ſeſe adverſus illos vehementius tuentur. Carnes eorum, ac praecipue pedum, ſi probe coquantur, guſtu ſuaves ſunt, ac bonum alimentum praeſtant, offenduntur autem haec animalia non una in parte continentis.

Cappa dicitur animal aſino grandius, nigrum, villoſum, ferox, canibus quoque infeſtum. Obvium quemque raptat, non ſecus, ac lupus pecudem. Forma pedum inſolens. *Vngula* ſimilis eſt calceo Gallico, a fronte lata, rotunda, non ſciſſa, a calcari acuta. Aſpectum humanum formidat. Fortaſſe hoc eſt anonymum animal Franciſci Hernandi, et ex dantarum genere, de quibus iam dixi. CA-

Nieremb. Hiſt. Exot. l. 9. c. 71.

CAPUT III.

De Eiulatore, Su et Peva.

Nieremb. Hiſt. Exot. l. 4. c. 72.

De *Eiulatore* ita idem Nierembergius. Nocentior aſtus alterius animalis, infantilem ſimulantis luctum, edito ſono ſub oppida et villas in prima nocte. Statim miſerenti accurrentes, affectu quaeſituros plorantem perimit. Sed iam caute repetito periculo oppidani, prodeunt e domibus incenſis titionibus ſtructi. Forma et moles huius ferae canem leporarium imitatur.

Idem l. 9. c. 74.

Su, id eſt aqua, quod iuxta fluvios plerumque degat, apud Patagones invenitur. Alii *ſuccarath* vocant. Torva eſt, prima oris acie quodammodo leonem aemulatur, aut hominem, nam ab aure barbata, haud promiſſis valde pilis, pectore propendente, circa lumbos nimis conſtringitur, *cauda* ampla et longa ſciuri inſtar. Gigantes eius regionis, quoniam coelo non admodum calido fruuntur, protegunt ſe huius ferae pellibus. Cum urgetur pellis gratia, catulos in dorſum admiſſos cauda contegit, et fuga elabitur. Capitur una cum catulis ſcrobe effoſſa et celata ramuſculis. Incluſa, prae rabie aut generoſitate catulos obtruncat, et horribili clamore venatores atteret, donec ſagittis caeſa excorietur. Legi, licet auctor non ſit oculatae fidei, prae caritate ad prata portare filios, ubi ſertis floridis et odoriferis, comit et coronat illos, tum filios recicomare ſimili in parentes vetulos pietate, eoſque portare et alere.

Peva catelli eſt magnitudine. Hoc ubi tygridem conſpexit, illius inſiſtit veſtigia, et allatrat aſſidue, ut latratu audito, tum ferae, tum homines latebras petant, ac ſibi ab inſtanti fera caveant. Hinc ſaepe fieri videmus, ut prae inedia, praedaeque defectu, in agris expirent. Nieremb. H.E. l. 9 c. 76.

CAPUT IV.

De animali foetido, Graffa et Caoch.

Nieremb. l. 9. c. 80.

Apud Chiribicenſes animal eſt geſtu mirabile, ait Petrus Martyr, ſtrigoſum, cubitales loco ſtercoris emittit colubros. Unum domi ſuae ſe nutriſſe, et aperto experimento rem ita eſſe deprehendiſſe, Fratres Dominicani aſſerunt. Quod ſolutae tendant colubri, interrogati. Ad vicinas dixerunt ſilvas, ubi vitam agunt brevem. Putet animal plus, quam qualecunque cadaver foetidum in ſterquilinia proiectum: Inde putoris eius impatientes interfici animal Dominicani iuſſerunt. Vulpem *roſtro*, *pilo* lupum imitatur. Cum in infantum ventribus vermes paſſim creari, neque ſenes ab ea peſte eſſe immunes, atque una cum excrementis, emitti vivos didicerim, quos mutato nomine vulgus lumbricos appellat, curet illud accidere poſſe non crediderim, *inquit Nierembergius*, talibus praecipue viris, id affirmantibus.

Graffa in inſula Zanzibar potiſſimum invenitur. Animal eſt exigui capitis, et longiſſimi colli, anteriora crura oppido excedunt poſteriora, colore vario albet, rubet, roſeisque diſtinguitur maculis. Mitis beſtia eſt. Idem l. d. c. 82.

Coach animal eſt tres dodrantes longum, pilo veſtitum nigro, promiſcue cum candenti, ſed ventre fulvo. Clamans noctu, humanas imitatur voces. Suis inſtar edit mayzium cum viret, nec dum ſpicas concoxit Sol. Idem l. d. c. 93.

Et tantum de Quadrupedibus ſufficiant. Si quid interim obvenerit, quod nos hactenus latuit, in Paralipomenis, ſi Deus ita voluerit, poterit adiici.

Gratia Tibi Domine IESV.

PETRI CASTELLI, ROMANI,

EXETASIS

DE

Hyaena Odorifera, Zibethum Gignente, quae Civetta vulgo appellatur.

CAPUT I.

In rebus arduis indagandis exacta, et ſedula opus eſſe cogitatione, longaque meditatione, et quo quisque iudicio, et ratione magis pollet, eo facilius obſtructa reſerare, recondita promere, et inacceſſa aſcendere, ſatis cuique patens eſt. Quaeſitum. Unde, cum inquiritur, *an antiquorum Hyaenae nobis innoteſcant*, et vice verſa, *an Zibeth ferax animal priſcis innotuerit*, multis valde arduum omnino videatur. Neceſſum erit, diligenti perveſtigatione nos uti, et magis iudicio, ac ratione, quam ſenſibus inniti, horum ut voti compotes evadamus, quare a nominis, quod multiplex eſt, explanatione initium ducentes *Civettam*, Nominum enumeratio. Ruellio *Sivettam*, animal nunc ita dictum, ex qua Zibethum colligitur, quamque *Catum Zibethicum* Matthiolus, Scaliger, Renodeus et alii vocarunt, *Muſtelam* vero hiſtoriae inſulae Virginianae Auctor cenſuit, *Zapetion* a Graecis recentioribus dici ſcripſit Renodeus, et a quibusdam *Cadopleptum* appellatur, HYAENAM ODORIFERAM nos nuncupabimus.

Zebet quid. Porro huiuscemodi nomenclaturarum quaerendi etymon *Zibeth* Arabicum eſſe nomen, reſpondere licebit, apud Arabes enim huiusmodi nomen diverſo, quamvis ſignificatu legitur. Nempe apud Serapionem cap. 121. de *Sedervam* his verbis: *Zebet, et eſt Algalia habens odorem bonum, et ingreditur in medicinis ad abſcindendum fluxum ſanguinis, et ad caſum capillorum.* Et addit Sadervam eſſe dictum in lingua Perſica, *et eſt res nigra cum qua tinguntur lina in Haaman, et eſt herba, vel ſuccus niger, ingrediens in medicinis odoriferis.* Citat autem Abenmeſuai, Bedigoram, et Raſim, non autem Graecos, et ipſe Raſis de eadem re agit lib. 3. ad Almans ſub nomine *Scedram*, vel *Scedeguram*. Et ludaeus apud Ianuenſem in ſynonymis *Severam* vocavit, ex quibus conſtat Serapionis *Zebeth* aliud quid a noſtro Zibetho eſſe, nec quid ſit, id quod propoſuit Serapio, imaginari queo, in mentem tantum venit Arabibus Zebeth ſignificare rem odoratam, ſicut Galia et Algalia, cum dicat hic Serapio Zebeth eſſe Algaliam unde extant compoſitiones non paucae Galiae nomine, ut Gallia moſchata, Gallia Alephangina, Gallia Sebellina, etc. erit ergo Gallia, et Algalia odoramentum, unde Zebeth noſtrum ſumme odoratum avorum noſtrorum aetate tale ſumſiſſe nomen cenſendum. Ita Simon Ianuenſis Zebeth eſſe Avicennae Galiam, ſeu Algaliam, et animalis Arabici ſudorem, de quo videtur fuiſſe locutus Avicenna lib. 2. c. 326. ſumſit, ſed Avicenna Zebeth, et Algalia diverſa res erit, a Zebeth et Galia Serapionis, quae herbae ſuccus eſt, et a Zebeth videtur primo animali ipſi nomen *Zivettae* ſeu *Zebettae* fuiſſe impoſitum, a quo corrupto *Sivettae*, et *Civettae* nomenclatura ortum duxit. Quod ſi Pandectario fides aliqua eſt

Algalia.

Avicennae Zebeth

prae-

praeſtanda, quum *Zebet albahar* ſpumam maris interpretetur, Zebet forte *ſpumam* ſignificabit, et non inepte noſtro Zibetho aptabitur metaphora, ſiquidem, quum colligitur irato animali, quaſi ſpumans adparet.

Qui Catum, vel Muſtelam dixere, hoc animal inter feles ſilveſtres repoſuiſſe reor. Verum etiamſi capitis ſit aliqua ſimilitudo, in caeteris tamen plurimum diſcrepant. *Nos Hyaenam odoratam* nuncupare maluimus, idque in ſequentibus probabile oſtendemus.

CAPUT II.

An Civetta ſit Pardalis Antiquorum?

Cur animalia inodora.

Quaerit Ariſtot. ſect. 13. probl. 4. Cur animantium nullum bene oleat, praeter pardalim, ſeu pantheram, haec namque propter ſuavem, quem ſpirat odorem, ad ſe feras illicit, quod pluribus expoſuit Theophraſtus ipſius diſcipulus libro 6. de cau. plant. cap. 5. hiſce verbis: *Omnino inter bruta, vel nullum, vel certe rarum admodum eſt, quod odorem perſequitur gratia ſuavitatis, niſi per accidens, cum alimentum eſt tale. Quippe adpetitus ad ipſum pabulum, eiusque cauſa eſt. Si quid tamen etiam iſtiusmodi eſt, haud quaquam hominibus conſtat. Nam, et pardalim caeteris animalibus ſuaviter olere quidam affirmant, et venari in ſenecta nimirum beſtias alliciendo gratia ſui odoris. At nobis nullam odoris affert ſuavitatem. Niſi verum etiam illud dixeris, ut certe eſt verum, olfactum homines habere omnium ferme deterrimum. Itaque multi odores, ſuavitatesque eorum, vel gravitates, latere* Pantherae odoratae. *hominem poſſunt*, et cap. 26. *Animal nullum*, inquit, *penitus odoratum eſt, niſi quis pardalim dixerit belluis bene olere*, retulit id etiam Plinius lib. 8. cap. 16. *Ferunt* ſcribens, *odore earum mire ſolicitari quadrupedes cunctas, ſed capitis torvitate terreri. Quamobrem occultato eo, reliquas dulcedine invitatas corripiunt.* Dixerat enim Ariſtot. lib. 9. de Hiſt. An. cap. 7. *Pantheram ſeſe abſcondentem venari dicunt, propterea, quod ſuo odore belluas delectari intelligat, propius enim ita accedunt, quas corripiat, huiuscemodi autem ſuavem odorem, non belluae tantum ſentiunt, ſed ſui odoris vim ipſa quoque pardalis ſentit.* Scriptum etiam reliquit Aelianus lib. 5. de Hiſt. Anim. cap. 40. Venatus Pantherae. *Admirabilem quandam, et nobis occultam odoris ſuavitatem olet pardalis, quam bene olendi praeſtantiam divino munere donatam, cum ſibi propriam plane tenet, tum vero caetera animalia hanc eius vim praeclare ſentiunt. Haec autem hoc modo venationem capit. Quum horum, quae ad victum opus ſunt, eget, ſeſe vel in loca fructibus denſis conſita, vel foliis veſtita ita occultat, ut inventu difficilis, tantum reſpiret. Tum hinnuli, dorcades, caprae ſilveſtres, atque alia eiusmodi animalia quaedam ſuavis odoris illecebra attrahuntur, et proxime accedunt, illarum, quam mox de latebra exiliens ad praedam ſe rumpit, atque eam comprehendit.* Eſt igitur Pardalis odorata. Addit Plinius: *Panthera, et Tigris macularum varietate prope ſolae beſtiarum ſpectantur, caeteris unus, ac ſuus cuiusque generis. Pantheris in candido maculae rum oculi.* Haec autem duo, odor, nimirum, et maculae, Petrum Gillium, et alios, ut refert Geſnerus, induxerunt, ut crederent, noſtram Civettam eſſe pardalim antiquorum. Quae opinio facile refellitur. Antiquorum enim panthera vera omnibus hoc aevo eſt nota, et multum differt a Civetta, immo Septalius in problematibus, Ioan. Faber, et alii negant pantheris ſuavem ineſſe odorem, ſed bruta alimenti ſpecie odorem iſtum inſequi, hominibus autem neutiquam gratum adparere. Sed, ut verum dicam, multorum animalium excrementa hominibus ſuaviter odorata videntur, quae Ariſtoteli, atque Theophraſto ignota fuerunt. Siquidem Plin. libro 28. de animali Cordylo Crocodilo ſimili verba faciens, *Alter* inquit, *illi ſimilis, multum infra magnitudinem, in terra tantum, odoratiſſimisque floribus vivit,*

Error. P. Gillii.

Animalium excrementa odorata.

vivit, ob id inteſtina eius diligenter exquiruntur iucundo nidore ſarcta Crocodileam vocant, nimirum ipſius excrementum. Murium autem ſilveſtrium, qui flavo colore, et noſtrorum puerorum deliciae, nuncupati *Sorci moſcaroli*, ſtercus odore moſchi praeditum eſt, tale etiam ſerpentium quorundam ſentitur. Et Renodeus de mat. med. lib. 3. c. 15. *Eſt quoddam genus muſtelae maioris, quae, quod martia ſit, et pugnax, gallinas enim etiam grandiores enecat, quibusdam Martes, aliis Martorella, vulgo Fovina dicitur, cuius excrementa moſchum redolent, ut ſaepe obſervavi.* Addit Scaliger Exer. 211. part. 2. cercopithecum nihilo inſuavius, quam quodvis moſchum fragrare, mediocriter tamen et ſine faſtidio. Moſchum etiam Gazellae excrementum eſſe, notiſſimum eſt. Addam ego me obſervaſſe parva quaedam inſecta vaginipennia a me picta libro de Inſectis, quae contrectata ſuaviſſimum ſpirabant odorem, qualis in floribus Dipcadi, ſeu Muſchi Graeci dicti percipitur. Igitur praeter pantheram, multa etiam animalium ſunt genera valde odorata, et hominibus grata, inter quae eſt Zibeth, quare mitto tamquam inutilem quaeſtionem illam inter Cardanum, et Scaligerum de odore animalium, et de naturae conatu in eius generatione.

Inſecta odorata.

Quidam arbitrati ſunt, animal Zibetti, ut refert Dalecampius, eſſe Plinii *Chaum*, de quo talia protulit. lib. 8. cap. 19. *Pompeii Magni primum ludi oſtenderunt Chaum, quem Galli Raphium vocabant, effigie lupi, pardorum maculis.* Namque hae notae adſunt in Civetta. Verum nulla odoris fit mentio, nomen autem, quod habet Gallicum, fortaſſe a Gallia patria deſumſit. Nec caput lupi eſt in Civetta, quamvis adſint magnitudo pilorumque aſperitas, et color, maculae pellis ipſum praeterea diſtinguunt. Annotavit vero Dalecampius, fortaſſe Thoem pro Chao eſſe reponendum, vulgo Lupum Cervarium, et qui Genettam noſtram eſſe putant, veriſimiliora loqui videntur. Sed de Thoe extant Phiſes verſus Graeci, qui ita latine ſonant:

Chaum.

Thoes.

At quae pudoris eruditus dogmata,
Hominem veretur Thoe, hominem
ſi viderit?
Quae iura foederationis mutuae
Colens opem fert impiger nobis ſuam,
Hoſtilis in nos irruat ſi bellua?

Herodotus lib. 4. Thoes ex hyaena, et lupo genitos eſſe, teſtatum reliquit.

CAPUT III.

An ſit Antiquorum Hyaena?

Civettam veteribus probe fuiſſe cognitam, et Hyaenam ab ipſis fuiſſe nuncupatam, eorundem auctoritate demonſtrare conatur Petrus Bellonius ſuar. obſerv. lib. 2. c. 20. quamvis odoratum reddere excrementum non obſervaverint. Ratio autem eſt, quia Civetta ferum eſt animal, quale etiam Hyaena deſcribitur, nec tradita figura differt, ſi quidem Hyaena ex Ariſtotele colore lupi prope eſt, ſed hirſutior, et iuba per totum dorſum praedita eſt. Civetta etiam magnitudinem, et colorem lupi habet, ſimilique modo hirſuta eſt, verum corpus maculis eſt aſperſum nigris, ita, ut ſub oculis binae ſint nigrae maculae, pedes nigro pilo obſiti, crura maculata, cauda oblonga, ſuperius nigra, infima vero parte albis maculis aſperſa. Praeterea Civetta in cervice, et per dorſi ſpinam pilos habet nigros, quos ſurrigit, cum indignatur, non minus, quam ſus, inde factum, ut Glanis piſcis etiam Hyaena nuncupatus ſit, et talis forte erit iuba illi ab Ariſtotele tributa, accedit, quod omnes antiqui maxime ferum animal dixerint Hyaenam, adeo, ut pantherae mirum in modum eas timeant, etenim ſcriptum fuit a Plinio lib. 28. cap. 8. *Praecipue pantheris terrori eſſe traduntur, ut ne conentur quidem reſiſtere, et aliquid de corio earum habentem non appeti. Mirumque dictu,*

Hyaena piſcis.

ſi

ſi pelles utriusque contrariae ſuſpendantur, decidere pilos pantherae. Hyaenam pardali inimicam eſſe, Aelianus etiam lib. 6. c. 22. retulit. At Civettam Cardanus X. de ſubt. feram adeo iudicavit, ut, quod nulla temporis longitudine miteſcat.

Genitale Hyaenae. Potiſſima autem ratio deſumitur ex eo, quod antiqui Hyaenam genitale ſimul et maris et foeminae habere ſcripſerunt, unde Ovid.

- - - et quae ſit foemina tergo
Paſſa marem, nunc eſſe marem miretur Hyaenam.

Et Plinius libro 8. cit. *Hyaenis utramque eſſe naturam* ait, *et alternis annis mares, alternis foeminas fieri, parere ſine mare vulgus credit,* quod, quamvis re vera falſum ſit, negetque conſtanter Ariſtoteles, tamen negligenter aſpicienti vas quoddam ori vulvae ſimile, foemininus videtur ſexus, quae apparentia forſan impoſuit antiquis, ut crederent utroque ſexu donatam fuiſſe Hyaenam. Ariſtot. 3. de Gener. Anim. cap. 6. voluit ſtulte, magnoque errore narrari a multis Hyaenam duplex genitale habere, maris et foeminae, et 6. de Hiſt. Anim. c. 32. commentitium id eſſe aſſerit. *Sed Hyaenae virile ſimiliter, atque in lupis, et canibus haberi, quod vero foemineum eſſe videtur ὑποκάτω ſub cauda poſitum eſt, figura ſimile genitali foeminae, ſed ſine ullo meatu, ſub hoc meatus excrementorum eſt. Quin etiam foemina Hyaena praeter ſuum illud, etiam ſimile, ut mas habet, ſub cauda ſine ullo meatu, a quo excrementorum meatus eſt, atque ſub eo genitale verum continetur. Vulvam etiam Hyaena foemina, ut caeterae huiuſcemodi foeminae animantes habent,* et lib. de gen. citato ſcripſit Hyaenas tam mares, quam foeminas habere ſub cauda lineam quandam ſimilem genitali foemininо, quae quidem nota, quamvis communis ſit, tamen in maribus potius cernitur, quia mares, quam foeminae frequentius capiuntur, quae, qui negligentius conſiderat refert Ariſtoteles, in dictam aberrat opinionem.

Ariſtot. de genetali Hyaenae.

Linea pro Genitali.

Nobis diligentiſſime conſideran- Notae ab Ariſtot. aſſignatae.
tibus Civettae genitalia membra, apparuit in ipſis ad amuſſim, quodcumque Hyaenae tribuit Ariſtoteles, ſiquidem haec primo aſpectu, et negligenter conſideranti duplex videtur habere genitale, at diligen- Hyaenae conveniunt noſtrae.
ter ſpeculanti nullo modo duplex apparebit, ſed unicum tantum, et maris tantummodo in mare, quale fuit in cadavere a nobis ſecto, virile autem perinde, ut lupi, et canes habet, nimirum oſſeum, in hoc tamen differt a canibus, lupis, et vulpibus, quod horum genitale totum in medio ſit oſſeum, glans vero carnoſa ſolum ſine oſſe, contra Civettae oſſiculum eſt in ſo- Genitale oſſeum.
la glande admodum breve, reliqua pars genitalis nervoſa oſſe carens. Vidimus etiam cuniculum Indicum dictum Romae *porcelletto d' India* in genitali continere oſſiculum in ſummo tenue, in baſi quadratum, ſed depreſſum.

Quod vero foemineum eſſe videtur, infra caudam et genitale poſitum eſt, immo inter virile et teſtes, figura ſimile vulvae foeminae, et in mare labiis eſt craſſioribus, quam in foemella, verum ſine ullo Linea Gemeatu eſt, ſed duae tantummodo niralium.
cavitates inſpiciuntur, in quibus colligitur excrementum dictum Zibeth, vocavit autem Ariſtoteles hanc particulam in libro de Gener. Anim. citato, *lineam ſimilem genitali foeminino*, Graece ὁμοίαν γραμμὴν τῷ τοῦ θήλεος αἰδοίῳ, nam negligenter aſpicienti foeminea apertura, quaſi linea videtur, ſed meatus non habet penetrantes. In foemina porro civetta eaedem partes eo- Opinio Bellonii.
dem ſunt diſpoſitae modo, et ubi in mare eſt virile, in foemina vulva eſt, ſolummodo vaſcula zibetti in foemina minora ſunt, et teſtes interius latent. Cum igitur tanta adpareat Hyaenae, et civettae genitalium partium ſimilitudo, aſſerendum omnino videtur cum Bellonio, idem eſſe animal, quamvis Zibeth excrementum non conſideraverint antiqui.

Ex altera parte Scaliger de ſubt. exer. 117. part. 7. irridet Hyaenam exiſtimantes Catum Zibeticum, quam quoque opinionem refellunt etiam Geſnerus; Augerius Busbequius Ep. 1. de legatione ſua Turcica, Cluſius in addit. ad Belloniuum, et Io. Faber Bambergenſis in Romano Lyceo meus olim Collega, plura namque ſunt ab Ariſtotele, Plinio, Solino, atque Aeliano de Hyaena relata, quae Civettae noſtrae aptari minime queunt.

Hyaenam non eſſe Catum Zibeticum.

Primo quidem collum, et iubam continuitate ſpinae porrigi, flectique niſi circumactu totius corporis non poſſe, de Hyaena retulerunt, quod in Civetta noſtra falſum vidimus, et ex oſſium forma in noſtro Scheleto quilibet conſiderare valet, collum facile verti poſſe.

A Colli inflexione.

Praeterea Solinus aſſeruit in ore gingivam nullam, ſed dentem unum habere atque perpetuum, qui ut nunquam retundatur, naturaliter capſularum modo clauditur, in noſtro autem Scheleto dentes plures.

Ab uno dente.

Demum ſcriptis mandarunt Hyaenam ſermonem hominum aſſimilare, paſtorum nomina addiſcere, ut eos dolo capiat. Item vomitionem hominis imitari ad ſollicitandos canes, quos invadat. Nec ullum ex his adhuc obſervatum eſt in Civetta, etiam maxime cicurata. Sed haec facile refelleret Bellonius. Namque ſicut lupo, et leoni falſo tribuit Ariſtoteles huiuſcemodi rigorem colli, ita falso potuit eundem tribuiſſe Hyaenae. Deinde Solinus non loquitur de Hyaena; ſed de Crocuta, quae genita fuit ex Hyaena, et leaena. Quae demum afferuntur, ſunt potius admiranda, quam credenda, tum quia, qui ea retulit Plinius pro re mirabili propoſuit. Aelianus vero lib. 7. c. 22. Crocutae iſta tribuit, dubitatque an ſit fabuloſum, quod confirmari videtur, quia Ariſtoteles tamquam falſa ea reticuit, nec Busbequius meminit in ſua Hyaena.

A ſermone humano.

Crocuta quid ſit?

Addit Scaliger contra Cardanum Ever. 211. part. 2. tantum abeſſe, ut Civettae ſint implacabiles, ut eorum unam humeris ſuis geſtaret Nicolinus ab Anciſa Marchionis Mantuae ſpurius, immo Bellonius fatetur, quendam Alexandriae, qui tunc Florentinorum Conſulem agebat, Civettam habuiſſe adeo cicurem, ut cum hominibus colludens illis naſum, aures, et labra ſine noxa morſu prehenderet. At levia quidem haec ſunt, natura enim ferum eſt animal, et foeminam quidem cicuratam ſcimus, non autem marem.

Civetta manſueta.

Maiorem vim facit Iuba, quam ex Ariſt. 8. de Hiſt. Anim. c. 5. Hyaena habet, quemadmodum equus, ſed ſeta duriore, longioreque, et per totum dorſum porrecta his verbis: χαίτην δὲ ἔχει ὥσπερ ἵππος, καὶ ἐπικληροτέρας καὶ βαρυτέρας τὰς τρίχας, καὶ ἐπὶ ὅλης τῆς ῥάχεως: et libro 6. c. 31. *Iuba per totum dorſum praedita eſt*, ſcriptum reliquerat, et quamvis Civetta irata in dorſo pilos erigat apri modo, non tamen longior eſt equina iuba.

A Iuba.

Sed reſpondere probabiliter admodum Bellonius poſſet: Nequaquam eſſe intelligendum Hyaenum habere iubam longiorem equina iuba, ſed caeteris ſui corporis pilis, quia equi multi iubam habent ultra tres palmos longam, quod ſi talem, et longiorem, ac duriorem, nec non per totum dorſum porrectam haberet Hyaena, quum ſit animal omnium conſenſu lupi magnitudine, et proinde duobus palmis non altius, procul dubio huiuſmodi iuba longa per terram traheretur, quare rationi conſentaneum eſt dicere Ariſtotelem voluiſſe, iubam Hyaenae per totum dorſum eſſe porrectam, non in collo tantum, atque conſtare ex ſeta duriore, et longiore, quam ſint reliqui pili, ut videmus in ſuibus, et in noſtro Civetta.

At dices, ſi hoc eſt, cur Ariſtoteles Hyaenae iubam non aſſimilavit potius Aprinae iubae, quam equinae, quae in ſolo eſt collo? Reſpondetur: Ariſtotelem fortaſſe deſcripſiſſe formam Hyaenae ex aliquo Indo auctore, qui equum iubatum

tum in collo vidit, non autem aprum, vel ſuem, haud enim conſtat, an in India naſcantur ſues noſtris ſimiles, unde Ariſtoteles non commutavit inditam iubae ſimilitudinem.

A Genitalium ſitu. Genitalium praeterea ſitum diverſum eſſe Hyaenae, et Civettae, ex Ariſtotelis verbis colligunt Scaliger in libro 15. Metamorph. Ovidii, et Io. Faber hoc loco. Namque Ariſtoteles videtur collocare, tam in mare Hyaena, quam in foemina imperviam vulvam ſtatim ſub cauda, ſub hac excrementorum exitum, ſub quo genitale, ex quibus colligit Scaliger, tum a ſitu, tum quia impervius eſt meatus, non eſſe uterum, abſurdum enim eſſet cenſere matricem ſupra rectum inteſtinum ſub dorſo eſſe. Nam ex Ariſtotele meatus excrementorum inter illam rimam, et veretrum eſt. Faber autem invenit etiam Scaligerum ſibimet ipſi contradicentem Exerc. 217. contra Card. par. 7. *Ariſtotelem* inquiens, *eam rimam, quae ſub excrementorum exitu eſt, impervium introrſum eſſe dixiſſe, et dicere debuiſſet*, ait Faber, *quae ſupra excrementorum exitum eſt, ſi Ariſtotelis mentem declarare, nec ſibi ipſi contradicere voluiſſet.* At veritas ipſa coegit Scaligerum recte loqui, eo enim modo intellecta Ariſtotelis verba rem impoſſibilem fingere videntur, omnia enim animalia caudata meatum excrementorum immediate ſub cauda habent; unde, vel deceptus fuit Ariſtoteles falſa relatione, vel error eſt in textu, et intelligendus, quod dicat, ſub cauda quidem eſſe pſeudovulvam, ſed non immediate, aut ſub cauda meatum excrementorum, ex altera vero Genitale verum, ipſum vero in medio, et haec ſunt conſona rationi, et poſitui, quem a natura obſervatum in Civetta videmus, illam autem ſituationem in nullo animali, nec etiam monſtruoſo adhuc vidimus. Sed ſubtilius hi diſputaſſent, ſi dixiſſent, Hyaenam habere lineam tantum ſine ullo penitus meatu, ſed Civettam habere meatus duo, et cavitates, in quibus colligitur Zibethum, verum non ita ſtricte accipienda ſunt Ariſtotelis verba, ſed ut rationi, et experimentis congruunt. Porro Busbequius, qui legitimam antiquorum Hyaenam ſe vidiſſe refert, lineae dictae ſitum et formam ſi dilucidaſſet, ſuas egiſſet partes, interim dicemus Hyaenam nonpoſſe habere ſuum pſeudouterum, niſi ea poſitione, qua ſpectatur in Civetta, quae magnitudine ſua ferme naturali talis eſt in reſupinato animali.

Sed omnium maxime hanc refellit Bellonii opinionem ipſe Busbequius, dum narret, ſe Hyaenas duas Conſtantinopoli vidiſſe, cui fidem praeſtamus, deſcribit autem lupo aliquanto humiliorem, ſed nihilo breviorem eſſe. Pellem habere lupi ſimilem, niſi, quod pilo ſit horridiore, et grandiore, maculis quoque nigris diſtinguatur. Atque caput, quod maximum eſt, dorſi ſpinae contiguum ſine ullis vertebris eſſe, ut cum reſpicere velit totam vertere neceſſe habeat, plurimas eſſe in Galatia Hyaenas, et frequentiſſime ſepulcra ſuffodere, et oſſa congregare ad ſuas ſpeluncas, tam humanorum, quam ferinorum cadaverum, et ob id Hyaenas facile inveniri, nimirum ex oſſium cumulo, ante harum ſpeluncas conſpecto. Praeterea Ioannes Leo in nova Africae deſcriptione eſſe, ait, forma lupi, habere pedes humanis ſimiles, humanis maxime cadaveribus delectari, quae ex ſepulturis auferat. Animal eſſe minime aſtutum, et cum cantu, ac tympani ſono maxime recreetur, fieri, ut interea venatores adeo ad muſicam attento, ſune pedes ambos innodent, atque ita e ſpeluncis ſuis extrahant occidantque. Sed adhuc dubitare licet, numne haec ſit vera Hyaena, quum nec iubae, nec genitalium partium, nec morum ab antiquis Hyaenae tributorum fiat mentio, ſed diverſorum, immo cum veteres maxime malignam, et callidam deſcripſerint Hyaenam, et leo dictus minime aſtutam praedicet,

Busbequii negligentia.

Figura I. Deſcriptio Hyaenae a Busbequio.

Ioan. Leo.

Dubitatio.

cet, dubitatio augetur, quia nec conſtat de noſtra Hyaena, quod refert Plin. lib. 8. c. 30. *Hyaenae plurimae gignuntur in Africa, quae et aſinorum ſilveſtrium multitudinem fundit. Mares in eo genere ſinguli foeminarum gregibus imperitant. Timent libidinis aemulos, et ideo gravidas cuſtodiunt, morſuque natos mares caſtrant. Contra gravidae latebras petunt, et parere furto cupiunt, gaudentque copia libidinis.* Tamen cum dicatur Hyaena libidinoſa, et mas, et foemina, non differet a noſtra, quae ob Zibethum, non ſolum ad coitum prona eſt, ſed alios homines utriuſque ſexus, ob id ipſum inunctum incitat.

Huc etiam referendi erunt Philes Graeci verſus de animalium proprietate quibus quaedam animalium proprietates adnotantur, non convenientes Cato Zibethico, ut cap. 43. de Hyaena, et terreſtri, et marina: qui ita latine ſunt redditi.

Hyaena, quae mas pridie videnda erat,
Nunc foemina eſt, initque inituraque invicem,
Maternus utque fiat avus haud dixeris.
Alvo ferens, ſerensque, foetum mutuo.
Si forte quenquam dormientem offenderit,
Pede ſtrepitum non excitante ſubvolat,
Suamque porrigens doloſe dexteram,
Somno iacentis, admovet eam naribus,
Soporis auctorem, quod aiunt, maxime.
Hinc eruto, quod ſubtus eſt caput, ſolo,
Deponit hoc, nudo, et ſupino gutture,
Inque illud incumbens feris complexibus,
Somnos trabentem ſtrangulat mi ſerrime. Hyaena Marina.
Quod ſi marinae quiſpiam hyaenae pinnulla.
Dextra ſopore tangat oppreſſum, gravem
Statim rigorem huic iniicit cum ſomniis,
Quae terreant dira iacentem imagine.
Aſtutia canes hyaena irretiens,
Mox paſcit horum carnibus ieiunia.
Fulgente namque Cynthia ſub veſperam,
Vmbra ſui illos corporis ferit, retro
Lumen tenens veſtigiorum callide.
Mutosque reddens percitos formidine,
Inſtar veneficae increpantis carmine,
Occidit incautos doli crudeliter.

Idem refert Aelian. lib. 6. c. 14. Multa quidem de Hyaena relata videntur potius fabuloſa. Sic etiam Aelianus lib. 15. de anim. cap. 14. referre videtur Hyaenam eſſe cornibus praeditam, cum ait: *Denique Hyaenae, quod animal capreis minus eſſe aiunt, ſed cervis animoſius multo, et cornibus ferociens,* de quo Aeliani loco dubitavit etiam P. Gillius, dum in ſua translatione omiſit, et Geſnerus adnotavit, eſſe abſurdum, cum lupi cognata quadrupes ſit, nihil cum capreis, aut cervis commune habens. Sed quicquid ſit de hac bellua, certum fatemur, multas Hyaenae notas adeſſe in Civetta, non paucas deſiderari.

CAPUT IV.

Sub quo Animalium genere ſit reponenda Civetta.

Quaeſtum. Quum clare ex dictis pateat, noſtram Civettam, neque antiquorum Pantheram, neque Plinii Chaum, neque veram Hyaenam eſſe,

esse, iure adhuc quaeritur, ad quod animalium genus sit referenda. Multis quidem de genere felium visa est, unde catum adpellarunt, sic Alexander Benedictus, Ruellius, Matthiolus, Scaliger et alii non pauci feli silvestri similem faciunt. Et quidem facies videtur feli similis, pilos enim in barba, ut felis habet, eodemque modo tres alios oblongos in genis, sed praeter haec nihil aliud commune cum cato habet, non pellem, quae in fele levis, in Civetta aspera et oblongis crassisque pilis, neque ungues, quae feli sunt aduncae, Civettae obtusae, dissimilia etiam genitalia, immo Fab. Columna Io. Fabro scribens: *Effigies*, ait, *ad canum, quam felium, aut potius vulpium figuram accedit, quod rostrum non harum ritu obtusum, sed illorum forma oblongum habeat.* Renodeus: Animal ferum est, dentibus ferox, feli non tam simile, ut multi scribunt. Maius enim est, saepe vulpem excedens, caput, collum, pedes atque alias partes habens illi valde dissimiles. Os ei oblongum est, ut meli, seu taxo animali, corpus longum, maxillae inferius albae, ut etiam barbitium, pedes nigri, laterales ventris partes albicantes, dorsum ex obscuro cinereum, maculis nigris conspersum. Praeterea dentibus cani potius, quam cato assimilatur.

An sub genere Felium.

Gesner. Inter. Lupos.

Equidem ad Hyaenas refero et has ad genus generale illud, quod continet lupos, canes, et vulpes, et similia animalia carnivora. Genus autem Hyaenarum multiplex, cum etiam dicat Herodotus lib. 4. ex Hyaena et lupo gigni Thoes, unde si coniunguntur lupis, aliqua inter ipsos est affinitas naturae.

Genus generale.

Dico autem, Hyaena vel est odorata, vel inodora. Atque Hyaena odorata vel est Orientalis, et Arabica, vel Occidentalis, et Americana. Hyaena inodora erat antiquorum Hyaena, quae fortasse duplex est, nam, ut mox dixi, Hyaena Busbequeii desiderat non paucas antiquae notas et ad lupum silvestrem Arabicum referri posset.

Hyaenarum divisio.

Hyaena autem odorata et Zibethum ferens duplex est, Arabica et Americana, ambo conveniunt in generatione Zibethi, sed forma aliquantulum differunt, ni pictor nos fefellerit in Americana. Namque Zibethicum animal Americanum, quod pictum ostendit Nardus Antonius Recchius, hanc habet formam.

Describens ipsum Faber, caput, inquit, non crassum, sed tenue et acutum habere, ut rostrum caninum potius, quam felinum esse iudicares, quod cum labris suis subrubet. Orbitae circa oculos, qui minus truces sunt, nec magni admodum albicant. Caeterum subcineritii coloris est caput et pili in barba vix ulli. Collum quoque longius, quam in tigre, aut catopardo, quod pulcro quodam ordine alternis nigriusculis et albicantibus fasciolis, velut totidem torquibus arte adpictis exornatur. A capite ad dorsum per colli longitudinem supernam similium colorum lineae excurrunt. Dorsi medium a collo ad caudam linea nigricans pilosa valde distinguit. Maculis in corpore cinereo minus obscuro nigricantibus, rotundis et ovalibus ordinatim secundum lineam rectam, versus caudam productis, insigniter decoratur. Ita, ut superiores, dorso quippe viciniores, sint maiores, mediocres paullo inferiores et quae in immo sunt ventre sensim evanescant. Caudam gerit alternis similiter, ut in collo dictum, fasciolis nigrescentibus ac cineritiis distinctam ac satis longam, sub cauda tria foramina eminenter visui se praebent, anus scilicet, loculus ille, in quo Zibethum colligitur et extrahitur ac, vulva, medium tamen caeteris duobus maius adparet.

Figura II.

Hyaena Americana.

Hyaena autem odorata Africana, quae nostra Civetta est, lupum potius aemulatur, quam felem, capite enim est oblongo et rostrum acuminatum, non obtusum, ut feles, habet, item dentium formam, ut canum, duorum palmorum altitudine erat a me sectum animal, tantundem erat corpus a scapulis ad caudam,

Fig. III.

Hyaena Africana.

caudae vero longitudo, quanta totius corporis, collum etiam longitudine ſuperabat ſemipalmam, corpus ſine collo dupla longitudine altitudinem ſuperare viſum eſt Columnae, ſed vidit animal timide et depreſſe gradiens, ego vero etiam Scheletum ſum dimenſus, capitis longitudo dupla erat *ad latitudinem*. In barba et genis pilos habebat duros, albos et longos felium ritu, roſtrum pilis denudatum, nares nigricantes et ſub oculis maculae nigrae, oculi ſplendentes et ſubrubentes Bellonio: Columna autem apud Fabrum nigriores vidit ex colore caſtaneo et flaveſcente mixto nec hilares, ſed potius triſtes et depreſſos magis, quam eminentes. Verum ex ambobus oculis noſtri Animalis mortui erui gemmas piſi ſiccati forma, et magnitudine orbiculares, et angulosas, criſtallo aemulas, quas etiam nunc ſervo, quod facit, ut confirmem illi hyaenae nomen. Nam ſcripſit Plinius lib. 37. cap. 10. et ſimiliter Albertus de lapidibus ex Enace et Aarone: *Gemmae Hyaenae ex oculis Hyaenae et ob id vaſe inveniri dicunt et, ſi credimus, linguae hominis ſubditae futura praedicere.* Sed haud dico veras eſſe gemmas, nam etiamſi erutae hae gemmae per duos vel tres dies manſerint criſtallinae, durae nimirum et Diaphanae, proceſſu tamen temporis opacae fiunt et ſcinduntur in tres aut quatuor veluti ſquammas lapidibus limacum ſimiles. Certe Alexander 1. probl. 6. propoſuit: *Cur feles, hyaenae* et veſpertiliones acute noctu conſpiciunt? Praeterea Civettae aures ſunt parvae, orbiculares ad melis, ſeu taxi formam, in ipſis ſimilis pilus, nec mollis, nec aſper. Corpus habet albicans et cinereum lupi colore, maculis aſperſum nigris, crura et pedes potius parva, quam magna, brevia, quam alta et pilo nigro obſita. Pedum digiti, quatuor ſimul et inſuper parvus pollex interne ſitus, nec longe diſtinctus, ut in fele. Ungues ſunt caninae, nigrae, breves, craſſae et obtuſae, minimum aduncae. Circa genitalia dicemus, ſub cauda immediate eſſe excrementorum meatum, proxime collocari teſtes in maribus, tum vas Zibethicum et ſub hoc ſexum maſculinum, vel foemininum. At in reſupinato animali pinximus primo virile membrum foris exertum, licet in animali vivo ſit intus reconditum, quod in media glande oſſiculum habet, ſub hoc ſituata eſt pſeudovulva, ſub hac teſtes, infra quos excrementorum exitus eſt immediate ad caudam, ut ſupra pag. 21.

Gemmae ex oculis Hyaenae.

Aures.

Situs veſiculae Zibethi.

Pinximus autem ea omnia ſua ferme naturali magnitudine ad unguem dimenſa. Vas autem Zibethi poſitum eſt inter genitale et teſtes, quos ſatis magnos ac evidentes habet, iſtos fecui et inodoros reperi et ab his vaſa ſeminaria admodum craſſa ferebantur ad genitalis radicem, ad latera pſeudouteri, ſub quo veſica parva erat. Natura autem huius particulae paullo poſt conſiderabitur. Genitale totum occultatur in corpore felium modo, dum vivum animal quieſcit, adparetque ſola glans, at in cadavere ob relaxationem, uti pictum eſt, totum membrum foris extabat, ut a nobis tractum remanſerat, nec intus iterum reductum quieſcebat. Totius praeterea corporis pili ſunt longi, rudes, et aſperi apri modo, et in cervice, ac per dorſi ſpinam pili adſunt nigri, praelongi, ac duriores, quos erigit iratum animal, uti ſus. Cauda eſt oblonga et bene piloſa uſque ad terram pertingens, variis diſtincta maculis. Icones huius animalis poſitae a Matthiolo, Bellonio, Cluſio et Columna inter ſe differunt, magis placet, quae eſt in Matthiolo a Valgriſis impreſſo.

Genitale.

His poſitis concludemus iure haec tria animalia a nobis reducta eſſe ad Hyaenae nomen, nimirum ob proprietatem inſignem, quam haec tria animalia habent nullis aliis animalibus communem, nimirum falſae vulvae formam, ob quam utrumque habere ſexum ab aliqui prodita ſunt, quae proprietas, ut ab aliis animalibus haec diſtinguit, ita eadem inter ſeſe unit generica unitate. Communicant igitur

Hyaenae nomen univerſale.

Hyaenarum proprietas.

igitur simul Hyaena nostra et antiquorum Hyaena pseudovulva, genitali osseo et oculorum gemmis. Verum, quia generis nomen haec tria animalia continentis nos latet, ab antiquiori specie nomenclaturam mutuari libuit. Fortasse sub eodem innominato genere continetur Fiber, nam Castoreum, vesicae sunt in inguinibus humorem apertura stillantes melleum, non autem testes, ut dicemus.

CAPUT V.

Ubi Hyaenae nascantur?

Ex Syria. Hyaenas scripserunt Herodotus lib. 4. Plinius atque Solinus plurimas gigni in Africa. At nostra Hyaena odorata dicta a Francisco Alexandri Catus Syriacus vocitata fuit et Matthiolus Venetiis vidit ex Syria delatas. Cardanus vero scripsit Hispaniam ipsas mittere, quapropter notatur a Scaligero, clarius autem loquutus est Amatus scribens Lusitanos eas deferre ab Indiis, sed memoria non excidit mihi aliquot ab hinc annis a Lituano quodam pharmacopoeo Romam ad Henricum Convinum transmissum fuisse vasculum Zibethi et ungulam Alcis, qui etiam scripsit ista esse fructus suae regionis, unde suspicor etiam in illis frigidis regionibus oriri Civettas.

An in Lituania.

In Indiis. De Zibethico autem animali Americano scribens Io. Faber ex F. Gregorio de Bolivar; hoc animal, inquit, nascitur in multis Indiae orientalis atque occidentalis partibus, cuiusmodi in orientali sunt provinciae Bengala, Ceilam, Sumatra, Java maior et minor, Malipur et plures aliae.

Nova Hispania. In nova Hispania vero sunt provinciae de Quatemala, Campege, Nicaragua, de vera Cruce, Florida et magna illa Insula S. Dominici aut Hispaniola, Cuba, Matalino, Guadalupa et aliae.

Peru. In Regno Peruano animal hoc magna copia reperitur. In Paraguay, Tucamam, Chiraguanas, Sancta Cruce de la Sierra, Yungas, Andes, Chiachiapoias, Quizos, Timana, Novo Regno et in omnibus provinciis magno flumini Maragnone confinibus, quae circa hoc ferme sine numero ad duo Leucarum millia sunt extensae. Multo adhuc plura eiusmodi animalia nascuntur in Brasilia, ubi mercatura Zibethi exercitatur.

Guinea. Magna horum abundantia quoque est in Guinea, in provinciis nimirum de Loango, Congo, Manicongo circa flumina Angolae usque ad Cafres et finem bonae spei, maxime autem in grandissimis et extensissimis montibus, qui ibi prostant, quos Fragosas Cuspides adpellare solent. Et ex parte quidem Cafres montium de Torea aut de Luna, ubi maxima Algaliae quantitas extat.

CAPUT VI.

De Vasculo Zibethico.

Zibeth, quod ab hoc animali generatur, non ex toto corpore, sed ex determinata particula colligitur, quomodo, qualis, quanta et ubi sit, nunc est a nobis investiganda. Turpiter autem erravit Io. Riolanus suae Pathologiae cap. 11. scribens: *Damarum stercus bene olet et Gazella cacat Zibethum.*

Pars ferens Zibethum. At Ruellius primo de Nath. stirp. capite 27. *erui e genitalibus locis* scripsit et subiunxit, *e cuius natura fordes manant, etc.* cui assentiri videntur Matthiolus et Franciscus Alexandrinus. Excrementitium genitalium humorem vocavit Dessenius. At Renodeus circum *testes et pudenda* concrescere scripsit. Itaque hi videntur censuisse testes esse vasculum Zibethi, sed ridiculum est, quod Everhardus a Mepschen narravit Dessenio de Civetta

vetta Alexandri Cardinalis Farneſii, *exectis teſtibus aperto vulnere ſudorem defatigatae, et irritatae ferae colligi.* Nam orificia, quae cernimus naturalia, ipſe cenſuit arte facta exectis teſtibus. Columna autem Epiſt. 1. ad Fabrum, vocat teſticulos, ſive utriculos, qui medii inter anum, et pudendum prominent, tam in mare, quam in foemina. *In mare tamen duplo grandiores apparent. Hi utriculi interna ſui parte, ubi pili curti haerent, capacem ſatis cavitatem obtinent, inquam ingreſſus patet exiguus, et cartilagineus*, deinde ſubdit. *ſub dictis utriculis, folliculis, ſive teſticulis, nam alii teſticuli haud adparent, maris genitale ſitum eſt.* Quae verba fecerunt, ut Faber dubitaret, quid ſibi vellet Columna, ex folliculis illis, utriculis, ſive teſticulis Zibethum colligi, an foeminae quoque extra prominentes didymos habent?

Columna.

Clarius profecto loquutus fuit Alexander Benedictus de curatione morborum foeminae intra genitale, et alvum, mari intra genitale membrum, et teſtes colligi Zibethum, et Columna altera epiſtola ad Fabri dubitationem reſpondens, denuo reviſis, et exactius conſideratis dictis animalibus: *Teſtes*, ait, *ex lateribus folliculorum cum manibus everſi, tam magni eos attrectanti manifeſtantur, quam ab iisdem folliculis contineri poſſunt*, et ſubdidit: *folliculis his ad latus foraminum, qui inſtrumento humorem exemturo ingreſſus datur, in externa parte teſtes adhaerent. In foemina teſtes illi perquiſiti non inveniuntur, molliores enim ſunt illi utriculi, ſeu folliculi, nec ut in mare grumoſitas illa, et durities oblonga teſtium percipitur.* Praeterea Frater Gregorius de Bolivar apud eundem Fabrum, *mares ſolos* ait, *foras eductos, et conſpicuos teſtes, intus concluſos foeminas geſtare.* Decipi autem omnes affirmabat, qui prominentias illas in foemina ambas intra vulvam, et anum ſitas, teſticulos eſſe ſibi perſuaderent. Hos enim tumores, ſolos eſſe illos folliculos, et utriculos a natura eo loci fabricatos, in quibus Zibethum paulatim colligitur, et inde evacuatur. Et cum duo ſint, imponere facile poſſent, etiam valde gnaris et Naturae ſtudiorum non inexpertis, ut teſticulos eſſe ed credendum adducerentur. Et quoniam iidem utriculi in eadem regione, ubi maris teſticuli haerent, poſiti videntur, illoſque veluti inveſtiunt, et cooperiunt, hinc fieri poſſet, ut crederent aliqui teſtes eſſe, haec, ſi apud eruditos quidem, et oculatos auctores leguntur, quid ſperandum ab iis, qui animal non viderunt? Columna aſſerere videtur; teſtes in folliculis contineri, et adhaerere in externa parte folliculis ad latus foraminum, quod iure negat Bolivar.

Alex. Benedictus.

Verior ſententia.

Sed nos ceteris omiſſis dicemus in reſupinato animali mortuo ſub ipſis utriculis teſtes eſſe, non tactu ſolum, ſed oculis quoque manifeſtiſſimos, ut pictura oſtendit, erecto animali non ita prominent, cum interius comprimantur, ita etiam in vivo, et bene valente animali ſemper teſtes ſunt retracti, ut in homine iuvene, et valido accidere dixit Galenus libro 1. de ſem. capite 15. ſecus in ſene, niſi morboſe fuerint convulſi ideo F. Columna in animali inquietiſſimo, ferociſſimo, erecto, et valido non potuit iſtos bene tangere, et conſiderare, adeo, ut ipſi viſum fuerit, teſtes in folliculis ipſi contineri. Sunt autem teſtes a Zibethi vaſculis omnino diſtincti, et ſua habent vaſa ferentia ſemen ad meatum genitalis, valde craſſa, ut nos anatome docuit, et ſervamus adhuc apud nos huius animalis ſcrotum exſiccatum, in quo teſtes.

Noſtra inſpectio.

Dilucidatio.

Membrum Zibethicum primo aſpectu foeminea vulva videtur, lineam enim oblongam habet, et labia craſſa, quod ſi manibus tangatur, tactu ſentitur ovi parvi magnitudine, veluti cartilaginoſum corpus, et duriuſculum in quo, cum parum digitis deducitur, et dilatatur, apparent duo oblonga foramina, iis, quae ſunt in naribus ſimilia,

Vas Zibethi.

lia, ſub quibus cavitates quaedam ſunt, ſedes Zibethi, haec vaſcula, ſi digitis magis preſſa deducantur, apertis omnino foraminibus totas cavitates demonſtrant, loculique Structura. perfecte patent, quorum cavitas tanta eſt, quanta ſufficeret ad continendum Amygdalae nucleum, in his loculis nullus porus, nullus meatus apparet, Sed ſectione facta, corpus duriuſculum ovi magnitudine, quod cartilaginoſum tactu videbatur, agnovi diſtingui in duo utriculos olivae Hiſpanicae magnitudine, et nequaquam cartilaginoſos, ſed carnoſos, et minutis, albis, duris glandulis, ſeu granulis infertos, duriore autem multum, quam teſtes, erant ſubſtantia omnino tamen inter ſe diſtinguebantur hi folliculi, membranis tamen uniti, et interior quidem communis erat ambobus utriculis, ſervo adhuc apud me hoſce utriculos exſiccatos, qui mire redolent Zibethum, cum teſtes veri exſiccati cum ſcroto nihil oleant, ſed quod mirum animal Hydrope exanimatum putrefactis omnibus viſceribus, et maxime foetidis, vehemens ut nauſea ſecanti excitaretur, et alioqui foetidum totum, tamen mire olebat, et nunc etiam optimum ſpirat odorem vas Zibethi.

CAPUT VII.

De Caſtoreo.

Cum autem ad dilucidandum genus, et proprietatem Hyaenae odoratae plurimum conferat Fibri hiſtoria, ideo dicemus quod Fiber animal ſit, cuius, et mas, et foemina reperitur, ambo in inguinibus conceptacula quaedam habent, e quibus, per ſua oſcula, melleus quidam liquor emanat, quem Fiber ipſe delingere ſolet. Mares autem habent praeterea ſuos teſtes ſub cute intus, ita concluſos, ut tangi nequeant, veluti ſues teſte Dioſcoride. Rondeletius ſimiles tumores in leporibus eſſe dixit, unde factum ſit, ut vulgus eos mares, et foeminas cenſuerit. Pariter Moſcho animali ſimiles eſſe cenſuit, veſiculae enim Moſchi id indicant, Rondeletius. ſed Rondeletii verba digna ſunt, quae huc transferantur, hic lib. de Amphibiis cap. 8. *Fibri*, inquit, *in inguinibus geminos tumores habent, utrinque unicum membrana ſua concluſum, ovi anſerini magnitudine, inter hos eſt mentula in maribus, in foeminis pudendum. Hi tumores teſtes non ſunt, ſed folliculi membrana contexti in quorum medio ſinguli ſunt meatus, e quibus exudat liquor pinguis, et ceroſus, quem ipſe Caſtor ſaepe admoto ore lambit, et exſugit, poſtea hoc veluti oleo, quas poteſt corporis partes contingere, oblinit. Hos tumores teſtes non eſſe hinc maxime colligas, quod ab his nulla ſit ad mentulam via, neque ductus, quo humor in mentulae meatum derivetur, et foras emittatur. Praeterea, quod teſtes intus reperiantur. Liquor ille, de quo loquimur, quum recens eſt, oleum refert, quum vetuſtior mellis liquidi colore eſt, et craſſitudine. Idem leporum exemplo declarare non inutile fuerit. Iis in utroque inguine tumor eſt, glandulae prominentis modo, intus meatus eſt varicoſus, capreoli modo intortus e quo liquor effluit. Hos tumores, cum in omnibus leporibus obſervaſſet vulgus, lepores omnes ſimul mares, et foeminas eſſe credidit. Eosdem tumores Moſcho animali eſſe puto, a quibus odoratum illud pus emanat. Neque ſunt audiendi, qui putant tuberculi, vel umbilici inflammati ſaniem eſſe.* Tumorem eſſe glandulae, vel teſticulo ſimilem membrana circumdatum norunt, qui adulterant. nam in teſticuli formam effingunt, ac teſticulum *Moſchi* appellant *Haec, quae de tumoribus inguinum Caſtoris, et liquore inde manante a nobis prodita ſunt, cum ita ſe habere doceat ipſa inſpectio*, et paullo ante dixerat Rondeletius. *Teſtes parvi, ſubſtrictique, et adhaerentes ſpinae, qui adimi ſine vita animalis non poſſunt.* Id prius ſcripſerat Dioſcorides, licet cen-

cenſuerit, quod defertur, bivaſculum eſſe teſtes, pariter Plinius lib. 32. cap. 3. ex Sextio Medico diligentiſſimo, ex quo videtur colligi poſſe liquoris folliculos non eſſe teſtes et quidem facile, quia teſtes non ſunt liquoris forma in folliculis. Dicendum ergo adeſſe animalia multa, ut Hyaenas, Zibethica, Caſtores, Moſchifera, Lepores, et alia, quae inguinibus vaſcula ferant, in quibus liquores quosdam odoratos proprios deferant, ut inter piſces ſepia, loligo, purpura, excrementa odorata continent in veſiculis.

Quod autem de Moſcho ferunt, non videtur verum. Concedimus quidem animal eſſe exoticum et Indicum in regno *Pegu* ac potiſſimum in agro Tumbaſcorum admodum frequens, caprae non multum diſſimile ac corpore praegrandi, *Dorchadem Moſchi*, *Gazellam Indicam et Capreolum Moſchi* nominatum, ex cuius inferiore maxilla, aeque dentes utrinque ſinguli porcorum inſtar exeruntur.

At quum narrant, huic cum Veneris oeſtro percellitur, furoris vehementia umbilici regionem intumeſcere ibique congeſto ſanguine multo et craſſo fieri apoſtema atque tum ferum illud animal potum, cibumque averſari omnem et humi ſeſe provolvere atque lapidibus et arborum truncis turgentem partem quadam voluptate confricando diſrumpere ac vomicam aperire, ex qua ſaniem quandam excerni, quae verus eſt Moſchus, illam autem ſaniem, etiam referunt, ſuper arborum truncis aut ſaxis relictam, calore ſolis ac coeli bonitate coqui et elaborati, ſic viroſum ipſius odorem, ſi quis eſt, diſſipari et hanc eſſe optimum Moſchum. Alioqui capta fera venatores partem cum corio ſimul abſcindere, cruorem effluentem exprimere, colligere, exſiccare et ſervare cum utriculis aut pellibus eorumdem animalium, quorum ſaepe ſanguinem exſiccatum, pauculae recrementi dicti portioni commixtum, pro puro Moſcho ab inſtitoribus ſeu adulteratoribus vendi, etc. Nos ſi haec attente conſideraverimus eandem eſſe naturam Moſchiferi animalis, ac Zibethici aperte cognoſcemus, nonne ambobus ſub umbilico vas excrementi collocatur? nonne ambo ad Venerem irritantur copia ſui excrementi? nonne ambo, ut tale excrementum expurgent, ſe confricant lapidibus et ſtirpibus? nonne utrumque excrementum eligitur potius ab animali expurgatum, quam ab homine extractum? Quare utriusque ſimilis eſt natura et ideo ſi ex Ariſtotele a notioribus nobis ad minus nota procedendum, ex nota natura Zibethi veniemus in cognitionem Moſchi minus nobis noti et dicemus, ſicut Zibeth eſt non ex apoſtemate, ita neque Moſchus, quare Moſchiferum animal habebit etiam particulam determinatam naturaliter ad colligendum excrementum dictum Moſchus.

CAPUT VIII.

Quid ſit Zibeth?

Nomina. Ex hoc animali colligitur odoramentum dictum Zibeth a Scaligero, Zibettum et Zapetion ab Hermolao et Ruellio, a nonnullis Algalia, ab aliis Civetta. Huius in animali ipſo, quae ſit materia, non certo apud omnes conſtat.

An ſit ſemen? Siquidem animalis ſemen vocavit Cardanus, unde a Scaligero reprehenditur, et iure, verum enim ſemen non eſſe, patet manifeſte, quia, qui adhaerent, ſubſuntque teſtes, non eo ſuos ſeminales ductus evacuant, ſed per penem, ut in canibus, quod ſectione earum partium clariſſime vidimus. Nec poſſumus dicere, quatuor habere teſtes, duos proli generandae deſtinatos, alteros vero apertos ad ſuperflui ſeminis excretionem, quia hi utriculi exſiccati, quos ſervo, odorem Zibethi ſpirant, nullum autem teſtes, quo patet aliam mate-

materiam contineri in teſtibus, aliam in iſtis folliculis et verum ſemen neutiquam eſſe odorem Zibethi.

An ſit ſudor? Plurimi cenſuerunt eſſe animalis ſudorem, ut Scaliger, Matthiolus, Ianuenſis, Renodeus, Io. Leo in deſc. Africae, F. Gregorius de Boliyar, quibus ſubſcripſit Faber, id affirmant, quia defatigato, irritato et ſudante animali plurimum colligitur, immo etiam ſub coxis, brachiis, collo et cauda ex F. Gregorio. Quibus ego aſſentiri nequeo, nam cum ſudor per totum corpus emittatur, non in hominibus tantum, verum etiam in belluis, vidimus enim in equis ſudantia dorſum, coxas, collum et caput, etiam ſi copioſior a dictis partibus ſudor emergat, et ideo totum corpus eodem deberet eſſe praeditum odore. Cum vero ſoli utriculi et humor ſolus in ipſis collectus percipiantur odorata, non autem pellem, carnem, axillas et totum corpus, odorata ſentiamus, neutiquam dicendus erit ſudor, niſi forte a modo, quo colligitur in ipſis utriculis, hoc nomen ſumere voluerimus, videtur enim a corpore glanduloſo et ſpongioſo per inviſibiles poros in cavitates folliculorum reſudare, unde dicitur non ſimpliciter ſudor, ſed membri Zibethici ſudor.

An ſit excrementum? Alii generalius loquentes excrementum dixere, ita Ruellius vocavit ſordem odoratiſſimam genitalium locorum. Deſſenius excrementitium genitalium humorem dixit, Scaligero et Renodeo placuit etiam adpellare ſtrigmentum circa teſtes et pudenda concretum. Sed hi non deſcendunt ad particularem huius excrementi naturam, quare aſſumto omnium auctorum conſenſu, quod ſit animalis excrementum, conſiderandum a nobis erit, quale ſit excrementum.

Diſtinctio excrementorum. Poſſumus diſtinguere excrementa, ut aliud ſit utile excrementum, ut ſemen, lac, aliud inutile, ut pus, ſudor, ſordes, etc. Diximus non eſſe ſemen, neque ſudorem, neque erit pus, quia nec ulcus adeſt, nec materia corrupta, vel ſimilis, ex qua pus gignatur. Ego cenſeo eſſe excrementum proprium ſubſtantiae glanduloſae dictorum folliculorum, quae tale gignat inſita et propria vi ac faculate, ut ventriculus chylum generat, hepar ſanguinem, mammae lac, teſtes ſemen, aures ſuas ſordes, ſepia atramentum, vipera in dentibus venenum et ſimilia, immo, et ſimile omnino Melleo excremento Caſtorei et Moſchi, et ſimilium animalium. Sed Dubitatio. vereor determinare, an ſit excrementum utile ipſi parti, vel animali gignenti, ut lac, et ſemen, vel omnino inutile, ut ſordes aurium. Nam quum genitum excrementum grave videatur ipſi animali, ab eius enim acrimonia vellicatur et cogitur ſe ipſum eo exonerare, foemina autem, quae cicur facta eſt, videtur delectari, dum auriſcalpio Zibethum extrahitur, ex quo ſuſpicari, inutile et nocuum ipſi animanti eſſe excrementum poſſumus. Contra odoris ſuavitas non indicat concoctionis carentiam, nec putredinem, uti accidit in excrementis praeter naturam, ſed perfectam concoctionem et naturae dominium, unde ſuperante natura, materia concocta a vi ſpecifica membri dicenda erit naturalis, quamvis copioſe excreſcens partem propriam, veluti ad foetum edendum ad ſui excretionem irritet, idem enim accidit abundante in ſuis vaſis ſemine et lacte. Erit ergo excremen- Excrementum utile. tum utile, alioquin fruſtra natura tantam vim dediſſet illis utriculis, qua gignerent materiam adeo odoratam et ſuavem, ut multas alias ſuperet odoratas res. Sed ad quem finem? Finis. ſemen inſervit ad generationem animalium, lac ad eorundem nutritionem, ad quid proderit hoc excrementum? equidem poſſem imaginari, vel ut irritentur animalia ipſa ad coitum, vel ut ad idem remedium ſit homini, eius enim gratia animalia fuerunt creata, ad hoc Caſtoris mellaginem deſtinamus, vel denique, ut iſte odor inſerviat animali ad venandum et ad ſe allicienda alia animalia, ut de pantherae odore diximus. Si quis meliora attulerit, laudabimus ingenium.

CA-

CAPUT IX.

De collectione et electione Zibeth.

Collectio. Quum repleti fuerint utriculi ſubſtantia Zibethi, animal ipſum inquietum eſt et ſemet exonerare ſatagit, unde videtur dicendum, ab ipſius acri qualitate turgere, vexari et pungi, atque ad excretionem proritari, delectarique videntur cicurata animalia, dum folliculi ii auriſcalpio exinaniuntur, ſcribit Faber ex F. Gregorio citato. *In biſce montibus, quos animalia haec pererrant, omni adhibita diligentia Nigritae, ſive Mauri illi perquirunt veteres arborum, aridosque truncos et ubi aliquas maculas magnas, easque oleoſas obſervaverint, eo ſe conferunt et globoſam quandam materiam truncis iisdem adhaereſcentem, nuculas, aut caſtaneas magnitudine aequantem inde auferunt, in aqua ebullire permittunt, id quod ſupernatat pingue et oleoſum removent, mundioribus vaſis infundunt uſuique reſervant. Atque haec eſt omnium optima ac puriſſima Algalia.* Repletis enim folliculis, ob acrimoniam, ut reor, vellicantur et coguntur animalia ſe depurare, ideo in ſilvis arborum truncis ſe confricant, ut talis materia arboribus adhaereat.

Ea autem animalia, quae in caveis magnis domi aſſervantur, vel cicurata ſunt, ſi abundaverit in eorum utriculis ſuccus iſte quaſi eo moleſtata, velociter per caveam ambulant, nec loco ſtare queunt et ſi non extrahatur a nobis excrementum, animal ipſum, caveae lateribus et domus parietibus ſe confricando, Zibetha ſe abſtergit, quod ita perit. F. Columna apud Fabrum deſcripſit modum, quo famuli D. Bernardini de Corduba odoriferum hunc liquorem ex maſculo detrahere parabant.

Modus colligendi *Ex famulis unus lorum, ſeu catenulam, qua ligabatur, trahebat. Poſteriores alius pedes tenebat: Tertius utriculos revolvebat, qui medii inter anum, ac pudendum prominent, tam in mare, quam in foemina, in horum cavitate ſcaturiginem ſuam liquor ille Zibethicus, conſiſtentiae prorſus melleae ſumit. Hic extrahitur immiſſo auriſcalpii maioris ſimili inſtrumento, quod per cavitatem quaqua verſum ſaepiuſcule revolvitur. Hoc ubi in uno atque altero folliculo praeſtitiſſet, goſſypio utriusque pilos, qui curti ſunt abſtergebat. Ac ubi ſexies forſan cochleari illo parvo utrumque utriculum emundaſſet, tantum ferme Zibethi collegit, quantum avellanae nucis cortici implendo ſatis eſſet. Addebat idem D. de Corduba aeſtate liquidiorem, quam hieme ſuccum colligi, ita, ut in caloribus illis, ſingulis binis diebus ſemuncia corraderetur, hiberno vero tempore, vix ſemel in ſeptimana ſuccum illum, nec tantam eius quantitatem acquiri. Ex foemina poſtea minus Zibethi educebat, quae cicur facta nullatenus repugnabat.*

Subſtantia Zibethi ſubſtantia videtur eſſe pinguis et unctuoſa, nam in aqua ebulliens ſuperiora petit et ab heterogeneis ſeparatur, conſiſtentia mellis, ſeu butyri eſt, liquidius aeſtate abſtractum, vel recenter temporis proceſſu incraſſatur. Ego extraxi a folliculis animalis demortui ultra drachmas duas, colore albido et mellis liquidioris conſiſtentia. Scaliger, et cum hoc Renodeus, dixit eſſe *odoramentum pingue, craſſum, nigri ſaponis facie*, ſed vidit in ſuperficie et antiquatum. Amatus vero, *quum recens eſt*, inquit, *tetri, et horribilis eſt odoris, poſtea vero ſucceſſu temporis gratum ſpirat odorem.* Quadramius Zibetho contrarium accidere, Ambrae et Moſchi, haec enim quo recentiora, eo praeſtantiora, Zibethum autem vetuſtius, melius F. Donatus ab Eremita lib. 1. Antidotarii cap. 10. optimum, ait eſſe leonino ac ſubpallido colore, pingue, moderate liquidum, tempore craſſeſcens, papyro impoſitum et confricatum ſolubile ſine corpore, quo diſtinguitur ab adulterato. Idem Frater Evangeliſta Quadramius lib. de Theriaca c. 11. ſcripſit: Maſculi Zibethum albido eſt colore, foemellae vero leonino, poſt hebdomadam

Qualitates

ab

ab animali extractum, tempore procedente obſcurum adparet, cum tamen et ipſum initio album ſpectetur, ſed citiſſime fulveſcat, praeſtans ſic evadat. Foeminei Zibethi uncia valet quantum maſculi unciae quatuor. Ita admiſta uncia una foeminini, ſex maſculini unciis ambo perficiuntur, cum maſculinum ſolum absque foeminino parum valeat.

Adulteria. Adulteratur variis modis, admiſto butyro, vel pulpa paſſularum maiorum, ſeu Zibibi et aliis rebus. Frater Evangeliſta Quadramius l. de Theriaca cap. 11. Zibethum adulteratur adipe rancido, vel butyro, vel caſeo. Sed ſi huiusmodi parum impoſitum fuerit cochleari argenteo ſuper prunas, adulteratum reddet ſuae miſtionis odorem, vel caſei, vel adipis, vel butyri rancidi, legitimum vero ſuaviſſimum odorem. Sed legitimumne, an adulteratum ſit, ex F. Gregorio ſcribit Faber, cognoſci, quia infuſum in vas, in quo aqua bullit, ſtatim, quod heterogeneum et Algaliae admixtum fuit, fundum petit, Zibethum autem ſincerum aquae ſuperficiei innatat. Nos dicimus admixtum cum butyro, vel alia re pingui, non poſſe ſeparari dicto modo, ſed percepimus etiam aliquando in ipſo odorem butyri rancidi, butyrum enim veteraſcens corrumpitur et odore rancido ſemetipſum manifeſtat. Solet etiam optimum Zibethum acquirere colorem, veluti telam quandam fuligineam, ſed in profundo albeſcit, quod vero adulteratum fuit, eiusdem eſt coloris in profundo, ac in ſuperficie, ſervatur in vitro, non alibi.

Legitimum.

CAPUT X.

De uſu et facultatibus Zibethi.

Cautio. Duplicis eſt uſus Zibethum, vel odoris gratia, vel facultatum, odorem tantum reſpiciunt Myropolae, Medici facultates.

Caute dicunt Myropolae adhibendum eſſe in compoſitionibus aromaticis Zibethum, nam ſuo valido odore alios ſuperat, unde odorata unguenta ex multis conflata Zibethum tantum redolent. *Pulvis Zibethi ſimplex apud Alexium fit* ex ſaccharo candi et Zibetho ſimul in pulverem redactis, qui ſervatur vaſe vitreo optime clauſo. *Roſellus* ſumit ovorum cortices lotos et ſiccatos, in tenuiſſimum pulverem redigit et cuilibet unciae addit Karactos iij. Zibethi. Karactus autem pendet grana iiij. vel recipit cortices praeparatos ovorum duarum unciarum pondere, infundit in aqua roſacea Moſchata 10. vel 12. diebus, eos exſiccat, terit et cribrat in tenuiſſimum pulverem, addit pulveris ſacchari fini unciam unam, tunc mortarium aeneum prunis ardentibus intro poſitis calefacit, quantum tactu ferre manus poſſint, inde abſterſo mortario imponit pulverem corticum, levigat piſtillo et addit Zibethi Karactos iiij. paulatim miſcendo inuncta piſtilli ſummitate, ſic levigat ſpatio unius horae, poſtea in vitreo vaſe bene clauſo ſervat, quo pulvere aſpergemus dealbata linteamina, ſubucula et alias veſtes.

Pulvis Zibethi.

Sapo odoratus fit ab iisdem auctoribus, accipiendo ſaponem communem optimum, ſecant ſubtiliter et exſiccant ad ſolem, vel in umbra per 10. dies, tundunt et cribrant in pulverem tenuem, tunc addunt Zibethi pulverem et aqua roſacea uniunt in ſolidam formam. Sapo.

Fiunt etiam ex Zibetho olea unguenta et ſuffumigia, quae deſcribere ſuperſedebo. Odoramenta.

Quoad vires medicas, F. Gregorius de Bolivar apud Fabrum, *pellis*, inquit, *ventris ipſius eſt ſaluberrima in omnibus frigidis affectibus. Ventriculum praecipue roborat, ſi fruſtulum ex hac eidem imponatur et quotidie geſtetur. Nigri illi Guineae et Braſilienſes barbari huius quoque animalis carnibus veſcuntur, ut cumque ſit peſſimi odoris et digeſtionis duriſſimae, quam ad venerem tamen* Vires Pellis.

praeſtare maximum ſtimulum affirmant. Sed Hyaenae pellis ad morſum canis facit ex Scribonio Largo cap. 171. *Pervenit ad me opinio*, inquit, *eſſe in inſula Creta barbarum quendam naufragio adpulſum, maiorem natu publice mercedem accipientem. Quin etiam, quum liquorem timent et latratus edunt ſpaſmoque vexantur, remedium brachio ſiniſtro alligato efficere, ut et potionem accipiant et liberentur vitio. Hoc ego, cum quaererem ab hoſpite meo legato inde miſſo nomine Zopyro Gordienſe medico, quod eſſet pro magno munere, accepi. Dixit autem Hyaenae coriiparticulam eſſe panno inligatam, quod eo adhuc non ſum expertus, quamvis protinus magna cura Hyaenam invenerim et pellem paratam habeam, quia non incidit ex eo quisquam et opto quidem, ne incidat, ſed quia id non eſt in noſtra poteſtate, ſi caſu inciderit, remedium habere oportet ad tantae rei experimentum.* Et Marcellus Empiricus cap. 36. *Vituli marini, aut quod melius eſt, Hiaenae pelle facta calciamenta, ſi quis in quotidiano uſu habuerit, efficaciter podagrae morbo carebit*, ſic etiam Aetius ſerm. 2. cap. 162. *Hyaenae pellem quidam domi repoſitam adſervant et uſu expetente ipſam a rabioſo cane commorſis circumdant. Nam proprietate quadam prohibet, ne commorſus in aquae timorem delabatur, ſed etiam illapſis auxiliatur*, ſupra fidem autem eſt, quod refert Nonius cap. 259. de fulminibus ſcribens, a fulminibus dictas pelles homines tueri et praeſervare, his verbis: *Phocae pellis et Hyaenae: Quorum animantium pelles etiam imperatorum naves circumferunt.*

Avicenna. Zibethi autem liquorem equidem adfirmarem Avicennae fuiſſe cognitum et de eo egiſſe lib. 2. c. 326. nomine Galiae et Algaliae, quo loco non poteſt intelligere Galliam Moſchatam, quia loquitur de medicamentis ſimplicibus, non autem de compoſitis. Alia vero res eſt Algalia et Sedervam Serapionis, quae ſuccus herbae frigidus et adſtringens eſt, ut Acacia, quod etiam animadvertit Luſitanus in Dioſcoridem. Porro Simon Ianuenſis Zebeth eſſe Avicennae Galiam cenſuit et animalis Arabici ſudorem. Adde quod vires ab Avicenna Algaliae tributae nulli alteri rei, quam noſtro Zibetho conveniunt, ſcribit namque Avicenna: *Galia lenit apoſtemata dura. Diſſolvitur in oleo Ben, aut Keiri et deſtillatur in aurem doloroſam et eius odoramentum confert epileptico et vivificat eos et ſedat ſodam frigidam et, quando datur de eo in vino, inebriat. Odor Galiae confortat cor. Algalia confert doloribus matricis frigidis ſuppoſita et apoſtematibus eius duris et phlegmaticis et provocat menſtrua et facit matricem deſcendere praefocatam et inclinatam et mundificat eam et praeparat ipſam ad impraegnationem*, quae omnia Zibethum peroptime praeſtat, non differt Galia ab Algalia, quia *al* eſt articulus apud Arabes.

Matthiolus calidae et humidae facultatis eſſe cenſuit. Contra Cardanus animalium odorata excrementa valde ſicca pronunciavit. Renodeus et Amatus Luſitanus odorem Zibethi Moſcho affinem dicunt, ſic et qualitatem, at Moſchus ex Avicenna eſt calidus et ſiccus in ſecundo gradu. Quod ſi animalis ſudor eſt, quum ſit animalis calidiſſimi et tempore calidiſſimo abundas, immo in animali ira et motu calefacto dicendum videtur Zibethum eſſe ſubſtantiam bilioſam, calidam et ſiccam, facultate digerente praeditam, ſed quia ſapor a nemine, quod ſciam, eſt deguſtatus, ideo ex hoc nihil colligere poſſumus certe. Galenus 10. de ſimp. med. fac. agens de ſudore, illi miſceri interdum dixit nonnihil bilis, ita, ut aliquando ſalſus, aliquando amarus adpareat ſudor, unde, quum Civetta ſudans et bileſcens copioſiorem reddat Zibethum, huic ſudori nonnihil miſceri bilis opinabimur, quare ſuccus erit facultate calidus et ſiccus et fortaſſe amarus et acris. Et quum ſudantium ſordes facultatem habere expertus fuerit Galenus digerentem, ita, ut in phlegmone uberum fue-

Temperamentum.

Zibeth calidum, ſiccum.

fuerint efficax remedium, praeterea ad bubonem iisdem usus, celeriter disparuisse tumorem conspexerit. Hinc Avicenna Zibethum, seu Algaliam dura apostemata lenire scripsit.

Castor Durantes. Sed partium genitalium videtur proprium iisdemque dicatum pharmacum, de quo Castor Durantes ita cecinit:

Zibethi Veneris crescunt solatia odore,
Adiuvat hoc uterum ne praefocetur, et inde
Est adeo vulvae gratum, ut proclives ad illud
Quamvis admotum irrepat.

Ruellius vero, *si cavernulae*, inquit, *umbilici admoveatur, tradunt conversum in alterutram partem uterum in suam resilire sedem, aut si sursum versus impulsus opprimat, subdito eo devocari, tam amans huius odoramenti vulva, ut ad id undecunque admotum irrepat.* Idem tradit Matthiolus, Renodeus, Amatus, qui etiam pessos adaptat. Hoc etiam utuntur ad uteri strangulationem L. Marcatus, M. Pascalius, G. Bruelius, Schenckius, Hollerius, Altimarus, et Capivaccius. Ad uteri praevocationem malignam commendat Io. Colle. eodem etiam utuntur Rasis, et Valescus Algaliam vocantes. Rod. a Castro lib. 2. de Morb. Mul. cap. 1. ad strangulatus uteri, inungit os vulvae oleo aliquo odorato, admisto uno vel altero grano Zibethi, utitur etiam eiusdem suffitu ad uterum. et lib. 3. cap. 1. ad sterilitatem, ex Zibetho suffitus facit utero. item cap. 2. facit linimentum et cap. 4. os uteri Zibetho inungit. Haec autem vis experientia confirmata, sig natura videtur esse indicata, quum enim gignatur in animalibus particula, quae uteri seu vulvae quandam formam habet, videtur per id natura nobis indicare voluisse, huiuscemodi succum ibi genitum habere maximam proprietatem cum animalium vulvis.

Ad uteri strangulatus.

Ad coitum. Et quia Zibethum abundans in folliculis animalis irritat ipsum ad sui excretionem, videtur per id natura nobis significasse ipsius vim ad coitum incitandum, *proinde* inquit Matthiolus, *nec mirum est, si eo viri peni circumlito magnum mulieribus in coitu afferunt solatium.* Sic Amatus Venerem incitari scripsit pudendis illitis. At Caesalpinus lib. 8. de mor. cap. 9. ad conceptum: *Ut autem avidius*, inquit, *uterus semen suscipiat, aiunt Zibethum glandi illitum in coitu voluptatem mulieri adaugere, unde alacrius semen admittit.* Gattinaria scripsit ad praefocationem matricis valere Zibeth vel Zebeth, quod adplicatur inuncto digito obstetrici et in vulvam immisso et subdit: *De quo semel usus fui in muliere quadam patiente praefocationem, cui causavit tantum adpetitum coeundi, quod quasi continue volebat marito suo copulari, deinde rogavit me sibi vellem talem adpetitum removere, dixi, quod ex se removebitur post aliquot dies. Et nota, quod si vir, quando vult uti cum muliere, ponat in summitate virgae de dicto Zibeth et subito utatur, causabit in ea maximam delectationem.* Utuntur etiam eo ad delectationem mulieri praestandam Capivacceus, Fumanellus de comp. med. cap. 54. et alii.

Ad adpetitum Veneris.

Ad impotentiam coeundi Rod. a Fonseca consult. 10. Zibetho oleo de Ben dissoluto inungit penem et testes. Fallopius et Bellocatus apud Trincau. lib. 4. cons. 78. Capivacc. ad epilepsiam cuiusdam foeminae. Salomon Albertus apud Io. Philipp. Brendelium cons. 19. cerotaria ex Tacamahaca cum Zibetho in eorundem meditullio subligare fecit ossi sacro, unum in confinio huius et lumborum, et unum e regione sub umbilico, eadem cerata etiam adplicat Hystericae, cons. 99. sed cons. 98. in suffocatione uteri. Oleum liliorum alborum cum Zibetho et Moscho subdit mulieri in gossypio. Praeterea Felix Platerus apud eundem cons. 102. ad iuvandam conceptionem iubet inungi pectinis regionem noctu cubitum iturae ex quodam linimento, cui Zibethi scrupulum semis miscet, et subdit, huius magna est utilitas affectibus uterinis, ut sint, qui credant, hoc

Ad varios morbos.

ſolum ſterilitatem uteri corrigere poſſe. Et Daniel Mylius lib. 1. Antid. Medicochym. in fin. *Zibeth*, inquit, *Colicae ſtercora expellit.* Sed Hollerius ad colicam ab humore frigido. ℞. *Civettae gr. iiij. aut vj. diſſolve oleo rutaceo, inungatur venter:* Greg. Horſtius lib. 4. obſerv. 12. colico linimentum ex Theriaca cum pauxillo Zibethi ad inunctionem umbilici: Solenander ſect. 3. conſ. 28. in colica pituitoſa, *Zibethum* inquit, *utiliter umbilico infricatur et inungitur, vis enim ipſius penetrans calorifica promte ſe in interna inſinuat et quicquid nebuloſum eſt, diſcutit ac diſſolvit, quod humidum eſt, ſiccat et mediocriter ita uſurpatum calefacit,* quod repetit ex iſto Camerar. de Mirabil. cent. 4. num. 46. Erot. de paſſ. mul. c. 4. *ad ſuffocationem ſuper omnia eſt inunctio facta ex Zibetho intus et extra vulvam, quia menſtrua attrahuntur et provocantur.* Etiam Mercur. de morb. mul. lib. 4. cap. 10. Paraeus de hom. gen. cap. 48. Vidius de cur. membr. lib. 11. c. 21. Capivacc. Hyſtericis inungit pudenda Zibetho vel mariti penem.

De Catti Zibethici *felle pinguedine et oleo* ex ipſo incocto nihil apud recentiores legimus, ſed apud antiquos nonnulla extant de Hyaena ipſorum, ut ex Gal. 2. de comp. med. loc. cap. 7. Aſclepiades in collyrio quodam liquido Baſilis habet *fellis Hyaenae*, in alio Antonii Muſae et alio Philoxeni. Sed Aelianus de Hiſt. Anim. lib. 6. c. 46. Ibis felle inquit, Hyaenae interimitur. et 1. de comp. med. loc. cap. 1. Galenus ad alopeciam *Hyaenae adipem* laudat, quia tenuium partium ſubſtantiam habet, quae promte in cutis profundum penetrare queat, atque ad radices usque capillorum pertingat, denique Aetius ſerm. 2. cap. 164. *idem facit, et Hyaena tota oleo velut vulpes cocta.* Olei vulpini multas dotes enumerat, quae Hyaenae oleo etiam convenient. Demum cap. 194. *Hyaena viva* inquit, in oleo cocta, velut de vulpe dictum eſt, oleum diſcuſſorium efficit arthriticis utiliſſimum.

CAPUT IX.

De oſſibus Civettae.

Reſtat ultimo loco proponendum de animalis eiusdem Scheleto a me parato, quod apprime utile erit iſtius naturam inveſtigantibus, in hoc enim cognoſcetur oſſium diſpoſitio, unde licebit conferre cum Scheleto canis, vulpis, lupi, felis, et aliorum animalium, ut percipiatur ſimilitudo et diſſimilitudo cum dictis animalibus.

Quum in omnibus animalibus non idem ſit vertebrarum ſpinae numerus, in noſtra Hyaena odorata 49. numerantur. at ſui et erinaceo 4. tantum ſunt. Equo 8. camelo 15. collum enim conſtat ſex vertebris, ut in canibus, hinc thorax aſſumit ſibi duodecim more ſolito, adſunt in dorſo ſeptem aliae, ut cani etc. at erinaceo 8. cuniculo 10. demum cauda conſtat viginti quatuor oſſiculis. In cane numeravi 15. tantum. In maxillis dentes inciſorii ſunt ſex utrinque admodum parvi, ut in catopardo et canibus, his proxime accedunt canini dentes magnitudine et forma, ut in canibus. Molares autem utrinque ſunt ſex, quorum primus prope caninos caeteris minor ſpectatur, ut penultimus ex his maior omnibus eſt.

Effigies potius cani et huius generis ſimilibus, quam alteri generi aſſimilari videbatur et haec breviter dicta ſufficiant de anatome. Excuſet autem nos lector, ſi nihil obſervavimus interiora ſecando, quia talis erat viſcerum putridorum foetor, ut nauſea excitata in meis diſcipulis praeſentibus, nempe in Doctore Dominico Panarolo ſecante et aliis adſtantibus, celerrimam ſectionem vix permitteret.

ENV-

ENVMERATIO
MORBORVM
QVIBVS PETVNTVR REMEDIA
EX
QVADRVPEDIBVS.

Abortus, 88. a. 172. b.
Abſceſſus maturans, 73. b.
Affectiones aurium, 133. a.
Affectus uterini, 149 b.
Aeger an moriturus ſit, nec ne, 171. b.
Alopecias ſanans 70. a. 133. a. 159. b.
Alui exulceratae fluores, 59. b.
Aluum ſoluentia, 130. a.
Ambuſti, 44. b. 71. a. 126. a.
Amoris ardores mitigans, 23. b.
Angina, 179. b. 188. b.
Anhelitus, 213 b.
Anodynum, 206. b.
Antidotum, 88. b. 206. b. 189. b.
Antepileptica, 92. b. 130. a.
Apoplexia, 157. b.
Apoſtemata, 46. a.
Apoſtema diſſoluens, 46. a. 126. a.
Arthritis, 76. a. 146. b. 183. a. 191. a.
Articulorum contractiones, 71. a.
Articulorum dolores, 126. a 189. a.
Articulorum uitia, 150. b.
Aſthmaticos iuuans, 149. b.
Atra bilis, 46. a.
Aurium dolor, 44. a. 114. b. 189. b. 213. b.
Aures purgans, 59. a.
Aures purulentae, 213. b.
Auruginem tollens, 70. b. 73. b.

B.

Bilem expurgans, 59. b
Bulimo laborantes, 165. b.

C.

Calculus, 59. b. 76. b. 120. a. 133. a. 183. a.
Calculus veſicae, 59. b.
Caliginem abſtergentia, 183. a.
Calli vitia, 20. a. 88. a.
Cancer, 71. a.
Canis rabidi morſus, 179. b.
Canis rabiem ſanans, 46. a.
Canities, 20. a.
Capilli, 171. b. 172. b.
Capillorum defluctio, 20. a.
Capillos augens, 78 b.
Capillorum affectus, 133. b.
Capillorum fluxus, 172. b.
Capitis dolores, 30. a. 45. a. 211. b.
Capitis ulcera, 211. b.
Carbunculi uentris, 71. a.
Carcinomata, 60. a. 114. b.
Carnes excreſcentes, 59. a. 60. b.
Catarrhus. 46. b.
Ceruium rigores. 43. b.
Chronici morbi, 149. b.
Cicatrices, 213. b.
Cicatrices faciei, 179. b.
Cicutae eſus, 88. b.
Cimices pellens, 69. b, 210. b.
Coeliacus dolor, 12. a. 59. b. 69. a. 73. b. 160. a.
Coeundi impotentia. 135. b.
Coitus, 88. b.
Coitum ſtimulans, 163. a.
Coitum iuuantia, 133. a. 160. a.
Colicus dolor, 60. a. 88. b. 89. a. 129. b. 130. b. 149. b. 152. b. 157. b. 160 a. 179. b.
Comitialis morbus, 19. b. 69. a. et b. 70. a. 104. b. 133. a. 149 b. 150. b. 153. a. 206. b. 213. b.
Conceptio mulieris, 160. a.
Conceptio facilis mulierum, 11. b.
Conceptionem adiuuantia, 149. b.
Contagium arcentia, 191. a.
Contorſio uultus, 189. a.
Contractio membrorum, 146. b.
Conuulſiones, 33. b. 120. a.
Cruſtae oris, 130. a.
Cutem emaculantia, 153. a.

D.

Dentes, 44. b.
Dentium albedo, 89. a.
Dentium ortus promouentia, 159. b.
Dentitio infantum, 12. a. 89. a. 159. b.
Dentitionis dolor, 114. b. 89. a.
Dentitiones faciles facere, 70. a.
Dentis dolor, 160. a. 171. b. 179. b. 188. b. 192 b.
Dentes uacillantes, 89. a.
Deſiderium coeundi adimentia, 130. b.
Deſtillatio, 179. b.
Difficultas meiendi, 88. b.
Dolores leniens, 88. a.
Dolores dyſentericos adiuuans, 88. a.
Dorſi dolores, 183. a.
Dyſpnoea, 88. b?
Dyſenteria, 42. b. 45 b. 69. a. 70. a. 73. b. 88. a. 150. b. 160. a. 179. b. 189. b.

E.

Elephantiaſis, 46. a. 70. a. 200. a.
Epilepſia, 20. a. 93. b. 114. b. 126. a. 153. a. 160. a. 189. a. 194. a. 200. a. 195. b.
Eriſypula, 189. b.
Exanthematis conducens, 69. b.

F.

Faucium dolores, 73. b.
Faciem erugantia, 200. b.
Faciem ſplendidam reddens, 43 a.
Faucium tumores, 133. a.
Febris, 110. b. 206. b.
Febrium algores, 189. a.
Febres ardentes. 189. a.
Febrile incendium, 192. b.
Febres malignae, 88. b.
Febres periodicae, 130. a.
Febris quartana, 45. b. 59. b. 70. a. 126. a. 160. a. 179. b. 198. b. 199. b. 204. a. 211. b.
Fiſtulae, 43. b.

Flatus, 79. b.
Fluxus, 69. b.
Fluxus dysentericus, 42. b. 160. a.
Fluxus uterinus, 23. b.
Foetus mortuus, 179. b. 183. a.
Foetum in utero cohibentia, 153. a.
Fungorum esus. 88. b.
Furfures, 43. b. 70 a.
Furunculis medens, 59. b.

G.

Genae, 60. b.
Generum et Palpebrarum scabritia, 73. b.
Genua dolentia, 104. b.
Genitalium dolores, 44. a.
Gingivas extenuentia, 130. a.
Gonorrhoea, 149. b.

H.

Haemoptoicos adiuuans, 89. a.
Haemorrhagia, 69. b. 189. a.
Haemorrhoides, 150. b. 183. a. 191. a. 208. a
Haemorrhoides caecae et apertae, 110 b.
Haemorrhoides occlusas apperieris, 44. a.
Hectici, 192. b.
Hemiae, 61. a. 193. b.
Hemicraniae, 46. b.
Humorum crassitatem extenuans, 46. a.
Hydrops, 59. b. 69. a. 160. a. 179. b. 191. a. 192. b 208. a.
Hypochymata, 204. a.
Hysterica affectio, 93. b. 200. b.

I.

Iecinoris affectus, 133. a.
Ignis sacer, 70, a. 208. a. 211. b.
Infantum morbi, 59. b. 69. b.
Inflammatio, 189. b.
Impetigo, 44. b. 80. a. 189. b.
Intercostalis dolor, 130. b.
Intestinorum tormina, 88. a.
Intestinorum inflatus, 88. b.
Intestina solidans, 69. b.
Intestina uulnerata, 45. b.
Intestinorum uitia, 68. b.
Ischiadicus dolor, 71. a. 76. b. 133. b. 179. b.
Iugulorum dolores, 120. b.

L.

Lepra, 43. b. 46. a. 70. a. 146. b. 179. b. 149. b.
Lethargus, 44. b.
Lens, 69. b. 89. a. 193. b.
Lentigines tollens, 43. b.
Lichenes, 19. b. 59. a. 69. b. 133. a. 172. b. 206. b.
Lienis uitia, 133. a. 189. a.
Lippitudo, 160. a. 172. b.
Lithiasis, 191. a.
Lotium prouocantia, 44. a. 45. a. 89. a. 152. b.
Lumbricos egerens, 70. b.
Luxata membra,

M.

Maculas de facie tollens, 46. a. 199 b. 200. b.
Maculae oculorum, 200. b.
Mammarum fissurae, 146. b. 208. a.
Mania, 59. a.
Melancholia, 41. b.
Melancholicus, 70. a.
Memoriam reddentia, 195. b.
Membra a frigore adusta, 114. b.
Menses prouocantia, 133. a.
Menses cohibens, 45. a.
Mensium suppressio, 43. a.
Mensium et secundarum remedia, 71. a.
Menstrua prouocans, 70. b. 88. a.
Mictus inuoluntaria, 104. b.
Morbus caducus. 93. b.
Morbi insanabiles, ut curentur, 33. a.
Morbus sacer, 33. a.
Morsus animalium, 189. a.
Morsus aranei, 59. b.
Morsus canis rabidi, 61. b. 69. a. 88. b. 126. a.
Morsus serpentum, 88. b.
Morsus uenenosi, 73. b.
Mulier utero dolens ac cibos auersans, 70. a.
Mures enecans, 45. a.

N.

Nephritici dolores, 20 a. 146. b.
Neruorum contractura, 43. a.
Neruorum morbi, 133. a.
Nervorum dolores, 188. b.
Nerui intumescentes, 150. b.
Neruos mulcentia, 162. a.
Nyctalopiae, 69. a. 73. b.

O.

Oculus, 59. a. 165. b. 213. b.
Oculorum promouens acies, 44. a.
Oculorum caligines, 73. b. 133. a. 153. a. 193. b.
Oculorum cicatrices, 44. a.
Oculi dolores, 70. a. 160. 179. b.
Oculorum nubeculae, 153. a. 16 . a.
Oculorum suffusiones, 206. b.
Odontalgia, 110. b. 171. b.
Opisthotonon, 70. b.
Oris uitia, 213. b.
Ossa fracta, 179. b.

P.

Paralysis, 150. b.
Paronychia, 171. b.
Parotidae, 43. b.
Parturientes, 189. b.
Partus mulierum, 160. a.
Partus difficiles, 126. a,
Parituras adiuuans, 129. b.
Partus ut contineatur, 88. b.
Pauores, 114. b.
Pauores nocturni infantium, 126. a.
Pedes attriti, 194 a.
Pedum rimae, 129. a. 206. b.
Pedum ulcera, 206. b.
Pedes et manus a frigore seruantia, 133. a.
Pedum dolores, 150. b. 59. a.
Permeientibus in somno, 59. a.
Perniones, 44. b. 59. b. 88. a 114. b.
Pestis, 71. a. 146. b. 191. a.
Phantasmata, 114. b.
Phtisis, 45. a. 130. a. 133. a. 188. b. 208. a.
Pilos producentia, 171. b.
Pinquefacientia, 200. b.
Plica Polonica, 172. b.
Podagra, 59. b. 69. a. 88. a. 129. b. 153. a. 160. a. 179. b. 183. a. 195. b.
Praefocationes uterinae, 89. a.
Praerygia digitorum, 44 a.
Profluuium muliebre, 70. b. 89. a. 183. a.
Proluuia uirorum, 120. a.
Pruritus corporum, 120. b.
Pterygia, 59. b.
Puerpera, 149. b.
Pulmo, 45. b.
Pulmonis affectiones, 153. a.

R.

Rabiem compescentia, 179. b.
Ramices infantum, 194. b.
Renum dolor, 172. b. 200. b.
Renum ulcera, 11. b.
Regius morbus, 11. b. 20. b.
Restauratio uirium, 79. b.
Rubor faciei, 189. b.

S.

Sagittas extrahentia, 139. b.
Sanguinem coercentia, 160. a.
Sanguinis excretiones, 70. b.

San-

Sanguinis profluuium, 43. a. 45. a.
Sanguis ex naribus, 60. b.
Sanguinem reprimens, 69. b.
Sanguinem fiſtens, 73. b. 147. a. 149. b. 179. b. 189. a.
Sanguinis uomitus, 68. b.
Scabies, 70. a. 189. b.
Scirrhus, 70. b. 114. b.
Scroti dolores, 44. a.
Serpentum morſus, 110. b. 152. b. 153. a.
Somnum inducentia, 140. a. 165. b. 199. b. 200. a.
Spaſmus, 12. a. 70. b. 93. b. 213. b.
Sperma cogentia, 200. b.
Splenis dolor, 88. b.
Spinas extrahentia, 193. b.
Sterilitas, 23. b.
Stillicidia ueſicae, 120. b.
Stomachus, 45. b.
Stomachus exulceratus, 19. b.
Stranguria, 153. a. 172. b.
Stranguria equorum, 193. b.
Strumas diſcutiens, 69. b. 71. a. 153. a. 188. b. 191. a. 193. b. 206. b.
Stupor membrorum, 199. b.
Succi mobilitas, 188. b.
Sudorifera, 88. b.
Surditas, 130. a. 183. a.
Suffocatio mulierum, 94. b. 149. b.
Suffuſiones, 153. a. 193. b. 200. b. 206. b.
Synanchis, 130. a.
Syncope, 79. b.
Syrtaſis, 179. b.
Suſpiria, 88. b. 133. a.

T.

Tabis, 19. a.
Teneſmus, 45 b. 59. b.
Teſtes ardentes, 213. b.
Teſtium tumores, 179. b.
Tormina alui, 45. b.
Torpor membrorum, 193. b.
Tumorem ſanans, 43. a.
Tuſſis, 126. a. 130. a. 192. a.
Tuſſis infantum, 208. a.

V.

Venenum, 23. a.
Venenorum antidota, 189. b.
Venena expurgans, 45. a. 95. b. 206. b.
Venenati morſus, 191. a.
Ventrem purgans, 11. b.
Ventris profluuium, 88. b.
Venus, 110. b.
Venerem cohibentia, 193. b. 208. a.
Venerem excitantia, 117. b. 130 a. 133. b. 149. b. 192. b. 199. b. 200. a. 206. b.
Verendorum uitia, 59. b.
Vermes ulcerum, 189. b.
Verrucae 172. b. 179. b. 200. a. 208. a. 211. b.
Vertigo, 150. b. 153. a. 15-. b.
Veſicae dolor, 56. a.
Veſicae mala, 160. a.
Vigilias in ſomnum conuertens, 70. a.
Viſus, 206. b.
Viſus claritas, 210. b.
Vomitus, 89. a.
Vulnera, 60. a. 88. b.
Vulnera inteſtinorum, 149. b.
Vulnera machinis bellicis inflicta, 180. a.
Vlcer cancroſum, 191. a.
Vlcera capitis, 43. b 133. b. 208. a.
Vlcera emolliens, 60. b.
Vlcera ex frigore, 210. b.
Vlcera ex aduſtione, 210. b.
Vlcera faciei, 45. a.
Vlcera interna, 179. b.
Vlcera purgans, 70. a.
Vlcera tibiarum, 126. a.
Vlcera inueterata, 179. b.
Vrina, 120. b. 162. a.
Vrinae ardor, 172. b.
Vrinae incontinentia, 160. a.
Vrinam prouocans, 160. a.
Vterus, 160. b.
Vterorum durities, 88. a.
Vterus exulceratus, 88. a.
Vterum muliebrem purgans, 46. a.
Vteri putredines, 70. b.
Vteri morbi, 70. b.
Vteri ſuffocatio, 136. b.
Vteri ſterilitas, ibid.
Vteri ſuffocationes, 157. b.

NOTITIA
ANIMALIVM QVADRVPEDVM,
EX QUIBUS
REMEDIA PRAESTANTISSIMA CAPIVNTVR.

Alce, 93. b.
Aſinus, 19. a.
Aſinus cornutus, 33. a.
Bos, 42. a.
Bufo, 190. b.
Canis, 179. b.
Capra domeſtica, 68. b.
Capra ſilueſtris, 73. b.
Capra Plinii, 78. b.
Capra Moſchi, 79. b.
Caſtor, 149. a.
Ceruus, 88. a.
Chamaeleon, 195. b.
Ciuetta et Zibethum, 218. a.
Crocodilus, 206. b.
Cuniculus, 162. a.
Echinus terreſtris, 172. a.
Elephas, 30. a.
Equa, 21. b.
Felis, 183. a.
Genetta, 157. b.
Glis, 165. b.
Hippopotamus, 110. b.
Hircus domeſticus, 68. b.
Ibex, 76. b.
Ichneumon, 152. a.
Lacerta, 193. b.
Lacerta uiridis, 196. a.
Leo, 114. b.
Lepus, 159. b.
Lupus, 129. b.
Lutra, 150. b.
Lynx, 120. a.
Monoceros, 33. a.
Mula, 23. a.
Muſtela, 153. a.
Quis, 59. a.
Pardus, 117 b.
Rana, 188. b.
Ranunculus uiridis, 192. a.
Rhinoceros, 95. b.
Salamandra, 198. b.
Scincus, 200. a.
Stellio, 135. b.
Sus, 104 a.
Talpa, 151. b.
Taurus, 43. a.
Taxus, 146. b.
Teſtudo, 208. a.
Teſtudo terreſtris, 206. b.
Teſtudo marina, 213. b.
Vacca, 45. a.
Vulpes, 133. a.
Vitulus, 43. a.
Vrſus, 126. a.

SYL-

SYLLABVS

In Hiſtoriam Naturalem de Animalibus Quadrupedibus IOANNIS IONSTONI, priore numero hiſtoricae deſcriptionis paginam exprimente, altero uero tabulam Iconiſmi deſignante.

A.

	P.	T.
Agnus	55.	22.
Aguti uel Acuti Braſ. Cunic.	63.	
Alce	98.	36.
Ameiua 197.	30.	31.
Americima Braſ.	196.	77.
Animal foeridum	209.	
Animal Zibethi	157.	
Aper 105.	47.	48.
Aries	55.	22.
Guineenſis		46.
Armatillo Cluſii		74.
Aſinus	16.	6.
Cornutus	31.	7.

B.

Biſon	51.	16.	17.
Iubatus			17.
Magnus			17.
Scoticus	51.		
Biſulca aquatica	108.		
Terreſtria	35.		
Bonaſus	51.	18.	19.
Bos domeſticus	36.	13. 14.	15.
Scythicus	49.		21.
Strepſiceros	53.		24.
Boues feri	50.		
Bubalis	76.		
Bubalus ueterum	52.	18.	20.
Africanus	52.		18.
Indicus			16.
Bubali Iuuenci			21.
Buffelus	53.		20.
Buſo	189.		75.
Caudatus			75.
Sine dentibus			75.
Butrones	51.		

C.

Cabim	215.		
Cagui Braſil.	143.		60.
Caitaia	143.		60.
Camelo pardus ſeu Giraffa	98.		39.
Camelo pardalis	98.	39.	45.
Camelus	95.		
Bactrianus	97.		43.
Dromedar.	97.	41. 42.	44.
Indicus			40.
Verſicolor			40.
Canis	176.	69.	70.
Leporarius	176.		69.
Indicus			71.
Venatorius			71.
Vertagus dictus	176.		69.
Caoch	209.		
Cappa	216.		
Caper Hiſpanicus			26.
Silueſtris			7.
Capra Bezoartica	79.		

	P.	T.
Capra auribus demiſſis	81.	
Capra canis		26.
Domeſtica	65.	26.
Indica	81.	
Lybica.		25.
Mambriana	81.	26.
Moſchi	78.	29.
Capreae ſilueſtres	74.	
Capreae Braſil.	78.	
Caprea Plinii	77.	31. 33.
Strepſiceros	77.	24.
Capricornus marinus		12.
Carapopeba	197.	
Carigueibeiu	150.	60.
Carygueia	135.	
Caſtor	147.	68.
Catus Hiſpaniae	157.	
Catus Zibethicus Scalig.	157.	
Caudiuerbera	201.	79.
Cauia cobaya cunic. ſpec.		63.
Chamaeleon	202.	78.
Cinereus uerus		79.
Varius		78.
Cercopithecus	140.	59. 61.
Barbat. Braſ.		60.
Cluſii		59.
Barbat. Cluſ.		59.
Maior ſeu Manticora		61.
Cernus	82.	35.
Burgundicus		35.
Palmatus	89.	37.
Cerua		32.
Ceruo camelus		29.
Ciuetta	219.	
Coati	136.	
Cordylus quadrupes	201.	78.
Crocodilus	204.	79.
Cuniculus	161.	65.
Indus Geſneri		63.
Cuitlamitzli	115.	
Cynocephalus	144.	59.
Bertrandi		59.

D.

Dama	74.	27.
Vulgaris	77.	
Danta	216.	
Daſypus pinuum		73.
Digitata ſemifera	131.	

E.

Echinus terreſtris	171.	
Braſilian,	174.	
Eiulator	217.	
Elephantus	24. 9.	10. 11
Equus	1.	1. 2.
Aethiopicus	13.	3.
Friſicus	13.	2.
Hirſutus		5.

	P.	T.
Hungaricus	14.	2.
Indicus	14.	5.

F.

Felis	182.	72.
Domeſtica		72.
Silueſtris		72.
Zibethi Iud. Rom.	157.	
Zibethi		72.
Flirus.		25.

G.

Gazella	78.	29.
Genetta	157.	72.
Genethocatus	157.	
Glis	164.	66.
Aldrouandi		67.
Graffa	217.	
Gulo, Vielfraß.	130.	57.

H.

Hinnuli et Hinni apud Plinium	21.	
Hippelaphus foemina		34.
Mas		35.
Hippopotamus	108.	49.
Hircus	65.	27.
Bezoarticus	79.	
Hoedus	65.	
Hyaena	218.	56. 57.
Veterum Bellonii	157.	
Hyſtrix	173.	68.

I.

Iabotti	211.	
Ibex	75.	25. 28.
Ichneumon	151.	67.
Ignauus	145.	62.
Cluſii		74.
Iguana.	194.	

L.

Lacertorum genera	192.	76.
Lacertus biceps		76.
Braſilienſ.	193.	76.
Chalcidicus		76.
Cyprius ſcincoides		76.
Indicus Cordylo ſimilis		78.
Tarandula quibusdam		77.
Vulgaris	192.	76.

La-

	P.	T.
Lacertus Viridis cauda bifurca.		76.
Viridis exficcatus cauda bifida		76.
Viridis	193.	76.
Leaena,		51.
Leo	111.	50.51.
Minor		52.
Leopardus	116.	53.
Lepus	158.	65.
Cornutus		65.
Leucrocuta		52.
Lonx, Lonza		68.
Lupus	127.	56.
Marinus Geſneri et Bellonii		57.
Scythicus		58.
Lutaria	211.	
Lutra	150.	68.
Lynx	118.	54.71.

M.

Macamizli	115.	
Manticora	121.	52.61.74.
Martes	155.	64.
Meles ſeu Taxus		72.
Mizl Peruan	115.	
Monoceros	31.	8.
Mulus	21.	6.
Mula	22.	
Mures domeſtici	165.	
Aquatici	167.	
Mus Alpinus	168.	67.
Aquaticus	169.	
Araneus	168.	
Auellanarum	168.	66.
Coyopollin ſeu Indicus	170.	67.
Muſcatulus	168.	67.
Pharaonis	151.	67.
Muſmone	57.	27.28.
Muſtela ſilueſtris	154.	
Vulgaris	152.	
Zibellina	155.	

N.

Noerza	155.	

O.

Onager	20.	7.8.
Oryx	81.	36.
Ouis	54.	
Arabica		23.
Cretenſis		45.
Moſcouitica	63.	
Peregrina		22.
Peruana		23.

P.

	P.	T.
Panthera minor Oppiani	157.	
Pardus	116.	53.
Pardalis	219.	
Papio Pavyon.	144.	61.
Peua	209.	
Porcus Guineenſis		46.
Porcellus Indicus ſic dictus	162.	65.
Puma Peruan	115.	
Putorius	154.	64.
Pygargus	76.	34.
Pyrandus	89.	

Q.

Qrudrup. ſolidiped.	1.	
Biſulca	35.	
Digitat. uiuip.	111.	
Digitat. ouip.	187.	
Domeſtic.	176.	
Non ruminantia	99.	
Quamizli	115.	

R.

Rana	187.	75.
Ranae aquaticae	187.	
Terreſtres	189.	
Rana temporaria	192.	
Rangifer	91.	37.
Ranunculus uiridis	192.	
Rehenſchier	90.	
Rhinoceros	94.	38.
Ruminantia cornigera in genere	35.	
In ſpecie	36.	
Ruminantia non cornigera	95.	
Rupicapra	74.	27.32.

S.

Salamandra	197.	77.
Aquatica		77.
Terreſtris nera nigra maculis luteis diſtincta		77.
Seincus	200.	78.
Sciurus	163.	66.
Senembi ſeu Ignaua	164.	77.
Simia	137.	59.
Stellio	199.	77.
Stelliones ex Matth.		77.
Strepſiceros	53.	
Su	217.	
Suhak Scytharum	81.	

	P.	T.
Sus	99.	47.48.
Cornutus		48.
Domeſticus	104.	
Guineenſis	104.	46.
Silueſtris	104.	47.
Tapierete Braſ.	104.	

T.

Taiacu Caaigora	4.	
Taiibi	135.	
Talpa	170.	66.
Tamandua-Guacu	136.	62.
Tamandua-i	136.	62.
Tapirouſſu	216.	
Taraguira	196.	
Taraguycu Aycuraba	197.	
Tarandus	90.	37.
Tatus ſeu Echinus Braſ.	174.	62.63.80.
Taurus	37.	15.30.
Caſtratus		14.
Poconius		30.
Taxus	146.	63.
Suillus	147.	48.64.
Teiuguacu	196.	77.
Teiunhaua	197.	77.
Temapara	197.	77.
Teſtudo	207.	80.
Aquatica	211.	80.
Marina	212.	80.
Terreſtris	209.	
Tigris	129.	53.
Geſneri		54.
Tlacaxolotl	215.	
Tlacuatzin	170.	73.
Tlalmizli	115.	
Tragelaphus	90.	34.
Tupinambis	196.	77.

V.

Vacca	36.	13.
Indica		16.
Verres, Eber.		47.
Vervex	22.	23.
Aethiopicus		58.
Alius		23.
Alius peregrinus		23.
Vitulus	37.	15.
Marinus		68.
Vpalim fera	144.	
Vrſus	123.	55.
Vrus	50.	19.
Iubatus		19.
Lybicus	19.	20.
Vulpes	131.	56.
Indica	134.	
Vulpi congeneres	216.	

Z.

Zainus	92.	46.
Zebra Indica	21.	
Zibeth	218.	

INDEX

Tabularum; quo quaevis loco sit inferenda.

Tabula. I. II. III. IV. De Equis pag. 1.
V. De Zebra Indica, equo Indico et equo hirsuto 21.
VI. De Asinis 16.
VII. De Onagro 20.
VIII. De Onagro 20.
IX. X. XI. De Elephante 24.
XII. De Monocerote etc. 31.
XIII. XIV. XV. De Bove domestico 36.
XVI. XVII. De Bisonte 51.
XVIII. XVIIII. De Bonaso 51.
XX. De Bubalo 52.
XXI. De Bove Scythico 52.
XXII. XXIII. De Ove 54.
XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXVIIII. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIIII. De Capra 64.
XXXV. XXXVI. XXXVII. De Cervo 82.
XXXVIII. De Rhinocerote 94.

Tabula. XXXVIIII. XXXX. XXXXI. XXXXII. XXXXIII. XXXXIIII. XXXXV. XXXXVI. De Camelo 95.
XXXXVII. XXXXVIII. De Sue 99.
XXXXVIIII. De Hippopotamo 108.
L. LI. LII. LIII. De Leone 111.
LIV. De Lynce 119.
LV. De Vrso 123.
LVI. LVII. LVIII. De Lupo 131.
LIX. LX. LXI. De Simia 137.
LXII. LXIII. 145.
LXIV. LXV. LXVI. LXVII. LXVIII. LXIX. LXX. LXXI. 158.
LXXII. LXXIII. LXXIIII. De Fele 176. 182.
LXXV. De Ranis 187.
LXXVI. LXXVII. LXXVIII. De Lacertis 193.
LXXIX. De Chamaeleonte 202.
LXXX. De Testudine 207.